

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/philosophiaschol0002pmbr

PHILOSOPHIA SCHOLASTICA

RT. REV. EUGENE O'CONNELL,
LOS ANGELES,
CAL.

BAR LE-DUC

IMPRIMERIE CONTANT-LAGUERRE

PHILOSOPHIA

SCHOLASTICA

in quâ

THEORIA VETERUM, PRÆCIPUÈ SANCTI THOMÆ, EXPERIENTIIS RECENTIORUM ACCOMMODATUR

Approbante Ill. ac RR. DD. Germain

AUCTORE

P.-M. BRIN

Presbytero Sancti Sulpitii

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

EDITIO SECUNDA

IN UNUM AUT ALTERUM ANNUM APTATA AD USUM SCHOLARUM

TOMUS SECUNDUS

COSMOLOGIA — PSYCHOLOGIA — THEODICEA

PARISIIS

BERCHE ET TRALIN, EDITORES

69, VIA DICTA DE RENNES, 69

1879

100
B63
v.2

APPROBATIO.

Rem omninò piam et laude dignam æstimamus sanam tutamque sancti Thomæ doctrinam juniores alumnos edocere; nil enim antiquius commendavit Ecclesia, nil duxit utilius. Eâ de causâ, *Philosophiam scholasticam*, principia Doctoris Angelici de *Orbe* physico *Animaque* humanâ complectentem, et juxtà doctrinam Concilii Vaticani exaratam, auctore dilectissimo in Christo P.-M. Brin, libentissimè suscipimus et approbamus.

Inter alias dotes eximias, orthodoxiam in doctrinâ, scientiam in systematum expositione, in ratiociniis acumen, et vim in sermone lector adnotabit in hoc opere conspicuo; celeberrimas quoque de materiâ et formâ, stabilitate specierum, idearum origine, unione mentis et corporis, animismo ac vitalismo quæstiones, clarè quidem expositas et argutè solutas, inveniet.

Quibus perspectis, speramus fore ut ea pars *Philosophiæ scholasticæ* haud minorem quam Logica, jam in lucem edita, favorem adipiscatur.

Datum Constantiis, sexto calendas junii, anno M D CCCLXXV.

† J.-P., *Episcopus Constantiensis et Abrincensis.*

SECUNDA PARS

PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ.

II.

COSMOLOGIA.

DE COSMOLOGIÆ NATURA ET DIVISIONE.

I. Quid est Cosmologia quoad nomen?

1. Post Ontologiam *generalem*, quæ disserit de entis naturâ, proprietatibus et categoriis in commune, speciatim de *mundo*, *animâ* et *Deo* tractandum est. Imprimis, *Cosmologia*, e vocibus græcis κόσμος et λόγος, theoriam, sermonem, scientiam de mundo significat. Vox κόσμος, non solùm corpora orbem physicum componentia, sed ordinem, ornamentum et perfectam rerum materialium connexionem aptè designat : « Quem enim, ait Plinius, Græci κόσμον nomine ornamenti appellavere, eum et nos a perfectâ absolutâque elegantiâ *mundum* diximus (1). »

(1) Vox Cosmologia Wolfio tribuitur, *Corpus philosophiæ*. — Cf. Plin., *Hist. nat.*, l. II, c. IV; et equidem κόσμος significat ornamentum : « Ἐσθῆτι καὶ κόσμῳ πρέπων. » (Eurip.) Card. de Polignac, *Anti-Lucret.*

Vox λόγος innuit formam specialem, sub quâ mundus spectari debet in præsenti tractatu. Non assumitur descriptio poetica orbis physici, nec inspicitur compositio corporum et atomorum architectura, aut cursus siderum; sed vera suscipitur scientia philosophica per causas generales et ultimas, nempè cognitionum series, et theoria universalis de corporum naturâ, proprietatibus et ordinatione.

II. Quid est Cosmologia quoad rem?

2. Quoad rem, Cosmologia definiri potest : *Pars Philosophiæ realis, quæ disserit de supremis orbis physici principiis.*

Est pars Philosophiæ realis : nam ut vidimus (Procem., n. 7), philosophia dicitur scientia de supremis omnium principiis rationis lumine comparata, et dividi potest in rationalem, realem et moralem; philosophiam rationalem absolvit Logica; realis autem subdividitur in Ontologiam, Cosmologiam, Psychologiam et Theodiceam seu Theologiam naturalem; undè, Cosmologia vocatur pars Philosophiæ realis.

Tractat de ultimis rationibus seu *principiis;* et ità maximè differt a scientiis experimentalibus, ut sunt physica, chimica, geologia, quæ solummodò disceptant de *peculiaribus* phænomenis aut legibus corporum; cum illis autem intimè connectitur; omnes enim de rebus mundanis, etsi sub diverso respectu, disserunt.

Tractat de ultimis principiis orbis physici; proindè, differt ab aliis partibus philosophiæ realis, quæ mentem humanam, Ens infinitum et notiones maximè communes Ontologiæ, ut objecta specialia, respiciunt.

III. Quid dicendum de objecto et historiâ Cosmologiæ?

3. Quatuor dicenda sunt de Cosmologiæ objecto et historiâ. 1°, Multi, apud veteres et recentiores Cosmologiam a scientiis physicis, naturalibus et mathematicis vix aut ne vix secernunt. Sic, juxtà d'Alembert et Littré, Cosmologia complectitur « uranologiam, » id est scientiam de *cœlo*, « aerologiam, » seu scientiam de *aere*, « geologiam, » id est scientiam de *terrâ*, et « hydrologiam, » seu scientiam de *aquâ*.

2°, Alii autem Cosmologiam non distinguunt a cæteris Philosophiæ partibus; ex. gr. de naturâ corporum in Ontologiâ, de miraculo in Logicâ, de contingentiâ orbis terrarum in Theologiâ naturali disceptant.

3°, Quidam verò, post Aristotelem, non solùm de mineralibus, vegetalibus et animalibus, verùm etiam de homine sermonem habent in Cosmologiâ, quam appellant Physicam; sed rectiùs opinantur scholastici specialem esse scientiam de homine, quià substantiæ rerum materialium corruptibiles sunt, dùm mens humana futura est immortalis et ità maximoperè discrepat ab animâ belluinâ.

4°, Ex dictis infertur quodnam sit objectum Cosmologiæ; in eâ quippè scientiâ, non agitur de phœnomenis corporum aut legibus peculiaribus, ut sunt leges caloris et luminis; non etiam disputatur de homine, quatenùs est rationalis et præstat aliis rebus mundanis, sed *objectum adæquatum* hujus partis Philosophiæ complectitur *ea*, quæ conveniunt *omnibus* et *solis corporibus*, sive *in se* sumptis, sive *inter se* colligatis; id est Cosmologia investigat *suprema principia* supremasve rationes *mundi sensilis* et « *mobilis* (Cf. Ant. Goudin, t. II, *Physica*). »

IV. Quomodo dividitur Cosmologia?

4. Res mundanæ, quibus conflatur orbis terrarum, vel in suis *elementis* seu *principiis essentialibus* spectantur, vel in suis *proprietatibus* et *legibus universalissimis;* nempè, quæritur quid sit *natura rerum*, quæ hunc mundum aspectabilem constituunt, quæ sint *proprietates* cujuslibet corporis *in se* sumpti, et quæ sint *leges*, quibus omnia corpora *inter se* colligata gubernantur.

Undè, Cosmologia rectè dividitur in tres partes : prima pars disserit de *naturâ* rerum mundanarum ; secunda, de *proprietatibus* corporum; tertia, de *legibus* orbis physici. In primâ parte, ut alibi dictum est (Procem., n. 10), exponuntur varia systemata de primigeniis corporum *elementis;* in secundâ, impugnamus errorem materialismi de principio *vitæ;* in tertiâ tandem, statuitur *miraculi* possibilitas adversùs rationalismum ævi præsentis; seu fusiùs :

V. Expone synopsim totius Cosmologiæ.

(* 5. Ope sensuum, immediatè percipimus corporum *existentiam* (Cf. *Logic.*, n. 182); deindè verò quærimus *quid sit* corpus, et quæ sint *proprietates* corporum aut *leges* universalissimæ, quibus orbis terrarum regitur; undè, tres partes :

Prima pars, *De naturâ rerum mundanarum.* — Duo dicenda sunt; nempè, quid sit corpus *in se* sumptum, et quid sit *orbis physicus* seu universitas corporum.

1°, *De naturâ corporum.* Primaria et primigenia corporum *principia* non sunt *atomi;* nam, atomus est corpusculum jam integrè constitutum. — Aliundè *Dynamismus* Leibnitzii aliorumque recentiorum videtur esse mera hypothesis. — Econtrà, scholasticorum systema cùm experientiâ tùm ratione demonstrari potest; ergò, primaria corporum principia sunt *materia* potentialis et *forma* substantialis, quibus additur *privatio* ad explicandam corruptionem et productionem rerum materialium.

2°, *De naturâ orbis physici.* — *Mundus*, qui conflatur e diversis corporibus, est *contingens*, *finitus*, *mutabilis* et *compositus*; ergò, dici nequit ens *a se*, nec *emanatio* aut *evolutio* Entis infiniti; sed originem duxit a Deo per *creationem e nihilo*. Deus igitur est prima rerum causa *efficiens* et *libera*; quapropter errores sive positivistarum, sive spiritualistarum, de creatione, funditùs evertuntur. Undè, prima pars subdividi potest in duo capita :

Caput primum, *De naturâ corporum;*
Caput secundum, *De naturâ orbis physici.*

Secunda pars, *De proprietatibus corporum.* — In *materiâ* præcipuè fundatur *quantitas*, et omnis proprietas ad eam referenda, ut impenetrabilitas, divisibilitas et localisatio. — E formâ præsertim dimanat *qualitas*, et aliæ proprietates, quæ revocantur ad qualitatem; v. gr. vires physicæ, activitas, vita, generatio. — Nonnullæ verò proprietates, nempè corporum structura et figura, prodeunt ex unione materiæ cum formâ substantiali. Omnes istæ proprietates, præcipuè quantitas et qualitas, vi naturæ, semper existere debent in corporibus, ad eorum autem *essentiam* non pertinent. Undè, corpus in genere est : *Substantia essentialiter coalescens ex unione materiæ potentialis et formæ substantialis, cum « exigentiâ » extensionis et aliarum proprietatum.* Ea pars cosmologiæ jurè dividitur in duo capita, quibus accedit appendix; nempè :

Caput primum, *De proprietatibus corporum in genere;*
Caput secundum, *De vitâ;*
Appendix, *De applicatione systematis SS. Eucharistiæ sacramento.*

Tertia pars, *De legibus orbis physici.* — Iterùm intellectus, naturâ corporum et proprietatibus cognitis, ad alias notiones ascendit; nam, attingit corporum *relationes* cum causis efficientibus et causis finalibus. — Relationes ad causas efficientes constituunt *nexum dynamicum*, qui supponit connexionem et successionem in rebus physicis. — E relationibus ad causas

finales contexitur *nexus teleologicus*, qui dependentiam creaturarum et ordinationem ad finem ultimum, leges generales, necnon miraculi, contrà, vel præter, aut suprà leges generales patrati, possibilitatem arguit. Comperiuntur etiam inter causas efficientes et causas finales, inter nexum dynamicum et nexum teleologicum relationes ultimæ, quibus constituitur *nexus cosmicus*, seu mirabilis et perfectus *ordo* rerum mundanarum.

Sic gradatim ad apicem Cosmologiæ pertingit intellectus; e *notitiis* per sensum acceptis ad *naturam* et *proprietates* corporum, e naturâ simul et proprietatibus ad *relationes* altissimas et *ordinem generalem* tuto gressu conscendit. Undè, tertia pars subdividi potest in duo capita:

Caput primum, *De legibus physicis in se sumptis;*
Caput secundum, *De derogatione legibus physicis.*

Ex his omnibus apparet legitimitas hujus definitionis: *Cosmologia est pars Philosophiæ realis, quæ disserit de supremis principiis orbis physici.* *)

PRIMA PARS COSMOLOGIÆ

DE

NATURA RERUM MUNDANARUM.

I. Quomodo dividitur prima pars, de naturâ rerum mundanarum?

6. Corpora *in se* spectari possunt, videlicet in principiis *intrinsecis*, quibus eorum essentia coalescit : vel etiam considerari possunt in quantùm *inter se* colligantur ad constituendum *orbem physicum*. Seu, quærere possumus *quid sit corpus in se sumptum*, et *quid sit orbis physicus*. Duo sint igitur capita : I, *De naturâ corporis in se sumpti;* II, *De naturâ orbis physici.*

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA CORPORIS IN SE SUMPTI.

II. Quomodo dividitur caput primum, de naturâ corporis in se sumpti?

7. Ne supersit ambiguitas in hac difficili quæstione, operæ pretium est ut lucidè exponantur philosophorum systemata, deindè verò dicendum est quodnam systema

sit *probabilius*, et tutò amplecti possit. Undè, duplex articulus : 1^us^ erit de philosophorum *systematibus;* 2^us^ de systematum *criticâ*.

ARTICULUS PRIMUS.

De philosophorum systematibus.

III. **Expone sensum quæstionis.**

8. 1°, Ut jam dictum est, non agitur de phænomenis aut legibus corporum peculiaribus, de quibus liberè disputant physici et naturalistæ; sed quæritur quænam sint *prima principia* seu *elementa primigenia*, quibus *essentia* corporum in genere coalescit.

2°, Prima etiam corporum principia, de quibus sermo habendus est in hoc capite, vocari solent *intrinseca*, ut distinguantur a principiis *extrinsecis*. Ex. gr. Causa suprema corporum efficiens et creatrix, de quâ dicendum est in capite sequenti, est rebus materialibus extrinseca. Undè, quùm dicitur principia intrinseca esse primigenia, non intelligendum est ea nullam habere causam extrinsecam, sed in alia magis universalia et fundamentalia « resolvi non posse (Cf. S. Thom., *De Cœlo*, lect. VIII) (1). »

3°, Jam indubium est diversa corporum genera, quibus orbis physicus componitur, esse *inorganica* vel *organica;* corpora organica iterùm sunt « *insensibilia* » vel

(1) (* Nota : In eo sensu accipienda sunt Aristotelis verba : « Oportet (principia) nec ex se invicem esse, nec ex aliis, sed ex ipsis esse omnia (*Nat. Ausc.*, l. I, c. III); » nec ex se mutuo, quia nullum inter illa primum esset; nec ex aliis, nam fundamentalia dici non possent; sed ex ipsis esse debent omnia, videlicet intrinseca corporum elementa debent esse fundamenta omnium proprietatum, quæ in rebus materialibus inveniuntur.*)

« *sensibilia;* » sic, lapides sunt inorganicæ, plantæ habent organa et animal est sensitivum. Illa distinctio exprimitur tabulâ sequenti.

Corpora sunt { inorganica vel organica;

Corpora organica sunt { insensibilia vel sensibilia.

Undè, auctores distinguere solent regnum *minerale*, regnum *vegetale* et regnum *animale*. In omnibus verò corporibus, sive sint inorganica vel organica, sive sint insensibilia, aut sensibilia, semper et ubique, ut constanti et universàli experientiâ constat, reperiuntur *quantitas* et *qualitas*. Aliæ corporum proprietates ad illas referri possunt; v. gr. extensio, gravitas, passivitas reponuntur præsertim in quantitate; motus, activitas, attractio qualitati præcipuè tribuuntur; et ità de cæteris.

4°, Ex dictis, infertur omnes corporum proprietates in *quantitatem* et *qualitatem* resolvi; sed, utrùm quantitas et qualitas in alia principia resolvantur et quænam sint principia hujusmodi. Ad solutionem tantæ difficultatis, tria prodierunt systemata : *Theoria scholasticorum*, *atomismus* et *dynanismus*.

Juxtà *scholasticos*, *quantitas* et *qualitas* sunt tantummodò *accidentia*, et *substantia* rerum materialium conflatur *duobus* principiis, videlicet *materiâ* et *formâ; materia* est fundamentum *quantitatis*, et *forma* est fundamentum *qualitatis* (1). *Atomistæ* verò nihil in corpori-

(1) Leibnitz. *Syst. Theol.*, n. 48. « Scholastici docuerunt, ait C. Sanseverino, quoniam essentia corporis ex duobus principiis, nempè *materiâ et formâ* constituitur, duas proprietates nobis manifestari in corpore, quæ

bus inveniunt, nisi *quantitatem* seu *atomorum extensionem*. E contrà, *dynamismi* fautores omnia corporum phenomena *qualitate monadum* seu *viribus physicis* explicant.

IV. **Evolve systema scholasticorum.**

9. Multi non parvæ notæ philosophi, cùm apud antiquos, tùm apud recentes, fusiùs exposuerunt et propugnarunt theoriam de materiâ et formâ. Imprimis sunt Aristoteles, Plato, S. Augustinus (Cf. Nourisson, *Philos. de S. August.*), Albertus Magnus, S. Thomas (Cf. Jourdain, *Philos. de S. Thom.*), Suarez (*Metaphys.*), ipse Leibnitz (*System. Theol.*), Sanseverino, Liberatore, Zigliara (1). Sed apud nonnullos veteres, uberrimè sæpiùs agitantur difficultates potissimùm ad scientias physicas referendæ. Recentiores autem, omissis quæstionibus hujusmodi, præcipua capita systematis « *aristotelico-scholastici* » *eligere*, necnon experientiis hodiernis *accommodare* nituntur; undè, illorum doctrina, quæ dicitur « *neoscholastica*, » definiri potest : systema, quo *theoria* veterum de *materiâ* et *formâ* recentiorum experientiis accommodatur. Ecce illius systematis expositio.

Corpus, seu compositum e materiâ et formâ, sub triplici respectu haberi solet : videlicet, *in se*, id est, in essentiâ suâ metaphysicâ; *in fieri*, quandò recipit existentiam sive per creationem, sive per generationem; *in facto esse*, nempè quùm jam accepit existentiam. Undè tria puncta.

primò ab essentiâ ejus promanant, et ceterarum sunt fundamentum, easque esse *quantitatem*, quæ a principio *materiali* exsurgit, et *qualitatem*, quæ a principio *formali* pullulat. » *Cosmol.*, p. 291.

(1) Alii recentiores materiam et formam admittunt; v. gr. D. Barthélemy, St-Hilaire, *Traduction d'Aristote*. Vide la *Civitta Cattolica*, n. 240.

Punctum primum. — Corpus *in se* sumptum duobus principiis *essentialiter* coalescit : unum est fundamentum quantitatis, extensionis, gravitatis, et nuncupatur principium *passivum*, aut etiam *materia;* alterum est *activum*, et vocatur *forma*, seu *qualitatis* fundamentum. Proindè, corpus in genere definitur : *Substantia composita duplici principio primigenio, scilicet materiâ et formâ* (1).

Materia dicitur *potentialis*, quià, si spectetur in se, quamlibet formam recipere potest et indifferens est ad tale vel tale corpus constituendum : « Materia est indistincta et passibilis ad distinctionem, » inquit sanctus Bonaventura (*I Sent.*, dist. xix). Distingui debet a formâ; sola autem non potest componere substantiam integram : « Materia..... est *pars* totius essentiæ, » ait sanctus Thomas (*Qq.*, *disp.* de veritate., q. 5, a. 5). Illam definimus : *Principium quantitatis, aptum ad recipiendam quamlibet formam substantialem* (2).

Materia sic sumpta, in se scilicet et in genere, vocari solet *materia prima;* quùm autem existentiam recepit, dicitur *materia secunda*. Sed materia prima concipi nequit sine altero principio, quià non est corpus integrum,

(1) Apud auctores, qui materiam et formam rejiciunt, voces materia et corpus eumdem sensum exhibent; aliter dicendum est de scholasticis. Juxtà eos, materia et forma non sunt *extensione* prœditæ, sed illam *exigunt* et producunt, ità ut extensio *radicalis*, non autem *realis* ad essentiam corporum pertineat, ut infrà videbitur.

(2) Aristoteles materiam ὕλην definit *primum subjectum* ex quo fit aliquid. I. *Phys.*, c. ix; formam autem vocat ἐντελέχειαν, 2 *de Animâ*, c. i. « Materia prima, inquit Suarez, non est aliquod corpus, seu substantia completa et integra in essentiâ et specie substantiæ. » *Metaphys.*, disput. xiii, sect. 3, c. ix. S. Thom., *Sum. Theol.*, p. 1, q. 44, a. 2. Et alibi : « Materia, quæ est in potentia ad formam, fit actu sub formâ, quod est facere compositum. » 7. *Metaphysic.*, lect. 7.

nec substantia completa. Illud principium, per quod materia fit aliquid determinatum, est *forma substantialis*. Vocatur a Suarezio : « Substantia quædam simplex et incompleta, quæ, ut actus materiæ, cum eâ constituit essentiam substantiæ compositæ (*Metaphys.*, disput. xv, sect. v, 1). » Brevius definiri potest : *Principium qualitatis, materiam determinans ad esse talis talisve speciei* (1).

Punctum secundum. — Omne corpus existentiam accipit vel per *creationem e nihilo*, vel per *generationem*, quandò scilicet aliqua substantia ex aliis substantiis educitur. Creatio, cui opponitur *annihilatio*, supponit principium extrinsecum; sed generatio procedit e viribus et principiis corporum intrinsecis. De creatione dicendum est in capite sequenti; hìc tantùm agitur de generatione, quæ vocatur etiam *productio*.

Juxtà scholasticos, doctrinam veterum admittentes, hoc modo explicari potest generatio rerum materialium : *mutatio* substantialis, de quâ dictum est in Ontologiâ (n. 77), duo supponit, *corruptionem* et *privationem* unius formæ, et *productionem* alterius formæ, secundùm adagium : *corruptio unius est generatio alterius*. Id est, subjectum seu materia non potest habere duas formas; ità, lignum non est simul lignum et cinis. Undè, corpus novam formam non acquirit, nisi prima *corrumpatur*. Sed, materia etiam non potest esse sine formâ; v. gr. lignum indiget principio, quo sit lignum. Undè, quùm

(1) « Materia recipit formam, ait S. Thomas, ut secundùm ipsam constituatur in *esse* alicujus *speciei*, vel aeris, vel ignis, vel cujuscumque alterius. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 50, a. 2, 2°. — Forma dicitur *substantialis* ut distinguatur a formis *accidentalibus*. Vocatur etiam *actus materiæ*, ut discriminetur a formis separatis; tales sunt Angeli, qui nuncupari solent *actus sine materiâ*. Illæ distinctiones necessariæ sunt iis qui scholasticæ studere præsumunt.

materia *privatur* formâ suâ, novam formam acquirere debet.

Forma hujusmodi non producitur e nihilo, sed « *educitur e potentiâ materiæ;* » nempè, forma, quæ priùs erat *in potentiâ*, fit *actualis* et realiter existens; seu, materia, quæ formam gignere *poterat*, mediantibus agentibus physicis, eam *actu* et realiter producit (1).

Mens autem humana, quùm sit *spiritualis* et *ratione* polleat, non sumit originem a generatione, et corrumpi nequit; sed nonnisi per *creationem immediatam* existere potest, et, soluto corpore, *superest* et *vivit*.

Punctum tertium. — In corporibus realiter *existentibus*, materia sine formâ concipi non potest, neque forma sine materiâ, nisi tantùm anima humana. Materia per formam ad hanc vel illam *speciem* determinatur, et forma per materiam fit *individua;* idcircò, forma dicitur in scholis principium *specificum*, et materia principium *individuans*.

Præter materiam et formam, e quibus componitur *substantia* corporum, reperiuntur etiam in rebus physicis proprietates accidentales, ut quantitas, qualitas et aliæ similes. Proprietates illæ perfici possunt et modificari; sed nullavis physica aut mechanica formam substantialem *immediatè* attingit; undè, *species* rerum dicuntur

(1) « Omnis forma, quæ educitur in esse per materiæ transmutationem, est forma educta de potentiâ materiæ; hoc enim est materiam transmutari, de potentiâ in actum educi. » S. Thom., *Summa contra Gent.*, p. II, c. 86. Item R. P. Liberatore. « Actum extrahi de potentiâ materiæ, nihil aliud est quam aliquid fieri in actu quod priùs erat in potentiâ. » S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 90. a. 2, ad 2. — Addit Sanseverino : « Cinis ab igne generari dicitur, quià, cessante combustione ligni, abit forma ignis eique forma cineris succedit; atque hæc a materiâ ignis educitur, quià materia ignis ad formam cineris in se recipiendam in potentiâ est (*Ontol.*). »

stabiles. (Cf. Buffon, Linnée, Flourens, Pasteur, Dumas, etc. (1).)

V. Expone atomismum.

10. *Atomismus* est triplex, *purus* seu *simplex*, *chimicus* et *dynamicus*.

1°, *Atomismus simplex :* — Atomismum simplicem, qui dicitur etiam a nonnullis *mechanicus*, acerrimè propugnarunt apud veteres Anaxagoras, Empedocles, Democritus, Leucippus, Epicurus, et ex parte renovarunt inter recentes Gassendi, Descartes, Newton, R. P. Secchi (2).

Omne corpus, ut aiunt, ex aliis corpusculis insecabilibus, videlicet *atomis* componitur. Atomi verò, licet exiguæ, præditæ sunt figurâ, extensione, gravitate, aliisque proprietatibus, quæ referuntur ad quantitatem.

Corpora gignuntur, inquit Epicurus, quùm atomi, per vacuum infinitum vagantes, fortuitò casu deflectunt et similes cum similibus cohærent; idcircò, nulla forma substantialis procreatur in generatione corporum; fit

(1) « Materia prima, inquit S. Thomas, non potest in rerum naturâ existere, quin aliquâ formâ formetur. » *Qq. disp.*, q. 4. — *Et ibidem*, q. 5 : « Forma non incipit esse nisi in materiâ. » — « Materia,... quæ est in potentiâ ad diversas species, determinatur ad unam *speciem* per formam. » S. Thom. *Quodlib.* III, a. 3. « Forma (autem),... quæ nata est esse in pluribus individuis, (per materiam) determinatur *ad individuum* (*loc. cit.*). »

(2) Motus vocatur *mechanicus*, si producitur in corpore vi quadam extrinsecâ; dicitur autem *physicus*, quùm e viribus corporum intrinsecis originem ducit. — De atomismo simplici, Cf. Tennemann, *Histoire de la Philosophie*. — Gassendi, *Syntagma philosophiæ Epicuri*; *Syntagma phylosophicum*. — Descartes, *Les principes de la Philosophie*, *Traité du monde* (consule Goudin, *Physica*). — Newton, *Optique*, traduction Coste. — R. P. Secchi, *L'unità delle forze fisiche*.

autem alteratio, vel corruptio, quùm atomi turbantur aut dissociantur.

Juxtà recentiores philosophos, atomi non sunt æternæ, nec per vacuum infinitum casu fortuito moventur; sed à Deo conditæ sunt et ità disponuntur secundùm leges sapientiæ Creatoris, ut varias efficiant substantias. Illa corporum diversitas ex atomorum conformatione præsertim exhauritur; de quâ tamen non consentiunt auctores, imprimis Descartes et Gassendi, quorum prior tres sufficiunt modò figuras, et alter innumeras moleculis primitivis elargitur.

2°, *Atomismus chimicus.* — Nonnulli philosophi, duce S. Tongiorgi, atomismum experientiis recentiorum accommodare voluerunt. Ecce præcipua eorum placita.

(A.) *Materia* vel est *ponderabilis*, vel *imponderabilis.* Materia imponderabilis non solùm in omni corpore sensibili reperitur; sed implet orbem physicum, et phænomena caloris, lucis aliaque similia producit (1). Materia verò ponderabilis existit solùm in rebus, quæ sensuum experientiam et oculorum aciem non fugiunt.

(B.) *Corpus,* ex utraque materiâ coalescens, potest esse *simplex*, aut *mixtum.* Corpus simplex componitur ex elementis ejusdem naturæ, v. gr. : *ferrum*, *sulfur*, *aurum;* corpus mixtum variis conflatur elementis, ut *aqua*, *lignum*, *aer.*

(1) Imponderabilis vocari solet, quià ponderari nequit; attamen gravitate pollet : « Bien que l'éther soit dit *impondérable,* faute de pouvoir en priver l'espace, il est *matériel* au plus haut degré.... La *pression* de l'éther est prodigieuse, comme le prouve du reste la mesure de son élasticité, dont la vitesse de propagation de la lumière n'est qu'un indice ; il ne faut considérer les effets de la foudre et des poudres fulminantes que comme une légère perturbation dans son équilibre. » A. Gaudin, *Architecture du monde des atomes*, p. 5.

(C.) Corpus dividi potest in partes innumeras, quæ vocantur moleculæ. Moleculæ corporum simplicium *homogeneæ* dicuntur et *integrantes;* aliæ verò moleculæ vocari solent *constituentes* ac *heterogeneæ*. Moleculæ integrantes aggregatione seu *cohæsione* uniuntur, et nullâ vi mechanicâ hucusque resolvi potuerunt in alias specie diversas; sed moleculæ constituentes *affinitate* tantùm sociantur, et analysi chimicâ solvi queunt, ut aquæ molecula, cujus analysis exhibet *hydrogenium* et *oxygenium*.

(D.) Iterum omnes moleculæ dividuntur in corpuscula quæ vocantur atomi, et constituunt, juxtà chimicos, ultima corporum elementa; undè, corpus est compositum ex atomis, quæ arte mirificâ inter se sociantur. Quùm autem major sit aut minor atomorum et molecularum affinitas, vel cohæsio, diversa sunt corpora, nempè *solida*, *liquida*, *aeriformia*. Insuper, atomi essentialiter præditæ sunt duabus proprietatibus, *extensione* et *resistentiâ*.

3°, *Atomismus dynamicus*. — Fautores *atomismi dynamici* (V. Cousin et H. Martin) docent corpora ex atomis componi; sed, præter extensionem et resistentiam, *activitatem* etiam seu *vires physicas* atomis primitivis largiuntur. Sed, activitas hujusmodi vel est corporibus *extrinseca* et *accidentalis;* vel est atomis *intrinseca* et *essentialis*. Si prius, atomismus dynamicus vix differt ab atomismo chimico; si posterius, parùm discrepat a systemate scholasticorum; activitas enim et vires physicæ sunt proprietates formæ substantialis, ut infrà videbitur (1).

(1) (* Nota : Utrùm vires physicæ sint atomis accidentales, aut essentiales, intrinsecæ vel extrinsecæ, non consentiunt auctores. Vide H

VI. Expone dynamismum.

11. Dynamismum exposuerunt aut ornarunt Pythagoras, Leibnitz, Wolf, Boscovich (*Philos. natur. theor.*), Dugald-Stewart, Kant, Ubaghs (*Du dynamisme*), Galluppius et alii non pauci.

Inter omnes eminet Leibnitzius. Juxtà eum, prima corporum principia sunt substantiæ simplices, seu *monades;* ideoque corpora nihil sunt, nisi complexiones substantiarum simplicium (1). Monades, quùm sint simplices, nullum spatium occupant, et nullâ extensione aut figurâ dotantur; sed in qualibet particulâ materiæ numerus earum est infinitus; undè, corpus dividi potest in infinitum. — Omnis substantia simplex aliquâ *perceptione* gaudere debet, gradu tamen diverso; sic, Monas absoluta, seu Deus cognoscit omnia; mens humana quasdam tantùm veritates assequitur; in monadibus autem infimis perceptio est solùm obscura, confusa, sine

Martin, *Philosophie spiritualiste de la nature :* « Les atomes, tels que nous les concevons, sont des substances non seulement étendues, mais douées d'une activité dynamique externe. » — Aliundè qui subtilem querelam, *de dualismo chimico* legere desiderat, adire potest Ampère, Berzelium, et D. Gaudin, *loc. cit.*, p. 14. *Dualismus* est systema eorum, qui contendunt omne corpus inorganicum e *binis componentibus* necessariò conflari. *)

(1) « La substance, ait Leibnitzius, est un être capable d'action. Elle est simple ou *composée*. La substance simple est celle qui n'a point de parties. La *composée* est l'*assemblage* des substances simples ou des *monades*. Les composés ou les corps sont des multiples; et les substances simples, les vies, les âmes, les esprits sont des unités. Et il faut bien qu'il y ait des substances simples partout, parce que, sans les simples, il n'y aurait point de composés : et, par conséquent, toute la nature est pleine de vie. » *Principes de la nature et de la grâce fondés en raison*, 1. Item *Monadologie*, 4, 5, 6, 14, 19. — « Les derniers éléments dont se compose la matière, sont des atomes sans *étendue*. » Dugald-Stewart, *Essais philosophiques*.

conscientiâ. — Quadam activitate intrinsecâ pollent monades; attamen in se mutuo destituuntur influxu, ità ut ad formandum corpus immediata Dei actio requiratur (*Monadol.*).

Hanc doctrinam emendans, Boschovichius docuit monades esse quidem innumeras, sed non infinitas, nec materiam esse divisibilem in infinitum, nec perceptionem illis inesse monadibus, quæ materiam componunt. — Monades, ut asseruit idem philosophus, præditæ sunt « *vi attractivâ* et *vi repultrici;* » vi attractivâ copulantur, sed, propter vim repultricem, nequeunt invicem penetrari et semper minimo distant intervallo; hinc phænomena extensionis oriuntur, et sic deinceps formantur corpora.

Præter vim attractivam et repultricem, vim « *expansivam* » ut fundamentum extensionis admisit Kantius, in opere cui titulus, *Elementa metaphysica physicæ*. Illud systema nonnulli revocant ad theoriam scholasticam; sed in mente auctoris nihil esse videtur, nisi tantùm idealismus transcendentalis, et absolutus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De systematum criticâ.

1. Quid sentiendum de tribus philosophorum sententiis, circà naturam corporum?

12. Si licet, in tanto opinionum conflictu, unam sententiam præ cæteris admittere, scholasticorum theoriæ libenter adhæremus; hæc enim videtur in se *probabilior*, et *tutior* in consectariis. Atomismus etiam quocumque modo propugnetur, non exhibet *essentiam corporum*, et dynamismus est *hypothesis* merè *gratuita;* aliundè, ato-

mismi fautores ad *solam quantitatem*, et dynamistæ ad *solam qualitatem* rerum materialium attendunt; scholastici verò duplex principium corporibus inesse propugnant, unum *quantitatis* et alterum *qualitatis*. Undè sit

PROPOSITIO.

Systema scholasticum, de materiâ et formâ, præ cæteris admittendum esse videtur.

Probatur. — Illud systema est admittendum, quod rationem sufficientem seu causam phænomenorum et proprietatum certò existentium *solum* exhibere potest; atqui, tale est systema scholasticum de materiâ et formâ; ergò, admittendum est. — Major patet. — Minor probatur *directè* et *indirectè : directè*, et hoc duplici modo, *ratione* scilicet et *auctoritate; indirectè*, id est *debilitate argumentorum*, quibus alia systemata nituntur, et *solutione difficultatum*, quæ ab adversariis afferri solent.

II. Evolve argumenta directa et ex ratione.

13. (A.) *Ex variis corporum proprietatibus.* — Nempè, proprietates essentialiter distinctæ et oppositæ dimanant a principiis diversis. Sed, corporum proprietates sunt essentialiter distinctæ et oppositæ; nam, experientiâ constat omnibus corporibus inesse *extensionem* et *activitatem;* extensio autem passivitatem, *inertiam*, divisibilitatem requirit, dùm activitatis seu *motûs* principium, ut scripsit M. Liberatore, « per se dicit *unitatem*, simplicitatem, negationem partium et divisionis (*Cosmol.*). » Ergò, corporum essentia duobus elementis primigeniis

coalescit, scilicet principio *extensionis aut inertiæ*, et principio activitatis aut *motûs* (1).

(B.) *Ex variis corporum speciebus.* — Corpora enim, orbem physicum componentia, *specie* seu naturâ differunt; v. gr. *ferrum* et *lapis*, *aqua*, *lignum* et *terra;* sed, illa rerum diversitas supponit duo principia, materiam et formam; ergò, corporum essentia conflatur materiâ et formâ. Major patet; diversitas enim rerum physicarum facilè demonstratur e qualitatibus corporum et præsertim e figuris externis; nam, ut paululùm attendenti constat, lapis non est lignum, et aqua differt a terrâ (2). Quod evidentius etiam apparet in vegetalibus et in animalibus; nam quercus et salix, canis et asinus, arbor et animal specie seu naturâ distinguuntur. Minor quoque demonstrari potest; etenim, in corporibus non paucis eadem materia, eadem elementa, eadem compositio et eadem quantitas reperiuntur; ità saccharum et acetum, vegetalia et animalia nonnulla, *quoad materiam*, essentialiter inter se non distinguuntur; attamen, *quoad speciem*,

(1) « Principia essentiam rei constituentia optimè manifestantur ex ejusdem rei proprietatibus. Atqui proprietates corporum, undecumque considerentur, materiam et formam patefaciunt. » R. P. Liberatore, *Cosmol.*, c. II, a. 3. — Idem argumentum evolvens Leibnitzius, dixit : « Essentiam corporis consistere in materiâ et formâ substantiali, hoc est in principio *passionis* et *actionis;* substantiæ enim est agere et pati posse. Itaque materia est prima potentia passiva, forma autem substantialis est actus primus, sive prima potentia activa. » *Systema theologicum.*

(2) « Inter omnes qualitates, ait sanctus Doctor, *figuræ* maximè consequuntur et demonstrant species rerum. Quod maximè in plantis et animalibus patet : in quibus nullo certiori judicio diversitas specierum dijudicari potest, quam diversitate figurarum..... Et ex hoc contingit, quod imago, quæ est expressa rei repræsentatio, secundùm figuram potissimè attendatur magis quam secundùm colorem vel aliquid aliud. » VII *Physic., lect.* 5.

omninò differunt; ergò, necessarium est alterum principium a materiâ distinctum admittere, nempè formam substantialem (1).

(C.) *Ex corporum compositione.* — Corpus e naturâ suâ est compositum, ut fatentur omnes. Sed, in omni composito *duplex* est *realitas;* nempè, realitas quæ perficitur, et realitas quæ perficit; id scilicet *ex quo* fit compositum, et id *quod* facit compositum (Cf. *Ontol.*, n. 76). Undè, corporum essentia coalescit duobus principiis, quæ sunt materia *determinabilis* et forma *determinans.*

(D.) *Ex origine corporum.* — Substantia corporea incipit esse per *generationem* aut *creationem.* Atqui, generatio et creatio in hoc differunt, quod per creationem substantia educitur e nihilo, dum per generationem producitur e mutatione, quæ fit in rebus jam existentibus. Sed, mutatio illa substantialis requirit *materiam* seu *subjectum*, « quod aliter se habeat » *post* mutationem, quàm erat *anteà*, seu subjectum in quo una forma corrumpitur et altera recipitur ; quod autem in se sumptum sit indifferens ad hanc aut illam formam, et habeatur ut « mera *potentia*, seu merum receptivum formarum, » ut aiunt scholastici (Cf. Zigliara, *Cosmol.*). Ergò, vel duplex est principium in rebus physicis, *materia potentialis* et *forma substantialis*, vel productio, quæ dicitur generatio, concipi non potest.

(1) Hanc assertionem confirmant quotidiana chimicorum experimenta : vide *Rapports à l'Académie des Sciences*, an. 1872, 1873, 1874. Quidam philosophi existentiam formæ demonstrant ex hominis naturâ : homo, aiunt, materiâ simul et formâ coalescit; ergò, *ex analogiâ*, omne corpus necessariò componitur materiâ et formâ substantiali. Vide M. Rosset, *Ontolog.*, p. 303. — « Prima igitur ratio sit, inquit Suarez, nam homo constat formâ substantiali, ut intrinsecâ causâ; ergò et res omnes naturales. » *Metaphys.*, disp. xv, sect. 1, 6.

III. Quid dicendum de argumento directo et ex auctoritate?

14. Illud systema est probabilius, quod cæteris auctoritate præcellit; atqui, tale est systema scholasticum de materiâ et formâ; ergò, jurè dicitur probabilius.

Imprimis, divus Thomas, Platonis, Aristotelis et sancti Augustini doctrinam perpoliens, apertè docuit *materiam* per *formam* « contrahi » ad determinatam *speciem* (*Sum. Theol.*, p. I, q. 44, a. 2); *formam* autem, quæ « nata est esse in pluribus individuis, » per *materiam* determinari ad *individuum* (*Quodlib.* III, a. 3); et alia similia in quibus asserit materiæ ac formæ *distinctionem* et *necessitatem*.

Deinceps cum sancto Doctore scholastici, paucis tantum exceptis (Guil. Occam), eamdem sententiam propugnârunt, et Suarezius meritò scribere potuit : « Jam verò est hoc dogma ità receptum in philosophiâ, ut sine magnâ ignorantiâ id negari non possit; estque ità consentaneum veritati fidei christianæ, ut ejus certitudo non parùm inde augeatur (*Metaphys.*, dist. xv). » Ipse Leibnitzius, dynamismo rejecto, theoriam Aristotelis saltem aliquo sensu amplexus est (1).

(* Sedulò tamen notandum est illud systema non esse « fidei proximum, » ut quidam voluerunt; imò, dynamismi et atomismi fautores « *justam hanc libertatem,* » quam agnoscit Vaticanum Concilium, sibi vindicare possunt. Nullâ igitur censurâ

(1) Ecce verba Leibnitzii : « Au commencement, lorsque je m'étais affranchi du joug d'Aristote, j'avais donné dans le vide et dans les atomes, car c'est ce qui remplit le mieux l'imagination; mais en étant revenu après bien des méditations, je m'aperçus qu'il est impossible de trouver les principes d'une vraie unité dans la matière seule, ou dans ce qui n'est que passif, puisque tout n'y est que collection ou amas des parties à l'infini. Or, la multitude ne pouvant avoir sa réalité

plectendi sunt auctores, qui « propriis (utentes) principiis et propriâ methodo, » ad hanc aut illam opinionem abeunt; et nos, « modestiæ et charitatis memores (R. P. Liberatore), » sic agere debemus, ut nihil minùs gratum minusve rectum proferamus ergà fratres et amicos.

Hæc solummodò tenemus : 1°, Systema scholasticum de materiâ et formâ dogmati christiano et assuetæ theologorum normæ loquendi, præ cæteris philosophorum sententiis, aptatur; 2°, ejusdem systematis certitudo saltem aliquatenùs augetur nonnullis Ecclesiæ decretis.

Annum versus 1215, voces *materia* et *forma* usurpatæ fuerunt ad illustrandum dogma catholicum de Sacramentorum elementis constitutivis (Guil. Antiss.). « A tempore (illo), ait Billuart, hæ voces materia et forma, respectivè ad Sacramenta, fuerunt communiter receptæ in scholis, et usu ac sanctionibus Ecclesiæ consecratæ (*Sum. S. Thom.*). » Iisdem etiam terminis uti solent theologi, disserentes de actibus humanis, et distinguunt peccatum *materiale* a peccato *formali*.

Materia dicitur illud, quod e naturâ suâ indifferens est ad diversos effectus producendos, sed per aliud *determinari* potest et perfici; v. gr. panis, vinum, aqua, oleum. Forma autem materiam *determinat* et perficit : « Illud habet rationem materiæ, quod est determinabile et perfectibile per aliud; illud habet rationem formæ, quod est alterius determinativum et perfectivum... Sic aqua est indifferens ad significandam ablutionem et refrigerationem; quùm autem dicitur : Te baptizo, determinatur ad significandam ablutionem spiritualem (1). »

que des unités véritables, qui viennent d'ailleurs et sont tout autre chose que des points, dont il est constant que le continu ne saurait être composé; donc pour trouver ces unités réelles, je fus contraint de recourir à un atome formel, puisqu'un être matériel ne saurait être en même temps matériel et parfaitement indivisible, ou doué d'une véritable unité. Il fallut donc rappeler et comme réhabiliter les *formes substantielles.* » *Œuvres philosophiques, Système nouveau de la nature.* Leibnitzii tamen sententia differt a systemate scholasticorum.

(1) Billuart, *Sum. S. Thom.* — « Sacramentorum *materia*, inquit

Sed, ut jam multoties diximus, per materiam in corporibus intelligitur principium *determinabile* ac *perfectibile;* per formam autem exprimitur principium *determinans* et *perficiens;* ergò, systema scholasticum de materiâ et forma dogmati christiano et assuetæ theologorum normæ loquendi, præ cæteris philosophorum sententiis, aptatur.

Ejusdem systematis certitudo saltem aliquatenùs augetur nonnullis Ecclesiæ decretis. Concilium Viennense, ut præcluderetur « universis erroribus aditus, » sanxit definitione : « Quod quisquis asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit *forma* corporis humani per se et essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus. » Item, Concilium Lateranense declaravit animam esse verè et essentialiter humani corporis *formam;* nostris quoque diebus, Summus Pontifex, Pastor vigilans et Doctor infallibilis, Guntheri errores profligans, ait : « Noscimus, iisdem libris lædi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ità absolvitur, ut anima eaque rationalis sit vera per se, atque immediata corporis *forma.* »

Ex his textibus aliisque similibus asserere oportet theoriam scholasticam de materiâ et formâ, esse certam atque tenendam in iis, quæ referuntur ad compositum humanum; sed, duce Suarezio (*Metaphys., disp.* xv), meritò dicere possumus *analogiam* esse inter corpus humanum et alia corpora; ergò, per *analogiam*, concludere fas est omne corpus absolvi materiâ et

D. Bonal, est pars signi sacramentalis de se plùs minusve indifferens ad hoc vel illud significandum; *forma* verò est pars ejusdem signi primæ parti accedens, eamque determinans ad talem effectum gratiæ interioris propriè et exclusivè significandum et producendum. » *Institutiones theologicæ,* edit. 10, t. III, p. 305. Hæc sunt verba S. Thomæ : « Ad perfectionem significationis sacramentalis, necesse fuit ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba *determinaretur;* aqua enim significare potest et ablutionem, propter suam humiditatem, et refrigerium, propter suam frigiditatem; sed quùm dicitur : « Ego te baptizo, » manifestatur quod aquâ utimur in baptismo ad significandam emundationem spiritualem. » *Sum. Theol.,* p. III, q. 60, a. 6.

formâ; ideoque systematis thomistarum certitudo saltem aliquatenùs augetur nonnullis Ecclesiæ decretis. *)

IV. Expone argumentum indirectum.

15. Atomismus, quocumque modo propugnetur, *naturam* seu *essentiam* corporum explicare et phænomenorum certò existentium rationem sufficientem exhibere nequit. Undè, sic argumentari licet : illud systema rejicitur, quod est merè *transitus de genere ad genus;* atqui, talis est atomismus; ergò, rejicitur. Major constat. Probatur minor. Atomismus inspicit naturam physicam et compositionem *chimicam*, essentiam verò *suprasensibilem* et *metaphysicam* non attingit; id est, sistitur in ordine *empirico*, meritoque dici potest initium et fundamentum Cosmologiæ; sed non est systema *philosophicum* (1).

Illud enim systema non est philosophicum, quod experientiam non prætergreditur; atqui, talis est atomismus; ergò, non est systema philosophicum. Major ex ipsâ philosophiæ naturâ defluit; nam, philosophia tractat de ultimis rationibus, quæ solis experientiis agnosci non possunt. Item, minor evidens est; etenim, atomi sunt corpuscula, gravitate et extensione prædita, quæ nonnisi *tenuitate* differunt a cæteris corporibus.

Item, principia corporum constitutiva non possunt esse corpora; sed, atomi sunt corpora; ergò, atomi non sunt principia corporum constitutiva. Major patet; quærimus enim elementa constitutiva seu prima principia, quæ in alia resolvi non possint (S. Thom., *de Cœlo*, lect. VIII); corpus autem, etiam tenuissimum, coalescit partibus,

(1) Ad atomismum in genere referri possunt hæc verba Dⁱ Gaudin : « En général, les idées que nous nous formons sur la manière d'être de la matière sont tout à fait bornées; nous sommes à cent lieues de la réalité. » *Architecture du monde des atomes.*

varias qualitates sortitur, et illius elementa resolvi possunt in alia primigenia. Minor, fatentibus ipsis atomismi fautoribus, experientiâ constat; videlicet, atomi sunt corpuscula, non solùm integrè constituta, sed etiam innumeris conflata partibus, ità ut, saltem cogitatione, dividi queant in infinitum. Ergò, atomi non sunt principia corporum constitutiva. Idem a fortiori dicendum de atomorum dispositione; nam,

Phænomena, quæ referuntur ad qualitatem, v. gr.: motus quàm celerrimus (1), alimentorum sapor, familiæ plantarum, et alia similia, nec in ipsis atomis quatenùs sunt *materiales*, nec in mirâ atomorum dispositione rationem habent sufficientem; idcircò rejicitur atomismus, quocumque modo propugnetur, et qualitates corporum, motus, sapor, omnesque *vires physicæ* requirunt principium a materiâ distinctum. Et sane, phænomena quotidiè ab omnibus experta, non sunt sibimetipsis causa sufficiens; idem est dicendum de atomorum dispositione, quæ nullam qualitatem intrinsecam rebus materialibus adjicere potest. Ipsæ tandem atomi chimicæ non sunt principia primigenia, neque ratio sufficiens eorumdem phænomenorum; quià nonnunquam, in corporibus omninò diversis, eadem reperiuntur elementa; et etiam, annuentibus doctissimis Lockyer, Dumas, Janssens, Wurtz, de Parville (2), cum aliis non paucis, elementa corporum in

(1) « La vitesse d'un convoi de chemin de fer est la résultante de la percussion des molécules de vapeur d'eau sur le piston, par l'intermédiaire de l'éther qui leur sert en quelque sorte de matelas, et bien que la masse de ces molécules de vapeur d'eau soit presque insignifiante, cela est composé par le carré de leur vitesse, qui est excessive, et dont l'effet se répète des millions de fois par seconde. » D. Gaudin, p. 15-16.

(2) « La *composition* de l'éther sulfurique, nommé aussi d'une façon

unum et idem elementum resolvi possunt, nec *essentialiter* inter se differunt *quoad materiam*. Quinimò non desunt corpora, in quibus eadem est *compositio* chimica (Cf. Acad. Scient., an 1874); in eis igitur differentia *essentialis* non oritur a materiâ, nec a compositione, nec a dispositione atomorum. Ergò, principium a materiâ dictinctum requiritur.

Insuper, atomismus in suis consequentiis materialismo favere videtur; reverà, si variæ corporum proprietates e solis atomis, aut ex illarum dispositione defluant, vita forsitan in animantibus et cogitatio in homine tribui possunt organorum dispositioni, vel atomorum et molecularum aggregationi, quod enixè respuunt plerique atomismi fautores.

Atomismus igitur, quocumque modo propugnetur, est rejiciendus, essentiam enim corporum exhibere nequit. Attamen recentiorum atomismus progressui scientiarum naturalium, et ipsi philosophiæ validum affert auxilium.

Atomismus experientiis nititur; *dynamismus* autem est systema *a priori*. Undè, sic argumentari licet : dynamismus est hypothesis gratuita, repugnat experientiæ, necnon ad idealismum propellit; idcircò rejicitur.

Dynamismus est hypothesis merè gratuita, nempè systema *a priori*, quod nullo fundamento reali nititur; repugnat experientiæ, nam, evidens est extensionem, materiam, corpus, non esse meram aggregationem sub-

plus générale oxyde d'éthyle, est tout à fait *la même* que celle de l'alcool butylique, et ils ont l'un et l'autre la même densité de vapeur. » D. Gaudin, *Architecture du monde des atomes*, p. 202. Econtrà, *ler mathematica* compositionis chimicæ non existit in rebus organicis. — « La structure des composés chimiques n'est soumise qu'à *la loi mathématique*, tandis que dans la *matière organisée, la loi mathématique* a été *éludée*. » Ibidem, p. 3.

stantiarum simplicium in sensu Leibnitzii, nec effectum vi attractivâ et repultrici productum, ut voluit Boschovichius.

Dynamismus ad idealismum propellit; nam, si Kantii verbis uti velimus, corpora, extensio, materia nihil sunt, nisi *phænomena*. Boscovichius ipse statuit extensionem corporum esse « *phænomenicam* et *apparentem;* » atqui, sublatâ extensionis realitate objectivâ seu continuâ, necesse est ut admittatur idealismus; ergò, dynamismus ad idealismum propellit, et idcircò rejiciendus est.

Insuper, dynamismus phænomena, quæ referuntur ad quantitatem, præcipuè gravitatem, explicare nequit; etenim, fieri quî potest ut extensio solùm apparens phænomena quantitatis, gravitatis et alia similia producere possit? Aliundè, stat inconcussum scholasticæ principium : *non est actio in distans;* videlicet inter agens et actum requiritur præsentia immediata, aut saltem aliquod medium interpositum. Illud principium experientiis hodiernis confirmatur, et, juxtà omnes scientiarum naturalium magistros, inter oculos et objectum in perceptione sensuum, inter motum et motorem in viribus mechanicis, inter atomos ipsas in compositione corporum, existit elementum quod vocari solet *æthereum*. Sed, huic principio contradicunt Boscovichius et Kantius, asserentes *vacuum* reponendum esse inter monades seu substantias simplices; ergò, iterum rejicitur *dynamismus*. Prætereà, *atomismus* non explicat essentiam corporum. Ergò, stat propositio; id est *requiruntur* et *sufficiunt materia* et *forma*.

V. Solve difficultates.

(* 16. Object. I. Illud systema est rejiciendum quod scientiis physicis condradicit; atqui, systema scholasticum, de materiâ

et formâ, contradicit scientiis physicis; ergò, rejiciendum est.

Resp. *Transeat major. Nego minorem.* In systemate scholasticorum, secerere debemus partem *experimentalem* et partem *theoricam*, seu *physicam* et *philosophicam* propriè dictam; jam nemo est qui dubitet scientias physicas veterum in nonnullis contradicere placitis recentiorum; sed, theoria philosophica de duobus elementis, quibus corporum essentia componitur, non *opponitur* scientiis physicis, sed illas *transcendit*. Imò, ea, quæ dicta sunt de materiâ et formâ, quodammodò confirmari possunt ex dictis recentiorum; nam,

1°, *Materia*, juxtà scholasticos, indifferens est ad hanc vel illam formam recipiendam, et communis esse debet omnibus corporibus. Item, inter cultores scientiarum naturalium, multi, post Lockyer, Dumas, Janssens, Wurtz, de Parville, contendunt omnia corporum elementa, quæ *materiam* et *extensionem* constituunt, ad unitatem revocari posse; sic probabilius atomi primitivæ coalescunt elemento quod dicitur « *æthereum*, » ex æthereo *hydrogenium* et deinceps ex hydrogenio alia corpora formantur (1).

2°, Aliundè, diversa corporum genera, species, activitas, motus, vires physicæ soli materiæ tribui nequeunt, ut luculenter probatur ex iisdem recentiorum experientiis; undè, requiritur principium a materiâ distinctum, et illud principium vocari potest *forma substantialis*.

De generatione seu mutatione substantiali, major est difficultas. Sed, in hoc tantùm esse potest differentia : auctores scientiarum physicarum mutationem *accidentalem* et phænomena *sensibilia* rerum materialium explicant; dùm scholastici mutationem *substantialem* et *intrinsecam* exhibent. Ili sunt *philoso-*

(1) « On est porté à penser que les atomes chimiques sont formés de particules d'éther agglomérées..... Aujourd'hui l'on imagine encore autre chose : l'atome d'hydrogène étant lui-même formé de particules d'éther agglomérées, ce serait lui ensuite qui s'agglomérerait en nombre de plus en plus grand pour former les atomes de plus en plus pesants. » A. Gaudin, *L'architecture du monde des atomes*, p. 22.

phi; illi verò *physici;* sed non propugnant « dogmata » essentialiter opposita, ut asserit R. P. Tongiorgi (*Cosmol.*, l. I, c. II).

Object. II. Privatio est mera negatio; atqui, mera negatio non potest dici principium; ergò, privatio non est principium.

Resp. *Distinguo majorem : privatio* est negatio entitatis *debitæ, concedo;* est merè *nihilum, nego. Distinguo* minorem : negatio seu privatio entitatis debitæ non est principium, *ex se* et positivè, *concedo; per accidens, nego. Distinguo consequens :* privatio non est principium *ex se, concedo; per accidens, nego.* Id est, privatio alicujus entitatis debitæ potest esse *causa* per accidens; ex. gr. privatio cibi aut sanitatis est causa mortis. Ità, in mutatione substantiali, *corruptio unius formæ* dicitur *per accidens generatio alterius formæ*, eò quod materia non potest esse sine formâ. Econtrà, *generatio unius formæ* dicitur *corruptio alterius formæ*, eò quod idem compositum substantiale non potest habere duas formas seu duo principia *specifica.*

Obj. III. Intelligi non potest quid sit materia prima; nam, Aristoteles eam definit, « *non quid, non quantum, nec aliud quidpiam, per quod ens determinatur;* » quod sanè intelligi nequit. Ergò, materia prima non potest admitti ut realitas seu principium a formâ distinctum.

Resp. *Nego antecedens* et *consequens.* Materia non est *quid*, scilicet non est substantia *integra,* sed pars tantùm substantiæ; non est *quantum*, seu non est *extensa*, sed habetur ut *radix* quantitatis; non est *aliud quidpiam* per quod ens *determinatur,* videlicet non est principium *determinans*, sed principium *determinabile;* forma enim sola est principium, quod materiam perficit et determinat ad esse talis talisve speciei : « Materia, inquit sanctus Thomas (*Sum. Theol.*, p. I, q. 50, a. 2, ad 2^{um}), recipit formam, ut secundùm ipsam constituatur in esse alicujus speciei, vel aeris, vel ignis, vel cujuscumque alterius. » Undè, apparet solutio aliarum difficultatum, quæ ab adversariis afferri solent.

Ex dictis, conclusio sequens inferri potest. Dynamismus *extensionem* corporum; atomismus verò *qualitatem* explicare

nequit. — Theoria autem Aristotelico-scholastica, quæ celeberrimos inter recentiores habet magistros, ut Sanseverino, Liberatore (1) et Zigliara, tùm *quantitatis*, tùm *qualitatis* omniumque *phænomenorum* ad eas referendorum principia exhibet. — Attamen, in systemate *veterum*, præsertim de compositione ac genesi corporum, haud pauca reperiuntur, quæ recentibus physicorum et chimicorum experientiis opponuntur. Undè, systema *neoscholasticum* eligendum est. — In eo duæ sunt partes distinctæ, una *experimentalis*, altera verò *theorica*.

Pars experimentalis, quæ inductionis ope corpora *in fieri*, ut aiunt, et *in facto esse* perlustrat, recentiorum *inventis* innititur. In parte theoricâ, statuitur necessitas admittendi, præter atomos et moleculas, duplex principium constitutivum, *materiam et formam*. Illæ sunt substantiæ inextensæ et incompletæ, quarum prior dicitur principium quantitatis, et posterior qualitatis; ex utriusque unione conflatur corpus, quod idcircò est *substantia composita* e duobus principiis, *materiâ* scilicet et *formâ*. Eaque principia *requiruntur*, sed *sufficiunt*. *)

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA ORBIS PHYSICI.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de naturâ orbis physici?

17. Postquam inspeximus ea, quæ pertinent ad essen-

(1) « Systemati scholasticorum adhærendum puto, ait R. P. Liberatore; ad quod, præter rationes allatas, tres aliæ impellunt. Primùm, quià systema hujusmodi mediam viam incedit inter duo extrema contraria, et dualitatem servat ad essentiam corporum explicandam omninò necessariam..... Secundò, quià..... homo, animalia, plantæ, pro constitutione propriæ naturæ exigunt præter materiam formam substantialem..... Tertiò, quià essentialis distinctio inter corpora et spiritus multò meliùs intelligitur, si dicatur quod spiritus sunt simplices in ratione substantiæ, corpora e contrariò in ratione substantiæ sunt composita. » *Cosmol.*, edit. 3ª, p. 73.

tiam cujuslibet corporis *in se* sumpti, tractare debemus de corporum *universitate ;* imprimis dicendum est qui sint *characteres*, et deindè quæ sit *origo* mundi seu orbis physici; undè, duo articuli : 1^us^, de *characteribus* orbis physici; 2^us^, de *origine* mundi.

ARTICULUS PRIMUS.

De characteribus orbis physici.

II. **Quot sunt præcipui characteres orbis physici?**

18. Quatuor sunt characteres, qui comperiuntur *in* orbe terrarum; mundus scilicet est undequaque *compositus*, jurè dicitur *mutationi* obnoxius, non est necessarius sed *contingens*, et ultimò tandem vocatur *finitus* (Cf. *Ontol.*, n. 74-78). Undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Mundus est compositus, mutabilis, contingens et finitus.

III. **Proba mundum esse compositum.**

19. Mundus est undequaque compositus; corpora enim, quibus conflatur orbis physicus, spectari possunt vel in suâ *essentiâ* aut *existentiâ*, vel in suis *accidentibus* aut *partibus*. Porrò, sub his aspectibus diversis, meritò dicuntur composita. 1°, Quoad *essentiam :* ens simplex non corrumpitur; sed, corporum essentia corrumpitur, ut experientiâ constat; v. gr. e ligno fit cinis; ergò, corporum essentia non est simplex. 2°, Quoad *existentiam :* nempè, corpora non existunt essentialiter; in eis igitur existentia differt ab essentiâ. 3°, Quoad *partes :* corpora sunt extensa et ideò constant partibus diversis; ex. gr. pedes non sunt brachia; item, orbis terrarum coalescit

rebus materialibus *numericè* distinctis; utputà, lapis non est arbor. 4°, Quoad *accidentia* : variæ sunt proprietates corporum, ut extensio, gravitas, activitas. Ergò, indubium est orbem physicum esse undequaque compositum (1).

IV. Proba mundum esse mutabilem.

20. Mundus nihil est nisi rerum materialium complexio et compages; sed, res materiales subjiciuntur perpetuis mutationibus; ergò, mundus est mutabilis. Major patet. Minor etiam experientiâ constat. Res enim, quibus componitur orbis terræ, perpetuò mutantur et secundùm locum, et secundùm qualitatem, et secundùm existentiam; aliæ moventur in spatio; aliæ incipiunt esse; aliæ verò dissolvuntur.

V. Proba mundum esse contingentem.

21. Ens contingens illud est, quod non est essentialiter, sed quod posset non esse; porrò, talis est mundus; ergò, non est necessarius, sed contingens. Probatur minor. Singula corpora, quibus orbis terræ conflatur, possent non existere; v. gr. facilè concipimus solem, terram, aquam, aerem non existentem; quùm autem orbis physicus nihil sit, nisi corporum universitas, jurè infertur eum esse contingentem.

VI. Proba mundum esse finitum.

22. Impossibile est quantitatem seu molem esse infinitam; item, numerus actu infinitus rationi contradicit

(1) (* Nota : Compositio corporum dicitur a scholasticis : *essentialis, entitativa, integralis, numerica* et *accidentalis*, prout respicit *essentiam, existentiam, partes, numerum* et *accidentia* rerum materialium. *)

(Cf. *Ontol.*, n. 78). Sed, mundus non potest esse infinitus, quin sit moles infinita et numerus actu infinitus. Ergò, mundus non est infinitus. Probatur minor. Corpora, ex unâ parte, sunt extensa, et, ex alterâ parte, plura sunt corpora; undè, vel corpora ratione extensionis et numeri sunt infinita, vel corporum universalitas seu mundus est finitus. Atqui, prius falsum est; ergò, posterius est verum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De origine mundi (1).

I. Statue sensum quæstionis.

23. Ut dictum est suprà, principia generalia corporum, de quibus philosophi disceptant, dicuntur *intrinseca* vel *extrinseca;* principia intrinseca sunt, juxtà scholasticos, materia et forma; præcipuum verò ultimumque principium extrinsecum vocari solet causa efficiens et *creatrix,* per quam orbis physicus sumpsit originem. Undè, postquam dictum est de causis intrinsecis, logicè dicendum est de causâ intrinsecâ seu *creatione* rerum mundanarum; intellectus enim, naturà intrinsecà corporum sedulò perpensà, originem eorum attentè disquirit.

(1) De *creatione,* sic se habet Concilium Vaticanum : « Si quis non confiteatur, mundum resque omnes, quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundùm totam suam substantiam a Deo *ex nihilo* esse productas... anathema sit. » Concil. Vatic., can. I, n. 5. — Audi poetam :

« Quam pulchrum est in principiis, in origine rerum
» Defixisse oculos et nobile mentis acumen!
» Pervolat huc sapiens, nugæ sunt cætera vulgi. »

Card. de Polignac, *Anti-Lucret.*

II. Quid est creatio?

24. Creatio definiri potest : *Productio substantiæ e nihilo* (1). Dicitur *productio*, quià substantia, priùs non existens, per creationem incipit esse. Productio *substantiæ*, nam creatio non est simplex modificatio rei jam existentis. *E nihilo*, siquidem in creatione substantia non educitur ex alià substantià, ut fit in generatione : « Significat creatio effectionem alicujus rei ex nihilo, ut theologi definiunt, ait Suarez. Illa autem particula *ex nihilo*, ut distinguat hanc actionem ab aliis, excludit omnem concursum causæ materialis (*Metaphys.*, disp. XX, et S. Anselmus, *Monolog.*). » Undè, creatio jurè definitur a nonnullis : « Productio entis e nihilo *sui* et *subjecti*. » E nihilo *sui*, quià creatio non est modificatio, sed productio rei non existentis; e nihilo *subjecti*, nam in creatione nullus admittitur causæ materialis concursus.

III. Quæ sunt philosophorum sententiæ, de creationis dogmate?

25. Dogma creationis tot et tantis difficultatibus pollet, ut inter philosophos revelationis ignaros, aut infensos, vix unus ad veritatem unquam accesserit.

Imprimis Thales, Anaximenes et Anaximander, Leucippus, Democritus et Epicurus, cum ipso Platone, diverso quidem sensu, docuerunt mundum non ab æterno

(1) Per creationem designatur apud philosophos christianos, « Productio totius *esse* rei ex nihilo, ità ut nihil anteà exstet, ex quo res educatur; » seu, « emanatio totius *esse* ex *non ente*, quod est nihil. » — Cf. *Compendium* juxtà mentem Cajetani Sanseverino, *Cosmol.*, c. VII, De mundi origine. — « Creatio est productio entis ex nihilo. » *Breviarium theologicum*, auctore Polmano, n. 485. — S. Thom., *Sum. theol.* p. I, q. 45, a 1, c. — « Creatio est effectio rerum ex nihilo. » R. P. Tongiorgi, *Cosmol.*, lib. II, c. II.

exstitisse, sed e materiâ æternâ fuisse variis mutationibus effectum. Ità transformistæ non pauci (Lamarck, Walace), vel atheismi fautores (Büchner, etc.).

Nonnulli docuerunt mundum, cum ordine, legibus et motu, cujus motor est Deus in centro positus, non incepisse per creationem, et nullam passum esse modificationem essentialem. Ità sentiunt quidam Germani recentes.

Non defuerunt, præsertim inter Orientales, ut Indi, Sinenses, Ægyptii et Persæ, qui voluerint orbem terrarum aut a divinâ substantiâ non distinguendum esse, aut ab eâ per emanationem ortum habuisse. Cum his consentiunt ferè omnes Pantheistæ, de quibus dicendum est in Theologiâ naturali.

Alii, cum Neoplatonicis, autumarunt orbem physicum e nihilo fuisse conditum, sed ab æterno; scilicet, ut aiunt, mundus ab æternitate creatus est a Deo. Inter eos quidam prolapsi sunt in pantheismum (1).

Catholici verò, divinâ revelatione freti, mundum a Deo per creationem e nihilo fuisse conditum unanimiter asserunt; omnesque pariter *fide* credunt mundum non ab æternitate, sed in tempore factum esse a Deo, ut docet Moyses in libro *Genesis* (c. I, v. 2, etc.).

Contendunt autem utrùm Deus potuisset ab æterno mundum condere; scilicet utrùm possibilitas *creationis æternæ* rationi repugnet. Multi, post sanctum Tho-

(1) Hanc sententiam tenuit Origenes. Apud nos Voltaire, Cousin, Saisset, nomen creationis servant; rem verò floccifaciunt, ut videbitur infrà. Alii autem scepticismum seu dubium universale circà creationem apertè propugnant; ex. gr.: Positivistæ, Littré, Taine, et etiam idealista P. Janet, *Revue des Deux-Mondes*, 1874. — De erroribus circà creationem lege R. P. Sambin, *Histoire du Concile œcuménique et général du Vatican*, p. 74-78. Item DD. Manning.

mam (1) et Suarezium, afferunt argumenta in gratiam creationis æternæ; alii, cum Alberto Magno, S. Bonaventurâ, Toleto, plerisque recentibus, in contrariam sententiam abeunt.

Unum in præsenti quæstione, cæteris omissis, intenditur : videlicet, non solùm catholicus fide confiteri debet, sed etiam philosophus ratione demonstrare potest orbem physicum a Deo, tanquam a primâ causâ, originem duxisse per creationem *e nihilo*. Undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Non solùm fide creditur, sed etiam ratione demonstrari potest orbem physicum ortum habuisse per creationem e nihilo.

Probatur. — Illud est admittendum, quod mundi originem *solum* explicare potest; sed *creatio* e nihilo, eaque *sola* mundi originem exhibet; ergò, admittenda est. Tres enim hypotheses fingi possunt : vel mundus est *a se;* vel est *emanatio* aut *evolutio* substantiæ divinæ; vel originem duxit *e nihilo* per creationem immediatam. Porrò, quum mundus sit compositus, mutabilis, contingens et finitus, falsa est prima et secunda hypothesis; undè, tertia est vera.

1° Mundus non est *a se*, seu dici nequit sui ipsius *ratio sufficiens*. Nam, mundus est contingens, et proindè non concipitur ut existens vi et necessitate naturæ suæ; sed, ens *a se* est necessarium, seu habet in se rationem existentiæ propriæ, ut vidimus in Ontologiâ (n. 75); ergò, mundus non est *a se*.

(1) « Mundum non semper fuisse, solâ fide tenetur, et demonstrativè probari non potest. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 46, a. 2; *Sum. contra gent.*, c. xxxi, etc.; *Opusc.* 27, *De æternitate mundi contrà murmurantes.*

Aliundè, vel mundus spectatur in suâ *dispositione*, ornatu et legibus, vel consideratur in *materiâ*, ex quâ factus est; si prius, non est *a se*, quià ordinatio supponit causam intellectu et sapientiâ præditam; si posterius non est etiam a se, quià materia dici nequit *improducta*. Ens enim improductum, seu primum ens, debet esse absolutè simplex (Cf. *Ontol.*, n. 76); materia autem est composita; undè, non est improducta. Sic evolvitur illud argumentum : mira *dispositio* rerum mundanarum non est a *fortuito casu*, ut nonnulli veteres dixerunt; casus enim, quùm nihil sit, non potest esse causa. Dispositio etiam hujusmodi non est a solis materiæ viribus; quippè, vis materiæ inhærens est *cæca;* sed ordo mirabilis quem in mundo conspicimus supponit causam intelligentiâ præditam, eò quod « ordinare » pertinet ad « intellectum. » Materia tandem non est *improducta;* ens enim improductum est necessarium, infinitum, simplex, immutabile; sed, materia est contingens, eò quod non repugnat eam non esse; est finita, nam moles infinita rationi contradicit; est composita, eò quod extensione pollet; est mutabilis, quià dicitur iners, videlicet indifferens ad motum et quietem. Ergò, mundus non est a se.

2°, Mundus non est *emanatio* nec *evolutio* substantiæ divinæ. Nam, substantia Dei est simplicissima; sed, Ens infinitè simplex nihil e suâ substantiâ communicare potest rebus finitis et compositis; ergò, mundus dici nequit *emanatio* substantiæ divinæ. Aliundè, probatur experientiâ multas et etiam omninò diversas, in hac rerum universitate, substantias inveniri : lapis non est arbor, homo distinguitur a belluis, ignis, aqua, terra, sol, stellæ non sunt unius entis modificationes. Prætereà, substantia Dei juxtà pantheistas ipsos, est infinita, necessaria, immutabilis; sed, mundus est finitus, contin-

gens ac mutabilis; ergò, mundus reapsè distinguitur a substantiâ divinâ; nam, aliter Deus esset simul finitus et infinitus, id est, non esset. Undè, mundus non est *evolutio* substantiæ divinæ (Cf. *Theol. natur.*).

3°, Tertia igitur hypothesis admittenda est; nempè, mundus habuit originem e nihilo per creationem immediatam. Seu etiam : mundus non est *a se;* aliundè non est evolutio, nec emanatio substantiæ Dei; una tantummodò superest hypothesis; nempè : mundus originem duxit ab Ente infinito, per creationem e nihilo. Reverà, nullam hypothesim, nisi tres illas, fingere possumus.

Propositio confirmatur. — *A priori*, creatio nullam repugnantiam involvit; undè, illius *possibilitas* hoc argumento demonstratur. Illud est possibile, quod nullam contradictionem involvit; atqui, creatio rerum e nihilo nullam involvit contradictionem; ergò, creatio rerum e nihilo est possibilis.

Major constat. Probatur minor. Creatio non repugnat ex parte Dei creantis, quùm sit *omnipotens*, « intellectu ac voluntate omnique perfectione » infinitus (*Concil. Vatic.*). Non repugnat ex parte creaturæ; non solummodò enim possibile est creaturam e non existentiâ ad existentiam transire, sed « testis est ipsa experientia, inquit R. P. Liberatore, innumera jugiter in rerum naturâ fieri, quæ actione etiam finitorum agentium esse incipiunt, quùm anteà reverà non essent (*Cosmol.*, l. I, a. 3, n. 22). Creatio nullam involvit repugnantiam ex parte ipsius eductionis e nihilo. Quod enim substantia producatur nullâ materiâ præsuppositâ, » captum humanum fugit; potentiam autem divinam non superat, quod sic probatur :

Ens infinitum et omnipotens aliquid producere potest sine auxilio causæ secundæ; sed, Deus est infinitus et

omnipotens; ergò, effectum ad extrà producere potest sine auxilio causæ secundæ, seu *materiæ præeuntis.* Atqui, creatio nihil aliud dici debet, nisi effectus ad extrà productus sine materiâ præsuppositâ; ergò, possibilis est creatio rerum e nihilo (1).

IV. Solve difficultatem.

(* 26. Hinc apparet solutio difficultatis a plerisque materialistis, duce Lucretio, frequenter allatæ : *e nihilo nihil fit;* sed, creatio significat productionem e nihilo; ergo, creatio rejicienda est ut impossibilis.

Distinguo majorem : e nihilo nihil fit, scilicet nihilum aliquid producere non potest, *concedo majorem;* e nihilo nihil fit, videlicet e nullo subjecto præeunte, *subdistinguo :* e nullo subjecto seu materiâ præeunte nihil fit, deficiente causâ infinitâ, *concedo;* virtute potestatis infinitæ, *nego majorem. Distinguo* pariter *minorem* et *nego consequens.* Hanc difficultatem solvit C. Bénard. (*Précis de Philos.*) : « Comment concevoir que le monde ait été créé de rien? La création *ex nihilo* n'est-elle pas absurde? Cela dépend du sens qu'on attache à ce mot : rien ne vient de rien : ex nihilo nihil. Donner l'existence au néant est une contradiction; faire qu'une chose qui n'était pas commence d'exister n'en est pas une. Il suffit qu'une cause la produise. Créer, faire que ce qui n'était pas soit, nous est difficile à comprendre, parce que nous ne créons que des actes, et que l'homme a besoin d'une matière de ses œuvres. Cela ne répugne pas à l'idée de la première cause, de la cause infinie. C'est précisément la *création* comme nous la concevons par opposition à la simple *formation* ou à la *génération* physique et à la *succession* éternelle des existences. »

(1) « Causatur aliquid, nullo præsupposito. Et hoc modo dicitur aliquid fieri per creationem. » S. Thom., *De Causis,* lec. 18. « Creator nullâ re aliâ indigens, suâ virtute et *potestate* id quod sit efficit. Opifex verò, acceptâ ex materiâ condendi facultate, opus suum construit. » S. Justin, *Exhort. ad Græc.,* c. XXII.

Undè, creatio rerum e nihilo sola potest haberi tanquam ratio sufficiens orbis terrarum certò existentis. — Aliundè, possibilitas hujusmodi creationis demonstrari potest. — Constat etiam creationem e nihilo esse veritatem de *fide* catholicâ : « Si quis non confiteatur, ait Concilium Vaticanum, mundum resque omnes quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundùm totam suam substantiam a Deo *ex nihilo* esse productas;..... anathema sit. » Ergò, stat propositio; nempè : non solùm *fide* creditur, sed etiam *ratione* demonstrari potest orbem physicum ortum habuisse per creationem e nihilo. *)

V. Quæ sunt quæstiones inter philosophos agitatæ?

(* 27. Ad creationem referuntur diversæ quæstiones, inter philosophos agitatæ; tres potissimùm assignari possunt : prima, de distinctione inter creationem *activam* et creationem *passivam;* secunda, utrùm creatio sit actus *potentiæ*, seu virtutis *infinitæ;* tertia, de possibilitate *creationis æternæ*.

1°, De distinctione inter creationem *activam* et creationem *passivam*. — Hanc utilissimam distinctionem excogitarunt philosophi ad explicandum, in quantùm fieri potest, τὸ *quomodo* creationis, ut aiunt. (Cf. S. Thom.; *Sum. Theol.* p. I, q. 45, a. 3, ad 1^um^, etc.). Creatio *activa* est ea, quæ producit substantiam e nihilo; videlicet est actio Dei creationem mundi ab æterno statuentis : « Dicendum (est), ait S. Thomas, quod creatio *activè* accepta significat actionem divinam, quæ est ejus essentia, cum relatione ad creaturam. » — Creatio *passiva* dicitur ipsa creatura, quatenùs e nihilo deducta : « Creatio *passivè* accepta est in creatura, et est creatura, » inquit sanctus Doctor.

Inter creaturam et Creatorem existit *relatio*, cujus principium, seu Deus, mundum liberè producit, sed nullam in se mutationem experitur; et etiam, quùm plenitudinem omnis perfectionis contineat, non existit *plus entis*, creatione semel effectâ, licet *plura* sint *entia* realiter distincta. Subjectum autem hujus relationis, nempè creatura, producitur e nihilo, propterea secundùm totam entitatem suam accipit *esse*, ità ut

non solùm in actu creationis, sed etiam sub omni respectu a Deo pendeat.

Creatio non supponit materiam *præeuntem*, neque tempus; undè, creatio facta est in instanti, secundùm illa sancti Doctoris : « Opus *creationis* consistit in solâ divinâ actione *in instanti* rerum substantiam producente; et ideò quodlibet opus distinctionis et ornatûs dicitur factum in *die;* creatio autem dicitur facta *in principio,* quod sonat aliquid indivisibile. » Otiosæ sunt igitur quæstiones, utrùm Deus seriusve ociusve mundum condere potuisset? cur talia, vel talia præ cæteris individua creaverit? et alia similia (1).

2°, Utrùm creatio sit actus *potentiæ infinitæ?* — Juxtà communem sententiam scholasticorum, virtus infinita requiritur ad creandum, eapropter hujusmodi potestas creaturæ, etiam perfectissimæ, communicari nequit.

Dixi, *juxtà communem sententiam;* non desunt enim qui contendant potentiam absolutam non esse necessariam ad creandum; idcircò Deus omnipotens virtutem suam creatricem communicare posset.

Defensores sententiæ communis sic argumentantur : virtus infinita communicari nequit; atqui, virtus creatrix est infinita; ergò communicari nequit. Major constat. Probatur minor. Ibi requiritur virtus infinita, ubi adest difficultas infinita; nam inter agentem et difficultatem superandam proportio est necessaria; sed, in creatione adest difficultas infinita; ergò, ad creandum virtus infinita requiritur. Major iterùm est evidens. Probatur minor. Distantia infinita difficultatem infinitam exhibet, quæ nonnisi per virtutem omnipotentem superari potest; sed, inter *esse*, quod per creationem recipitur, et *nihilum* creationem antecedens, distantia reperitur infinita; ergò, in creatione adest difficultas infinita, quæ per virtutem omnipoten-

(1) S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 74, a. 1, ad 2um. Et *Ibidem*, p. I, q. 45, a. 1, ad 2um. Eapropter Scriptura dixit : « In *principio creavit* Deus cœlum et terram. » Genes., c. 1, v. 1. Deindè, prima die, secundà die, etc., scilicet in *tempore*, « *fecit* lumen, ... firmamentum, etc. » *Loc. cit.*

tem solummodò superari potest. Consequenter, virtus creatrix est incommunicabilis.

Talis demonstratio non est *apodictica*, scilicet ex se evidens et clara; proindè, communis sententia scholasticorum, licet valdè probabilis, imò certa, fuit tamen a nonnullis impugnata.

Divus Thomas hanc attulit rationem, quæ Scoto minimè placuit : effectus universalior ac nobilior primæ causæ solummodò competit; sed, creatio est effectus universalior et nobilior; ergò, soli Deo competit, et communicari non potest. Sic iterùm argumentatur sanctus Thomas : quandò duo sunt extrema inter se sic habentia, ut quantùm unum minuitur, reliquum crescit proportionaliter, si unum ponitur minui usque ad *non gradum* (seu ad gradum *non entis*,) suum compar crescit suprà omnem gradum (id est *in infinitum*) (Cf. Cajet.); sed, in creatione faciendâ, diminutio termini est usque *non ens* seu nihilum; ergò, virtus creatrix augeri debet usque in infinitum. Deus igitur, et ipse solus, creare potest.

Quidquid sit de vi probationis ab auctoribus allatæ, dicere debemus cum sancto Athanasio : « Administrare, creaturarum ac servorum est, condere autem atque creare *solius* Dei et Verbi ejus ac sapientiæ (1). »

3°, Quid sentiendum de possibilitate *creationis æternæ?* — Inter philosophos catholicos nulla difficultas esse potest de ipso *facto* creationis; omnes enim admittunt orbem physicum *e nihilo* productum esse, mundumque non semper exstitisse, sed creationem *in tempore* perfectam esse a Deo; eorumque sententia confirmatur scientiis naturalibus. Quæritur autem utrùm Deus ab æterno creare potuisset, id est, utrùm creatura æterna sit *in se possibilis*. Hujus quæstionis sensum exhibet sanctus Thomas,

(1) « Ratio difficultatis in præsenti quæstione est, ait Suarezius, quià nulla est hactenùs inventa sufficiens ratio, nedùm demonstratio, quæ persuadeat requiri, ad creandum, virtutem simpliciter infinitam. » *Metaphys.*, Disput. XX, sect. 2, n. 4. — Vide apud S. Thom., *Sum Theol.*, p. I, q. 45, a. 5. — Scotus argumentum S. Doctoris rejecit, sed eamdem amplexus est sententiam. — Cf. S. Athanas., *Serm. III, cont. Arianos;* S. Cyrill., lib. II, *Contrà Julianum.*

dicens : « Supposito, secundùm fidem catholicam, mundum ab æterno non fuisse, sicut quidam philosophi errantes posuerunt, sed quod mundus durationis initium habuerit, sicut Scriptura Sacra, quæ falli non potest, testatur ; *dubitatio* mota est, utrùm *potuerit semper fuisse* (*Opuscul., De æternitate mundi contrâ murmurantes*). »

Philosophi scholastici scinduntur in duas classes : S. Thomas, Suarezius et alii quamplurimi vim argumentorum, quibus repugnantia creationis æternæ propugnatur, non penitùs rejiciunt, sed attenuant, et argumenta in gratiam possibilitatis hujus creationis afferunt.

Juxtà eos, creatio æterna non repugnat ex parte *Dei*, nec etiam ex parte *creaturæ*, neque tandem ex parte ipsius *creationis ;* ergò, Deus ab æterno creare potuisset. Non repugnat ex parte Creatoris ; Deus enim est causa infinita et æterna quæ semper creare potuit. — Non repugnat ex parte mundi, quià prioritas naturæ sufficit inter causam et effectum ; minimè verò requiritur prioritas temporis. — Non repugnat ex parte creationis, nam efficitur in instanti et nullam successionem importat (Cf. S. Thom., *Sum. Contrà Gent.*, c. xxxviii).

Alii autem, post sanctum Basilium, sanctum Augustinum (*De Civit. Dei, et De Genes. ad Litt.*), Albertum Magnum, sanctum Bonaventuram, Petavium, Gerdilium, et alios recentes, contendunt mundum ab æterno conditum omninò repugnare.

Hanc rationem præsertim afferunt : creatio ab æterno numerum *actu* infinitum supponit ; nam, omnis creatura mutationibus subjicitur ; sic, fatentibus Thomistis, etiam substantiæ spirituales in suis cogitationibus successiones experiuntur. Sed, numerus *actu* infinitus omnimodò repugnat ; ergò, creatio rerum ab æterno, quocumque modo propugnetur, intrinsecè repugnat.

Thomistæ nonnulli respondent numerum actu infinitum haud repugnare, quinimò infinitum *a parte antè*, ut aiunt, augeri posse. Nituntur auctoritate sancti Thomæ, dicentis : « Nihil prohibet infinito ex eâ parte additionem fieri quâ est finitum. Ex hoc autem quod ponitur tempus æternum, sequitur quod sit infi-

nitum *ex parte antè*, sed finitum *ex parte post;* nam præsens est terminus præteriti (1). » Undè inferunt « mundum non semper fuisse solâ fide teneri et demonstrativè probari non posse (S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 46, a. 2). »

Quidam verò sententiam quasi mediam admittunt; juxtà eos, numerus actu infinitus rationi contradicit; et ideò, creatura, in quâ esset *successio* et *motus*, ab æterno existere non posset; sed nullo argumento demonstratur repugnantia creaturæ æternæ, in quâ non esset *successio* neque *motus.* *)

VI. Quid ex dictis infertur adversùs errores ævi præsentis?

(* 28. Non solùm positivistæ et materialistæ, qui Deum esse negant, sed etiam spiritualistæ, imprimis V. Cousin, Th. Jouffroy, E. Saisset, P. Janet et F. Ravaisson, falsa et perniciosa docuerunt circà mundi originem.

Th. Jouffroy et P. Janet, scepticismum seu dubium profitentur circà creationem rerum e nihilo. Nempè, Th. Jouffroy gravissima de hominis *origine*, naturâ et futurâ immortalitate « problemata » sæpissimè proposuit; sed non exhibuit solutionem completam, ut constat ex illius operibus (Cf. *Mélanges*). Item, P. Janet apertè docuit obscurum esse et extrà scientiam rejiciendum creationis dogma : « Pour nous, ait, le panthéisme ne consiste essentiellement ni dans la doctrine de l'unité de substance, ni dans la négation de la création *ex nihilo*, et ce n'est pas sur ces deux points que nous lui ferons la guerre. Il consiste exclusivement dans la confusion et l'absorption des deux personnalités. La création *ex nihilo* est un

(1) *Summa Contra Gentes*, c. xxxviii. De numero actu infinito sic loquitur Leibnitz : « Je suis tellement pour l'infini actuel, que, au lieu d'admettre que la nature l'abhorre, comme l'on dit vulgairement, je tiens qu'elle l'affecte partout, pour mieux marquer les perfections de son auteur. Ainsi, je crois qu'il n'y a aucune partie de la matière qui ne soit, je ne dis pas divisible, mais actuellement divisée; et par conséquent la moindre parcelle doit être considérée comme un monde plein d'une *infinité* de créatures différentes. » *Lettre à Foucher.*

mystère incompréhensible que nous ne voulons *ni affirmer ni nier ;* elle est *en dehors de la science.* » Et etiam : « L'action de la cause première nous est et nous sera toujours incompréhensible (*Revue des Deux-Mondes*, 1868 et 1874). »

Victor Cousin, ambiguitate sæpiùs et æquivocatione laborans, creationem *ex nihilo* rejicit, dicens : « Il faut abandonner la définition que *créer* c'est *tirer du néant ;* car le néant est une chimère et une contradiction. » Attamen vox, *creatio,* est accuratè servanda ; quid sit igitur aliquid creare ? Nihil facilius : « Créer est une chose très-peu difficile à concevoir, car c'est une chose que nous faisons à toutes les minutes ; en effet, nous créons toutes les fois que nous faisons un acte libre..... Ainsi causer, c'est créer ; mais avec quoi ? avec rien ? non, sans doute ! tout au contraire avec le fond même de *notre existence*, c'est-à-dire avec toute notre force créatrice, avec toute notre liberté, toute notre activité volontaire, avec notre personnalité..... La création divine est de la même nature (*Introduc. à l'hist. de la Philos.*). »

Verumtamen, quùm Deus sit Ens necessarium, dici debet causa necessaria ; proindè, creatio non est in Deo libera, sed absolutè necessaria : « Dieu, s'il est une cause, peut créer ; et s'il est une cause absolue, il ne peut pas ne pas créer..... Dieu crée donc : il crée en vertu de sa puissance créatrice ; il tire le monde, non du néant qui n'est pas, mais de lui qui est l'existence absolue. Son caractère éminent étant une force créatrice absolue qui ne peut pas ne pas passer à l'acte, il suit, non que la création est possible, mais qu'elle est nécessaire (*Ibidem*). »

Admittit etiam necessitatem creationis ab æterno discipulus Victoris Cousin, Emilius Saisset, rationalista, qui mentem suam aperit, dicens : « En fait de surnaturel, j'admets Dieu et la Providence ; en fait de miracle, le miracle *éternel* et *perpétuel* de la *création ;* en fait de révélation, j'admets que Dieu se révèle par les lois de la nature et fait éclater sans cesse sa puissance, son intelligence, sa sagesse, sa justice, sa bonté. J'admets cela, rien de moins, rien de plus (*Méditations*). »

F. Ravaisson vocabula creationis *e nihilo* et etiam *libertatis* usurpat, illisque utitur (*Etudes sur Aristote; la Philos. en France au* XIXe *siècle*); sed ejus doctrina non est clara sinceraque veritatis expressio; eum potiùs audi loquentem : « On ne saurait comprendre l'origine d'une existence inférieure à l'existence absolue, sinon comme le résultat d'une détermination volontaire par laquelle cette haute existence a d'elle-même modéré, amorti, éteint, pour ainsi dire, quelque chose de sa toute-puissante activité. Les stoïciens, dans leur langage tout physique, définissaient la cause première, ou la Divinité, un éther embrasé, au maximum de tension; la matière, ce même éther étendu. Ne pourrait-on pas dire, d'une façon à peu près semblable, que ce que la cause première concentre d'existence dans son immuable éternité, elle le déroule pour ainsi dire, détendu et diffus, dans ces conditions élémentaires de la matérialité, qui sont le temps et l'espace; qu'elle pose ainsi, en quelque sorte, la base de l'existence naturelle, base sur laquelle, par ce progrès continu qui est l'ordre de la nature, de degré en degré, de règne en règne, tout revient de la dispersion matérielle à l'unité de l'esprit? Dieu a tout fait de rien, du néant, de ce néant relatif qui est le possible. C'est que, ce néant, il en a d'abord été l'auteur, comme il l'était de l'être. De ce qu'il a annulé, en quelque sorte, et anéanti de la plénitude de son être (*se ipsum exinanivit*), il a tiré, par une sorte de réveil et de résurrection, tout ce qui existe (*La Philos. en France au* XIXe *siècle*). »

Adversùs omnes istos ævi præsentis errores colligenda sunt argumenta jam multoties allata. 1°, Possibilitas et existentia creationis *ratione* demonstrantur; ergò, scepticismus Th. Jouffroy, et dubium P. Janet sunt penitùs excutienda. 2°, Notione creationis e nihilo semel rejectâ, pantheismus, saltem mitigatus, videlicet emanatismus, necessariò debet admitti. Non est enim alia hypothesis, quæ a spiritualistis fingi possit, quià, materialismum impugnantes, orbem physicum a Deo productum esse contendunt; sed, Deus non potest mundum producere nisi e nihilo, aut e suâ substantiâ. Pantheismus autem rationi contradicit; idcircò, spiritualistæ vel creationem e nihilo pro-

pugnare debent, vel in errorem pantheismi necessariò prolabuntur. 3°, Mundus est contingens et finitus; econtrà, Deus est Ens infinitum et necessarium; ergò, concluditur adversùs Cousin, Saisset, aliosque recentes, creationem non esse *necessariam*, sed planè *liberam*, ex parte Conditoris; id enim, quod non est necessarium, potest non esse.

Necessitatem creationis impugnat sanctus Thomas, dicens : « Causa extrinseca (creationis) est vel efficiens, vel finis... Deus autem non agit ex aliquâ necessitate ad creaturarum productionem... Non est igitur absolutè necesse creaturam esse, necessitate dependente a causâ efficiente. Similiter, nec necessitate dependente a causâ finali... Non est igitur creaturam esse absolutè necessariam (*Sum. Contrâ Gent.*, l. II, c. 31). »

Concilium Vaticanum, a sanâ philosophiâ nequaquam alienum, imò fidei et rationis analogias altè proclamans, orbem terrarum, *liberè* quidem, ad Dei gloriam conditum esse definit : « Si quis (dixerit) Deum non voluntate ab omni necessitate *liberâ*, sed tam necessariò creasse, quam necessariò amat seipsum; aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit. » *)

SECUNDA PARS COSMOLOGIÆ

DE

PROPRIETATIBUS CORPORUM.

1. Quomodo dividitur secunda pars, de proprietatibus corporum?

29. Postquam dictum est de *principiis* corporum, logicè dicendum est de eorum *proprietatibus*. Inter illas proprietates aliæ fundantur in *materiâ;* aliæ verò dimanant a *formâ*. Scilicet a materiâ prosilit *quantitas*, et deinceps omnis proprietas ad eam referenda, ut impenetrabilitas, divisibilitas et localisatio; ad formam autem pertinent activitas, *vita*, vires physicæ et cæteræ proprietates ad *qualitatem* referendæ. Nonnullæ verò proprietates, nempè corporum structura et figura, prodeunt ex unione materiæ et formæ. De his omnibus duo erunt capita, quibus accedet appendix; nempè : I, *De proprietatibus corporum in genere;* II, *De vitâ;* Appendix, *De applicatione systematis SS. Eucharistiæ sacramento.*

CAPUT PRIMUM.

DE PROPRIETATIBUS CORPORUM IN GENERE.

II. Quomodo dividitur caput primum, de proprietatibus corporum in genere?

30. Proprietates corporum generales, ut jam vidimus, respiciunt *præsertim* ad *materiam*, vel *præsertim* ad *formam*, vel ad *utramque simul;* undè, tres erunt articuli : 1[us], De proprietatibus ad *materiam* referendis; 2[us], De proprietatibus ad *formam* referendis; 3[us], De proprietatibus ad *materiam simul et formam* referendis.

ARTICULUS PRIMUS.

De proprietatibus ad materiam referendis.

III. Quæ sunt præcipuæ proprietates ad materiam referendæ?

31. In materiâ *immediatè* fundatur *quantitas continua* seu trium dimensionum, quæ idcircò vocatur proprietas *immediata*, *primaria* aut *fundamentalis*, et definiri solet *accidens*, per quod corpus *extensione* potitur, seu habet partes extrà partes positas et ità cohærentes, ut unum compositum efficiant (Cf. *Logic.*, n. 35 et *Ontol.*, n. 100). E *quantitate* verò dimensivâ defluunt aliæ proprietates, quarum præcipuæ sunt *impenetrabilitas*, *divisibilitas* et *localisatio*.

IV. Quid dicendum de impenetrabilitate et divisibilitate?

32. Quantitas alicujus corporis concipi nequit ut illius

proprietas realis et specialis, nisi fortiter obsistat alienæ mixtioni; aliundè, quùm extensio variis partibus coalescat, partes istæ saltem cogitatione separari possunt. Sed ea proprietas, cujus auxilio corpus *obsistit alienæ mixtioni*, vocari solet *impenetrabilitas;* illa verò, quâ *partes a partibus dissociari possunt*, est ipsa *divisibilitas*.

1°, *Impenetrabilitas*. — Experientiâ simul et auctoritate eorum, qui colunt scientias physicas, probatur omne corpus illâ proprietate gaudere, quæ dicitur impenetrabilitas. Attamen non est pars essentiæ, sed tantùm accidens; nam, fundatur in extensione, quæ non pertinet ad essentiam corporum; undè, graviter errant illi, qui docent impenetrabilitatem esse rebus materialibus omninò necessariam et essentialem (1).

In extensione fundatur impenetrabilitas, et proindè referri debet ad *materiam;* attamen, concipi nequit sine *vi* aliquâ resistendi; quapropter, definitur a nonnullis : « *Vis*, quæ corpus impedit, ne propriæ extensioni aliud quodcumque corpus suam extensionem commisceat. » Vis autem illa resistendi non potest esse proprietas solius extensionis et materiæ, sed supponit principium activitatis, ut infrà videbitur.

2°, *Divisibilitas*. — Philosophi, corporum essentiam in extensione reponentes, celeberrimam quæstionem de divisibilitate *in infinitum* fusiùs exponunt et variis argumentis demonstrare nituntur.

Imprimis Cartesius, quem acerrimè tuitus est Euler, docuit extensionem esse divisibilem etiam in infinitum,

(1) « Parmi (les propriétés des corps), ait Langlebert, il en est deux sans lesquelles il serait impossible de concevoir l'existence de la matière, et que, pour cette raison, on a nommées *propriétés essentielles*. Ces deux propriétés, par lesquelles on peut définir la matière, sont l'*étendue* et l'*impénétrabilité*. » *Physique*, p. 3.

et idcircò nullam existere atomum, nullum corpusculum quantumvis exiguum quod sit indivisibile (*Princip. Philos.*).

Sic ratiocinatur : omnis materiæ particula est prorsùs extensa; sed, quidquid est extensum, dividi potest, saltem omnipotentiâ divinâ; ergò, quælibet materiæ particula est in infinitum divisibilis. Alias rationes e possibilitate divisibilitatis in infinitum, vel e falsitate systematis elementorum simplicium desumptas, in medium affert Cartesius (1).

Nonnulli verò aliter opinantur, et divisibilitatem in infinitum rejiciunt, quià contradictionem involvit; nam, ea divisibilitas, aiunt, supponit numerum actu infinitum; sed, numerus actu infinitus rationi repugnat. Cartesiani respondent divisibilitatem involvere numerum non *actu*, sed in *potentiâ* infinitum; atqui, numerus in potentiâ solùm infinitus nequaquam rationi contradicit.

Quidquid sit de variis auctorum sententiis, quæ tanto æstu defensæ fuerunt vel impugnatæ, 1°, falsum est extensionem pertinere ad essentiam corporum; 2°, quantitas *physicè* sumpta, scilicet ut proprietas concreta et realis corporum, quæ existunt in rebus naturæ, sine fine dividi nequit; sed, extensio *mathematica*, seu quantitas in se et abstractè sumpta, quatenùs est extensa, in infinitum *cogitatione* dividi potest; undè, sit sequens

(1) Sic se habet A. Gaudin : « La matière dite pondérable est divisible à l'infini par la pensée, mais en réalité cette division a une limite, en dehors de laquelle les forces les plus puissantes, qui s'exercent dans l'univers, n'ont plus la moindre prise. » *Architecture du monde des atomes*, p. 18, Item R. P. Tongiorgi, *Cosmol.*, p. 278.

PROPOSITIO.

Quantitas mathematicè sumpta sine fine dividi potest; sed physicè spectata in infinitum dividi nequit.

Prima pars hujus propositionis facilè probatur. Quantitas enim mathematica, scilicet *in se*, quatenùs ab omni corpore sejuncta, extensione gaudet essentialiter, et quantulæ sint partes illius, cogitatione dividi possunt; ergò, quantitas mathematicè sumpta divisibilis est in infinitum. Id enim, quod est extensum, semper dividi potest.

Pars altera probatur. Extensio physicè spectata, nempè quatenùs existit in corporibus ut illorum proprietas accidentalis, in infinitum dividi nequit; etenim, omne corpus, si consideretur in rebus physicis, scilicet in quantùm existentiam habet, e naturâ suâ quamdam extensionem *exigit;* sed, illam extensionem ultrà limites a naturâ præfinitas dividere non possumus, quin tota substantia esse desinat, aut in aliud corpus mutetur. Re quidem verâ, in omni corpore duo reperiuntur, *existentia* et quædam *activitas;* sed, secundùm ordinem naturæ, corpus nec existere nec activitatem suam exercere potest sine quantitate debitâ; quantitas enim est proprietas primaria, immediata et fundamentalis, quæ in omnibus corporibus invenitur, et cujus ope substantia vires suas exerit. Undè, fieri non potest ut quantitas in infinitum minuatur (1).

(1) Eamdem sententiam propugnant plerique scholastici, præcipuè sanctus Thomas : « Corpus *mathematicum*, ait, est divisibile in infinitum in quo consideratur sola ratio quantitatis, in quâ nihil est repugnans divisioni infinitæ. Sed corpus *naturale*, quod consideratur sub totâ formâ, non potest in infinitum dividi, quià, quandò jam ad mini-

Item, id, quod est extensum, dividi potest; sed, e divisione quantitatis resultant partes extensæ; ergò, iterùm dividi possunt, et sic in infinitum. Probatur minor, de quâ solùm est difficultas. Id, quod resultat e divisione quantitatis, vel est *nihil*, vel est *simplex*, vel est *extensum*. Atqui, non est *nihil;* divisio enim non est annihilatio, sed mera partium disjunctio. Non est *simplex;* nam, extensio non conflatur ex elementis simplicibus. Superest igitur ut sit aliquid *extensum*, quod iterùm et in infinitum dividi potest. Ergò, quantitatem in se sumptam seu mathematicam in infinitum dividi non repugnat.

Aliundè, ut experientiâ constat, omnia corpora vi quadam *resistentiæ* prædita sunt et obsistunt alienæ mixtioni. Sed, vis illa resistentiæ indiget quantitate determinatâ, ità ut, quantitate hujusmodi deficiente, corpus obsistere non possit alienæ mixtioni, et desinit esse res quædam specialis et individua. Ergò, quantitas physica et realis non potest in infinitum minui, quin ipsa substantia corporis vel esse desinat, vel in aliam mutetur.

V. Quid sentiendum de localisatione?

33. *Localisatio*, quæ nihil est, nisi proprietas, per quam

mum deducitur, statim propter debilitatem virtutis convertitur in aliud. » *De Sensu et Sensato*, lect. 15. Alibi dixit : « Etsi corpora *mathematica* possint in infinitum dividi, corpora tamen *naturalia* ad certum terminum dividuntur; quùm unicuique formæ determinetur quantitas secundùm naturam, sicut et alia accidentia. » *Qq. disp.*, q. 4, de Potentiâ, a. 1, ad 1. Item Scotus; Suarez; Liberatore, dicens : « Etsi corpora dividi possint in partes minutissimas, quæ non modò aciem sed ferè captum superent; tamen si extensio ulterius minuitur, servare non poterit naturalem convenientiam cum substantiâ, ad quam pertinet. » *Cosmol.*, c. II, a. 5.

corpus occupat *locum sibi specialem*, defluit ab impenetrabilitate. Res enim corporeæ in loco constituuntur immediatè ratione quantitatis et impenetrabilitatis; nam, corpus, ratione quantitatis dimensivæ et impenetrabilitatis aliud quodlibet extensum naturaliter expellit a loco, quem occupat. Illa veritas experientiâ simul et auctoritate physicorum confirmatur. Quùm autem extensio dimensiva et impenetrabilitas in materiâ primarium habeant fundamentum, compertum est localisationis *principium* in eadem materiâ ultimò reponendum esse.

Hìc philosophi christiani agitant quæstiones, quæ dogmatis catholici non parùm intersunt, utrùm videlicet duo corpora possint esse simul in eodem loco? et præsertim utrùm repugnet unum corpus esse simul in pluribus locis?

(* Juxtà sanctum Thomam, quem ferè omnes secuti sunt, duo corpora nequeunt *naturaliter* esse simul in eodem loco; huic enim « compenetrationi » firmiter obsistit impenetrabilitas. Attamen divinâ virtute fieri potest ut duo corpora sese compenetrent, et eumdem locum occupent : « Nihil potest prohibere corpus aliquod, ait sanctus Doctor, ne sit simul situatum cum alio corpore in eodem loco (IV *Sent.*, et *Quodlibet*. » Et alibi : « Deus, qui est omnium causa prima, potest conservare effectus in esse sine causis proximis; undè sicut conservat in sacramento Altaris accidentia sine subjecto, ità potest conservare distinctionem materiæ corporalis absque diversitate sitûs. Miraculosè ergò fieri potest quod duo corpora sint in eodem loco (*Super Boetium, de Trinitate*). »

De multilocatione sic se habet sanctus Thomas : « Quod idem corpus (ratione quantitatis dimensivæ) sit *localiter* simul in diversis locis, includit contradictionem (IV *Sent.*); » non repugnat autem unum corpus esse simul in pluribus locis « per modum *substantiæ*, ut fit in Eucharistiæ sacramento (1). » *)

(1) « Corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per

In hac difficili quæstione, cujus utilitas neminem fugit, duas conclusiones ex dictis inferre possumus.

1°, Etsi *naturaliter* duo corpora nequeant esse simul in eodem loco, illud tamen fieri potest virtute divinâ; nam, ut vidimus, corpora per quantitatem immediatè determinantur ad locum specialem, et ratione impenetrabilitatis omne aliud corpus expellunt; sed, quantitas et impenetrabilitas ad *essentiam* corporum non pertinent, meritoque dici debent accidentia; ergò, non repugnat *essentialiter* ut duo corpora sint in eodem loco. Verumtamen ea « replicatio » naturæ viribus tribui non potest et divinam virtutem seu miraculum necessariò supponit.

2°, Unum corpus per modum *extensionis*, « *localiter* et circumscriptivè, » nequit esse simul in diversis locis; quod sic probatur. — Quantitas dimensiva, quæ determinat et extrinsecè constituit individuum, in suo speciali loco circumscribi debet; aliter enim esset simul et non esset id, quo individuum determinaretur externè, et ità « contradictionem » includeret (1).

Attamen, ut sedulò notandum est, quùm extensio et proindè localisatio non pertineant ad *essentiam* corporum, possibile est idem corpus esse simul in diversis locis per modum *substantiæ;* materia quidem et forma, totam corporum substantiam componentes, non sunt essentialiter extensæ, et consequenter non repugnat eas esse si-

modum *substantiæ*, eo scilicet modo, quo substantia continetur a dimensionibus; succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento, substantiæ panis... Undè nullo modo corpus Christi est in hoc sacramento *localiter*. » *Sum. Theol.*, p. III, q. 76, a. 5.

(1) « Esse in pluribus locis simul, ait S. Thomas, repugnat *individuo* ratione ejus, quod est esse indivisum in se; sequeretur enim quod esset indistinctum in situ. » IV *Sent.*

mul in pluribus locis. Extensionem verò naturaliter *exigunt* materia et forma; ideoque multilocatio accidere nequit nisi per miraculum omnipotentiæ Dei (Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, p. III, q. 75, a. 5; Goudin, I. *Physic.*, q. 4).

ARTICULUS SECUNDUS.

De proprietatibus ad formam referendis.

I. Quid dicendum de proprietatibus ad formam referendis?

34. Præter eas proprietates, quæ tactum visumque potissimùm afficiunt, et revocantur ad materiam, aliæ fundamentum habent in *formâ* substantiali et ab illâ emergunt tanquam a principio. Dici solent *qualitates;* idcircò, qualitas in genere vocari potest : *proprietas* e *formâ* dimanans, et efficiens rem esse *talem* (Cf. *Logic.*, n. 35 et *Ontol.*, n. 102). Undè, ratione quantitatis corpus dicitur *hoc* vel *illud*, et ratione qualitatis dicitur *tale* aut *tale* corpus. Inter qualitates hujusmodi, duæ sunt præcipuæ, videlicet *unitas* et *activitas*, quæ, ut fatentur omnes, non solùm in viventibus, sed etiam in mineralibus inveniuntur. Illæ verò proprietates esse non possunt sinè *viribus physicis;* requiritur enim principium activum ut singulæ partes ejusdem corporis in unum compositum *adunari*, aut *moveri* possint. De viribus istis duo dicenda sunt : utrùm existant, et quæ sint earum principia.

II. Loquere de existentiâ virium physicarum.

35. Juxtà communem sententiam, vocabula δύναμις, *vis*, *virtus*, *vires physicæ*, exprimunt eas proprietates intrinsecas et naturales, per quas motus, attractio, vel quæ libet modificatio produci potest in corporibus organicis

et inorganicis (1). Item, ferè omnes existentiam virium physicarum admittunt; et sane motus in rebus inanimatis, activitas in plantis et animalibus, vim motricem supponunt : aliter essent sine causâ sufficienti; sed, vis motrix non differt a *viribus physicis*, de quibus agitur; ergò vires physicæ corporibus naturaliter insunt.

(* Undè, quidam apud veteres, et Cartesiani nonnulli post Malebranchium et Leibnitzium apud recentiores falsa docuerunt de naturâ et existentiâ virium physicarum. « Il n'y a point de forces, de puissances, de causes véritables dans le monde matériel et sensible, » ait Malebranchius. Idcircò, variæ corporum modificationes, motus et activitas a Deo solùm et immediatè gignuntur, imò repugnat hominem aut angelum actionem in corpus exercere; verumtamen « *occasionem* agendi » Deo præbere possunt. Undè, Malebranchii systema dicitur *occasionalismus* (2).

Leibnitzius existentiam virium physicarum asseruit, et mo-

(1) Consule R. P. Secchi, *L'unita delle forze fisiche;* D. Pinault, *Traité de Physique;* F. Magy, *De la science et de la nature;* C. Lévêque, *La science de l'invisible;* F. Bouillier, *Le principe vital et l'âme pensante.* — « La physique, la physiologie, la mécanique, d'une part; la philosophie, la morale, la politique de l'autre, traitent de la force à des points de vue très-différents : toutes l'étudient tour à tour dans ses effets, mais aucune ne parvient à la saisir dans son principe. » Laurentie, *Encyclopédie.* Hæc referri nequeunt ad philosophum, qui non solùm *effectus*, sed etiam *principia* virium physicarum investigat. — « On donne le nom de force, ait D. Langlebert, à toute cause capable de faire passer un corps de l'état de repos à l'état de mouvement, ou de modifier le mouvement qu'il possède. » *Physique.*

(2) *De la recherche de la vérité*, livre VI, IIe partie, c. III, cui titulus, *De l'erreur la plus dangereuse de la philosophie des anciens.* Item sæculo XIXo, Debreyne, *Théorie biblique de la Cosmogonie;* Buchez, *Introduction à l'étude des sciences médicales.* — « Une cause naturelle n'est point une cause réelle et véritable, mais seulement une *occasionnelle*, et qui détermine l'auteur de la nature à agir de telle et telle manière en telle et telle rencontre. » Malebranche, *Loc. cit.*

ALBERT COLLEGE LIBRARY

nades seu substantias vocavit potentias aut *vires;* sed, juxtà eumdem philosophum, corpora destituuntur omni actione unius in alterum; uniuscujusque tamen mutationes ità disponuntur, ut *harmonicè* conspirent cum aliorum mutationibus. Illud systema vocatur *harmonia præstabilita* (*Monadologia*). *)

III. Loquere de principiis virium physicarum.

36. Si omnes philosophi, paucis tantùm exceptis, inter se consentiunt de existentiâ virium physicarum, non ità est de earum principiis. Quippè, multi contendunt *activitatem, vires physicas,* et *motum,* qui ab illis viribus gignitur, nullum supponere principium ab atomis seu materiâ distinctum. Sed alii jurè meritoque propugnant vires physicas non esse proprietates materiæ, sed *formæ substantialis,* et primum motûs principium seu *primum motorem* esse *ens immutabile.* Ad solutionem hujus præstantissimæ quæstionis, sit una

PROPOSITIO.

Vires physicæ, quibus corpora moventur, sunt proprietates formæ substantialis, et motûs existentia supponit primum motorem immutabilem.

Probatur per partes. — 1°, Qualitates rerum materialium, attractio, lumen, electricitas, magnetismus, affinitas, cohæsio supponunt principium intrinsecum; sed, illud principium necessariò reponi debet in formâ substantiali; ergò, calor, lumen, electricitas, aliæque vires physicæ nituntur principio a materiâ distincto. Major patet ex dictis. Minor probatur. Calor, motus, affinitas, aliaque similia varios producunt effectus, quorum ratio sufficiens et intrinseca non potest esse atomorum et molecularum dispositio a quibusdam recentioribus imaginata; illa quippè dispositio est et ipsa effectus qui causam activam supponit.

Aliundè, vires physicæ non sunt proprietates extensionis, nec in materiâ fundantur; una enim materiæ proprietas generalis est *inertia*, scilicet indifferentia vel ad motum vel ad quietem, et impossibilitas mutandi quietem aut motum (1); calor autem, magnetismus, electricitas essentialiter gaudent *activitate;* ergò, reponuntur in principio ab extensione materiaque distincto, nempè in formâ substantiali.

Prætereà, expansio virium physicarum et earum concursus in eumdem effectum producendum, v. gr. in unum corpus componendum aut movendum, explicari non possunt sine fundamento quodam uno et indivisibili, seu simplici et inextenso; secùs enim vires physicæ influere non possent in eumdem effectum, imò inter se opponerentur, et activitas unius activitatem alterius eliderent. Sed, principium unum, indivisibile, activum et simplex, distinguitur a materiâ et nihil est nisi forma substantialis scholasticorum.

2°, Existit motus in rebus physicis; atqui, motus supponit primum motorem immutabilem; ergò, motor immutabilis admittendus est ut prima causa activitatis et motûs rerum mundanarum. Major experientiâ probatur; nam, « certum est et sensu constat aliqua moveri in hoc mundo (S. Thomas, *Sum. Theol.*, I, q. 2, a. 3). » Minor ratione demonstrari potest; videlicet, omne, quod movetur, ab alio movetur; undè, « necesse est devenire ad aliquid primum movens quod a nullo movetur; » secùs enim esset processus in infinitum. Motus igitur, ut fu-

(1) « Corpus omne perseverat in statu suo quiescendi vel movendi uniformiter in directum, nisi quatenùs a viribus impressis cogitur statum suum mutare. » Newton, *Principia philosophiæ;* Laplace, *Système du monde.*

siùs dicendum est in Theologiâ naturali, supponit primum motorem immutabilem.

IV. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 37. Obj. I. Sic se habet P. Janet (*Revue des Deux-Mondes*, 1874) : « La force n'est plus seulement une cause, elle devient une *substance;* » sed, juxtà scholasticos, vires physicæ nihil sunt nisi fœtus imaginationis, omnique realitate carent; ergò, rejicienda est theoria scholasticorum de viribus physicis (1).

Resp. *Concedo majorem; nego minorem.* Re quidem verâ, formæ substantiales veterum non sunt minùs reales quam *substantiæ « dynamicæ »* recentiorum idealistarum; nempè, scholastici, post Aristotelem, Platonem, S. Augustinum et S. Thomam, asserunt corporibus inesse principia simplicia, activitate prædita et a materiâ distincta, e quibus emergunt vires physicæ. Spiritualistæ verò sic loquuntur, duce P. Janet : « L'étendue a trois dimensions, la force n'en a aucune..... L'étendue est indéfiniment divisible; la force est essentiellement indivisible. L'étendue est inerte; la force est active. » Eapropter et ipsi meritò inferunt vires physicas inniti principiis a materiâ distinctis. Utrùm autem hujuscemodi principia vocari debeant *formæ substantiales*, vel « *substantiæ dynamicæ* et *hypostases*, » ad rem parvi refert.

Obj. II. Qualitates rerum materialium, activitas præsertim et motus « ab extensione et vi resistendi dimanant; » ergò, inu-

(1) Ea scripsit P. Janet : « A la voix de Descartes, les vieilles qualités occultes du moyen âge s'enfuirent comme des ombres qui craignent le jour. Les *formes substantielles*, les *accidents réels*, les *antipathies* et les *sympathies*, je ne sais quels monstres scolastiques qui formaient un monde dans le monde, et dont se repaissait l'imagination alourdie des vieux docteurs en même temps que l'imagination aventureuse des illuminés et des charlatans, de telle sorte qu'une limite précise n'avait pu être fixée entre la physique et la magie, — tous ces agents mystérieux, equivoques, produits bâtards de l'abstraction et du rêve, furent exorcisés, et la science dans sa vraie idée s'empara pour la première fois des esprits. » *Revue des Deux-Mondes*, mai 1874, p. 89.

tilis est hypothesis scholasticorum de principio virium physicarum.

Resp. *Nego antecedens* et *consequens*. Nam, ut vidimus, materia in quantùm est extensa, dicitur iners et passiva; moveri potest, sed haberi nequit ut motûs principium. Aliundè, vis resistendi est proprietas corporibus inhærens; sed, proprietas hujusmodi supponit principium a materiâ distinctum propter rationes allatas. Idcircò, materialistæ et positivistæ, qui vires physicas admittunt, principium earum non exhibent. « Le positivisme français, de même que l'empirisme anglais, renouvelant ou continuant la vieille philosophie de Condillac ou de Hume, s'efforce de ramener la notion de force ou celle de cause à un simple titre *nominal*..... n'ayant pas plus de valeur intrinsèque que la *vertu dormitive* qui fait dormir, ou la *vertu pulsifique* qui fait battre le pouls (P. Janet, *L'idée de force*, p. 88). »

Obj. III. Necessitas motoris immutabilis supponit veritatem hujus axiomatis : *Nihil movetur, nisi ab alio movetur;* sed, illud axioma non est absolutè verum; ergò, necessitas motoris immutabilis propugnari nequit.

Resp. *Concedo majorem; nego minorem*. Positivistæ cum materialistis nomina motûs, activitatis et motoris usurpant, omnem verò substantiam aut apertè negantes, aut saltem in dubium revocantes, motûs principia cùm intrinseca, tùm extrinseca rejiciunt. Vim quamdam *attractivam* et vim *repultricem* corporibus inesse contendunt; sed vires hujusmodi ex ipsamet atomorum dispositione, vel e fortuito casu, aut e selectione naturali dimanare gratis asserunt. Nonnulli verò recentes idealistæ, materialismum et positivismum impugnantes, motûs et activitatis causam secundariam et principium physicum admittunt; sibimetipsis autem parùm consentientes, primi motoris existentiam palam profiteri non audent; quinimò Creatoris actionem, et influxum primæ causæ ablegant inter veritates, de quibus nullam certitudinem comparare possumus. De causâ primariâ non aliter ratiocinantur, quam ipsi positivistæ de causis naturalibus et secundariis. Sed principium, a scholasticis propugnatum, est absolutè certum; nempè : *omne quod movetur, ab alio movetur;* aliquid

enim non potest *moveri* et seipsum *movere;* secùs enim esset *simul* et *sub eodem respectu* causa et effectus. Seu, ut aiunt scholastici, ens quod movetur est tantùm in *potentiâ* relativè ad motum; sed, ens in potentiâ non transit *ad actum*, nisi moveatur ab alio ente, quod est *in actu*. Ergò, indubium est motum supponere *motorem immutabilem*. « Force supérieure à toutes les forces du monde, ait R. P. Monsabré, force simple, unique, immobile, tout entière et en acte dans chacun des termes du mouvement : voilà le premier moteur (*Conférences de Notre-Dame*, 1873, 4e Conférence). » *)

ARTICULUS TERTIUS.

De proprietatibus ad materiam simul et formam referendis.

I. Quid dicendum est de proprietatibus quæ ad materiam et formam simul referuntur?

(* 38. Inspeximus eas proprietates, quæ *præsertim* ad *materiam* aut *formam* respiciunt; nunc inspicere debemus eas, quæ prosiliunt ex *unione materiæ simul* et *formæ*. Inter illas præsertim recensere oportet *figuras* corporum, seu *formas accidentales*, quæ dicuntur a sancto Thomâ *qualitates quantitatis*, aut *qualitates* circà quantitatem (IV, *Sent.*, disp. X, q. 1, a. 3, q. IV). Deindè pauca dicemus de *mirâ* corporum *structurâ*.

II. Loquere de formis accidentalibus.

39. Per formam accidentalem corporum, eam intelligimus *figuram* exteriorem, quæ in singulis rebus corporeis existit, et nostros afficit oculos : « Propriè significat, ait Suarezius, *modum* quemdam resultantem in corpore ex terminatione magnitudinis (*Metaphys.*, disp. XLII, sect. 3, n. 15). »

Forma dicitur per analogiam, quià corpus informat exteriùs et perficit, quemadmodùm interiùs forma substantialis materiam contrahit ad esse talis talisve speciei : « Formæ verò nomen, addit Suarezius, licet alioqui valdè generale sit, tamen prout inter has species numeratur, non aliud significat, quam ipsam figuram, quià illa est veluti exterior forma, quæ in corporibus

apparet. Undè idem videtur his duabus vocibus significari (*Ibidem*). »

Respectu speciei dicitur accidentalis, quià converti potest in aliam, ut accidit in mineralibus, quæ diversas figuras indifferenter accipiunt; aut saltem modificationes patitur, ex. gr. in vegetalibus et animalibus, quorum forma de die in diem mutationes aliquas experitur.

Formæ accidentales ad corpus jam integrè constitutum, id est materiâ et formâ coalescens, immediatè pertinent; nam, ex unâ parte, figura, seu forma accidentalis, supponit extensionem cujus est limitatio; extensio autem, licet habeat fundamentum in materiâ, requirit *unionem* materiæ cum formâ substantiali. Ex alterâ parte, materia per formam necessariò determinatur ad *esse* talem aut talem, et consequenter hanc aut illam figuram exteriorem sine formâ substantiali habere nequit; ergò, formæ accidentales resultant ex unione materiæ et formæ.

Hinc, formæ hujusmodi multùm discrepant a formâ substantiali; hæc est enim unum e duobus principiis corporum primigeniis; formæ verò accidentales annumerari debent inter proprietates accidentales corporis jam integrè constituti.

III. Loquere de mirâ corporum structurâ.

40. Postquam inspeximus formas corporum exteriores, quasi intùs penetrare, intimamque rerum compagem inspicere convenit. In omnibus enim, tam in parvis quam in magnis, in mineralibus et viventibus, apparet sapientia Conditoris.

1°, In corporibus *inorganicis*, juxtà quosdam recentiores, mira invenitur harmonia. Atomi tenuissimæ inter se uniuntur secundùm leges cohæsionis aut affinitatis ut moleculas efficiant; iterùm moleculæ copulantur, et crystallos, deindè corpora perficiunt (1).

(1) « Dans toute combinaison, les atomes des corps composants se mettent en commun pour s'équilibrer à nouveau et former invariablement un polyèdre géométrique symétrique... Ces polyèdres sont composés d'éléments atomiques linéaires à 3, à 5 et à 7 atomes placés

Ea chimicorum theoria est mera hypothesis; sed, etiamsi esset vera, atomorum, molecularum, crystallorum et corporum genesis solis materiæ proprietatibus explicari non posset; sed vim quamdam specialem, a viribus formæ substantialis non distinctam, necessariò supponeret.

Aliundè, forma substantialis non posset, nisi materia extensionem tanquam instrumentum præberet, miram corporum structuram componere; sit exemplum, architectus ædificium sine lapidibus extruere nequit. Ergò, mirabilis structura corporum inorganicorum emergit ex unione materiæ cum formâ substantiali.

2°, In *viventibus* autem, videlicet in plantis, in brutis animantibus, potissimùm in homine, perfectior adhuc membrorum et organorum dispositio comperitur; v. gr. pedes, aures, oculi, nasus, os, cutis aptissimè disponuntur ad functiones gressûs, auditûs, visûs, olfactûs, gustûs et tactûs; sanguis, quasi per canales in totum corpus effusus, calorem et vitam instaurat (Bossuet, *Conn. de Dieu et de soi-même*).

Hujusmodi structura non prosilit e solâ materiâ, nec a fortuito casu dimanat; sed principium ac fundamentum habet in formâ substantiali, quæ materiam informat et perficit, ut eâ, velut instrumento docili uti possit in suis operationibus. Sic, v. gr. forma corporis humani, naturali virtute, seu vi nativâ, quandò nullus obex interponitur, organum quodcumque disponit ad finem sibi proprium, oculos ad visum, aures ad auditum, pedes ad gressum. Illa verò apta dispositio fieri nequit, nisi mediante materiâ cum extensione seu quantitate dimensivâ; ergò, structura corporum resultat ex unione materiæ cum formâ substantiali (1). *)

parallèlement entre eux... Un atome d'une espèce est placé entre deux atomes d'une autre espèce, dans une même droite; ces atomes sont à une égale distance les uns des autres et forment des lignes de croisement sous un angle de 90 ou de 60 degrés, etc. » A. Gaudin, *Architecture du monde des atomes*, p. 35-37. Tale systema pluribus videtur fetus imaginationis.

(1) « Natura ordinatè procedit, aptando et assumendo media congrua

CAPUT SECUNDUM.

DE VITA.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de vita?

41. Qualitates, de quibus dictum est suprà, communes sunt omnibus corporibus etiam inorganicis; in rebus autem organicis invenitur activitas specialis, quæ « *spontaneitate* » gaudet et *vita* dicitur. De illâ quatuor sint articuli : 1^us^, De *vitâ* in genere; 2^us^, De vitâ *vegetativâ*; 3^us^, De vitâ *sensitivâ;* 4^us^, De *stabilitate specierum*, adversùs *generationes spontaneas* et *transformismum*.

ARTICULUS PRIMUS.

De vitâ in genere.

II. Quid est vita?

42. *Vita est activitas, quâ substantia seipsam movet.* Dicitur *activitas*, et in hoc consentit cum viribus physicis, de quibus dictum est suprà; sed additur, *quâ substantia seipsam movet*, et ità essentialiter differt a viribus physicis, quæ reperiuntur in rebus inorganicis.

Illaque differentia in duobus præsertim consistit 1°, nulla « *spontaneitas* » existit in mineralibus. Corpus enim *inorganicum*, non solùm moveri potest, sed etiam aliquâ gaudet activitate, v. gr. ignis adurit, vapor, electricitas et magnetismus, requisitis conditionibus habitis mirandos effectus producunt. Insuper experientiâ consta

ad finem quem intendit, ut os, dentes, guttur, stomachum aptissim fecit ad manducandum, deglutiendum et coquendum cibum, linguam ad loquendum, oculos ad videndum. » Goudin, *Physic.*, p. I, dispu II, art. 3.

iisdem inesse corporibus principium motûs intrinsecum, et alia possunt in alia mutuam actionem exercere. Attamen motus et activitas hujusmodi legibus *mathematicis* subjiciuntur, et nullâ *spontaneitate* gaudent; id est, corpus inorganicum moveri non potest, nisi impellatur ab alio; motum etiam aut quietem mutare nequit, et propterea dicitur *iners et vitâ carens*. Corpus autem vivens habet *in se* principium, quo *seipsum movere* potest ac perficere, ità ut suam activitatem exerceat quin ab extrinseco motore determinetur ad agendum; sic, animal vivit, quià seipsum movet ad ambulandum aut manducandum; aqua verò fluens vità caret, eò quod illius activitas et motus principium extrinsecum, nempè gravitatem aeris et pressionem requirunt. Jam principium illud intrinsecum, quo substantia seipsam movet, dicitur a scholasticis vita « *in actu primo* (1). »

2°, Actus vitalis, seu vita « *in actu secundo*, » ut aiunt, est *immanens;* videlicet, a naturâ suâ perficitur et terminatur in ipso agente; ut « *intelligere*, *appetere* et *sentire* (S. Thomas, *Contrà Gent.*, l. I, c. 97, n. 2); » quod sanè dici nequit de rebus inorganicis; in eis enim nulla est actio immanens.

(1) De distinctione viventium a non viventibus scripsit S. Thomas, dicens : « Respondeo dicendum quod ex his quæ manifestè vivunt, accipere possumus, quorum sit vivere, et quorum non sit vivere..... Primò autem dicimus animal vivere, quandò incipit *ex se motum habere;* et tamdiù judicatur animal vivere, quamdiù talis motus in eo apparet; quandò verò jam ex se non habet aliquem motum, sed movetur tantùm ab alio, tunc dicitur animal *mortuum* per defectum vitæ. Ex quo patet quod illa propriè sunt viventia, quæ *seipsa* secundùm aliquam speciem motûs movent... ut sic viventia dicantur quæcumque se agunt ad motum, vel operationem aliquam; ea verò, in quorum natura non est ut se agant ad aliquem motum vel operationem, viventia dici non possunt nisi per aliquam similitudinem (*Sum. Theol.*, I, q. 18, a. 1). »

Est etiam differentia in compositione mineralium e viventium. Nempè, corpora non viventia uno tantùm ve duobus, organica tribus, quatuor aut pluribus elementis ad functiones quasdam speciales dispositis, *ordinari* coalescunt. Generatio, nutritio, evolutio naturalis et mor in viventibus constanter et ubique reperiuntur; corpu autem inorganicum ex unione intimâ partium suarun mediante affinitate vel cohæsione formatum, per dis solutionem earumdem partium corrumpitur et in aliu compositum transit.

(* Nota : Ex dictis infertur conclusio maximi momenti; nempè vita dicitur *proprietas substantialis*. Undè, non est tantùm complexio functionum et phænomenorum, nec merum acciden ex atomorum et molecularum dispositione dimanans, ut volun materialistæ; sed pertinet ad formam substantialem, cujus es proprietas essentialis : « Vivum non est prædicatum accidentale ait Sanctus Thomas, sed substantiale (*Sum. Theol.*, I, q. 18 a. 2). » Ergò, falsæ sunt et rejiciendæ definitiones a nonnulli allatæ, v. gr. sequentes : « La vie est l'ensemble des fonction qui résistent à la mort (*Bichat*). » « La vie est l'ensemble de fonctions de l'être organisé (*Guthlin*). » « La vie est l'état d'ac tivité de la substance organisée (*Littré*). » Complexio phænome norum quæ sibi succedunt in rebus organicis et status activitati sunt effectus vitæ, minimè verò principium seu ratio sufficiens Principium illud debet esse internum et essentiale, idcircò vit dicitur proprietas substantialis. *)

III. **Quodnam est vitæ principium?**

43. Ex his omnibus dictis circà naturam et definitio nem vitæ, propositionem generalem, adversùs errore hodiernos statuere possumus; videlicet, principium vita *intrinsecum* maximoperè differt a materiâ, illudque prin cipium est forma substantialis, quatenùs a scholastici habetur; unde sit

PROPOSITIO.

Forma substantialis, eaque sola, est principium vitæ intrinsecum.

Veritas hujus propositionis infertur ex dictis in primo capite (N. 36); nempè, per principium intrinsecum intelligitur ratio sufficiens seu causa interna omnium phænomenorum ad vitam pertinentium; atqui, forma substantialis, eaque sola, potest esse causa phænomenorum hujusmodi; ergò, forma substantialis est principium vitæ intrinsecum. Major constat. Probatur minor. Vita definitur proprietas, id est qualitas substantialis; sed, omnis qualitas substantialis in formâ tanquam in principio reponitur, ut jam multoties diximus; ergò, vita nititur formâ substantiali tanquam principio intrinseco.

Aliundè, internum vitæ principium debet esse simplex, unum, activitate præditum; atqui, dotes illæ soli formæ substantiali competere possunt; ergò, forma substantialis est principium vitæ intrinsecum. Nam, actus vitales ad unum finem tendunt, scilicet ad conservationem et perfectionem agentis; unum subjectum, v. gr. idem animal producitur, augescit, nutritur; et in operationibus istis activitas requiritur, agens enim seipsum movet ac perficit; idcircò, post Suarezium dicere fas est: « In simplicibus, ut in intelligentiis, substantialis vita non videtur esse aliud quam ipsamet substantia *simplex*, quatenùs seipsam agere et movere ab intrinseco potest (*De animâ*, l. I, c. 2). » Hæc autem substantia simplex, una et activitate prædita, non est materia, quæ nullâ activitate gaudet, sed forma quatenùs a scholasticis habetur.

Propositio physicorum *auctoritate* confirmatur. Nam, juxtà multos cultores scientiarum physicarum, vita de-

fluere nequit e materiâ, nec e dispositione atomorum, n
e proprietatibus, quæ materiæ inhærent (Cf. Berzeliu
Traité de chimie; Cuvier, *Le règne animal*).

Prætercà, id quod convenit materiæ quatenùs est m
teria, ut extensio, v. gr., communis est omnibus corpo
bus; sed, omnis materia non est *vivens*, ut experien
constat; ergò, vitæ principium est aliquid a mate
distinctum.

IV. Quæ sunt variæ philosophorum sententiæ?

(* 44. Ex his apparet quid sit sentiendum de variis auctor
sententiis, circà præsentem quæstionem. Alii contendunt vi
principium non esse distinctum a viribus istis, quæ vocari sol
cosmicæ, physicæ, chimicæ, mechanicæ; series autem phæn
menorum vitalium ad electricitatem, magnetismum et affinita
referri debet. Eorum systema vocatur *organicismus*, quià neg
aut saltem in dubium revocat existentiam principii vitalis, pr
ter aptissimam organorum physicorum dispositionem. Materi
listis ac positivistis præ cæteris arridet.

Alii, ut phænomena vitæ faciliùs explicent, vim quamd
admittunt ab animis simul et a viribus physicis distinctam, q
functiones vitæ, generationem, nutritionem, incrementum p
ducit et dicitur *vis* seu *virtus vitalis;* ideoque nomen illius s
stematis est *vitalismus*.

Existit tandem *animismus*, id est sententia eorum qui, salt
in corporibus animatis, agnoscunt principium simplex, activu
ex quo prosiliunt omnia vitæ phænomena; hoc principium
variis auctoribus dicitur *anima, forma substantialis, vis imm
terialis et substantia simplex* (Cf. *Psychol.*) (1).

(1) Inter philosophos ævi præsentis, consule Broussais, de Mag
die, Rostan, *organicismi* patronos; Bordeu et Barthez, fautores *vi
lismi;* Jourdain, Bouillier, Richard de la Prade *animismi* defensor
Vide F. Ravaisson, *La Philosophie en France au* XIX^e^ *siècle*, p. 170-1

Ad hæc tria systemata omnes philosophorum opiniones revocari possunt; longè tamen abest ut illarum opinionum magistri inter se consentiant. Apud antiquos, Thales et Democritus, cum aliis materialistis, animam tenuissimis materiæ partibus conflatam admittebant. Manichæi verò animam rationalem omnibus viventibus, etiam arboribus, largiebantur. Cartesius in homine solo principium simplex agnoscit, plantas autem et bruta meris machinis assimilat (1).

Ætate-Mediâ viguit et viget adhuc celeberrima Thomistarum et Scotistarum controversia, videlicet utrùm sit *unum* aut *multiplex* vitæ principium. Juxtà sanctum Thomam ejusque discipulos, in singulis corporibus vitâ fruentibus unum est principium vitale, seu forma substantialis, per quam ens accipit simul et *esse corpus* et *esse vivens;* eapropter anima dicitur simul actus corporis quatenùs est inorganicum et quatenùs est vivens : « Dicendum est, ait sanctus Doctor, quod nulla alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiva, et quod ipsa, sicut virtute continet animam sensitivam et nutritivam, ità virtute continet omnes inferiores formas, et facit ipsa sola quidquid imperfectiores formæ in aliis faciunt. Et similiter est dicendum de animâ sensitivâ in *brutis*, et de nutritivâ in *plantis*, et universaliter de omnibus formis perfectioribus, respectu imperfectarum (*Sum. Theol.*, I, q. 76, a. 4). » Econtrà Scotus, doctor subtilis, asserit inesse viventibus formam quamdam specialem ab animâ distinctam, quam vocabat formam « *corporeitatis* et *mixtionis* (IV *Sent.*, dist. XI, p. 3, a. 2). » Ità « corporeitatis » forma constituit corpus *organicum;* illud tamen vitam propriè dictam ab animâ recipit. Nonnulli formas extrà modum multiplicant; ità Leibnitzius monades numero infinitas admittit.

Inter omnes illas philosophorum controversias, doctrina sancti Thomæ, docentis vitæ principium esse *formam substan-*

(1) Inter recentiores, R. P. Tongiorgi principium vitæ corporum vegetalium reponit in viribus, « quæ non aliud esse videntur, quam variæ resultantes virium mechanicarum et chimicarum. » *Psychol.*, lib. I, c. II, a. 3; admittit autem in brutis animam « simplicem et indivisibilem. »

tialem, simplicem, unam, activitate præditam, est admittenda propter rationes allatas; omnium enim vitæ phænomenorum rationem exhibet, et sola explicare potest *unitatem*, quæ reperitur in viventibus, ut videbitur in Psychologiâ, ubi dicendum est de unione mentis et corporis.

Veritas hujus sententiæ probatur etiam ex viventium functionibus. Vita scilicet est proprietas formæ substantialis, et ea proprietas, activitate gaudens, varias operationes seu *functiones* producit, ut sunt nutritio, augmentum, reproductio in omnibus viventibus, in animalibus sensatio, intellectio et volitio in hominibus. Hujusmodi functiones tam diversæ, tam spectabiles, ab uno principio vitali prosiliunt, videlicet a formâ substantiali, ad unum finem, id est ad perfectionem viventis et ad conservationem speciei harmonicè concurrunt.

De generatione specialis est difficultas multaque systemata prodierunt. In præsenti quæstione breviter recensere debemus quænam sint principia communiter admissa; nam alibi fusiùs exponemus recentiorum quorumdam opiniones de « *generationibus* spontaneis et *transformatione specierum.* »

1°, Generatio propriè dicta est « *actio, quâ vivens producit viventem sibi similem in naturâ, vi productionis* (Polman., *Brev. Theol.*). » « Generare, ait S. Bonaventura, de sui propriâ ratione est similem sibi in substantiâ et naturâ producere (*Sent.*, dist. XIX, a. 1, q. 1). » Undè,

2°, Generatio non est productio accidentium in substantiâ jam existente, ut aliqui falsò contendunt; non est a fortiori creatio alicujus entis e nihilo, sed vera productio substantiæ viventis a substantiâ vivente, ità ut ens generatum a generante educatur (S. Thom., *Contrà Gent.*, l. III, c. LXIX).

3°, Ut constat *inductione*, vivens a solo vivente gignitur, ideoque repugnat experientiæ systema generationum spontanearum : « La vie ne naît que de la vie, ait egregiè D. Flourens. Tout être vivant vient d'un parent. Les individus périssent, mais la vie ne périt pas. Avant de périr, ils l'ont transmise (1). »

(1) *De la longévité humaine, Ontologie naturelle;* Pasteur, *Hétérogénie;*

Ergò, doctissimus de Quatrefages meritò dicere potuit : « Nous regardons comme définitivement condamnée la doctrine des générations spontanées (*Revue des Deux-Mondes*, 1861). »

4°, Item, probatur universali experientiâ corpus vivens simile sibi gignere; v. gr. quercus quercum, asinus asinum, bos bovem, homo hominem producit, secundùm illa Scripturæ verba : « Germinet terra herbam virentem et facientem *semen*, et lignum pomiferum faciens fructum *juxtà genus suum*, cujus *semen* in semetipso sit super terram. Et factum est ità. Et protulit terra herbam virentem, et facientem *semen juxtà genus suum*, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque *sementem secundùm speciem suam* (*Genesis*, c. 1, v. 11-12). »

Idcircò rejiciendus est *transformismus*, juxtà quem corpus unius speciei corpus alterius speciei producere posset, et illud axioma tenendum est ut certissimum : *Omne simile producit sibi simile*. « Apparet per *inductionem* in omnibus, ait sanctus Thomas, quod simile agat suum simile (*Loc. cit.*). » *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De vita vegetativa.

I. Quid est vita vegetativa et quæ sunt ejus functiones?

(* 45. Principium intrinsecum, per quod omne corpus vegetale seipsum movet et finem suum attingit, dicitur *vita vegetativa*, quæ definiri potest : « *Principium*, quo *substantia sese nutrit, auget et propagat.* »

Operationes diversæ, quibus vegetalia sese nutriunt, augent et propagant, dicuntur vegetalium *functiones*. Tres agnoscuntur a Scholasticis, duce S. Thomâ cum Aristotele, videlicet operationes *nutritionis, auctionis et productionis;* botanistæ verò plerique ad duas classes revocant omnes vegetalium functiones,

Liebig, *Apologie du Christianisme;* Longet, *Traité complet de physiologie;* Ehrenberg, de Humboldt, Janet.

videlicet ad nutritionem et productionem (1). Præcipua nutritionis organa sunt radices, caulis et folia, productionis autem flores et fructus.

Iidem auctores plantas dividunt in classes, classes in familias, familias in genera, genera in species, speciesque tandem in individua. Quibus si studium indulgere velis, consule potissimùm Linnée, Jussieu, Haller, Adanson (2). *)

II. Quodnam est principium vitæ vegetativæ?

46. (* Illa plantarum varietas aspectabilis existere nequit sine principio interno, seu causâ vegetalibus ipsis inditâ. Circà præsentem quæstionem, tres prodierunt philosophorum sententiæ :

1°, Nonnulli, post Epicureos et Stoicos apud veteres, duce autem Cartesio inter recentiores, docuerunt nullum plantis inesse principium simplex ab ipsâ materiâ, vel a materiæ viribus distinctum. Idcircò, vita vegetalium emergit ex aptâ specialique atomorum dispositione, ut ait Lamark, aut e selectione naturali, juxtà Darwin multosque Positivistas; alii verò, præsertim atomistæ chimici, per vires mechanicas et chimicas explicant phænomena vitæ vegetativæ (3).

(1) « La vie des plantes plus simple que celle des animaux ne comprend que deux ordres de fonctions, la nutrition et la reproduction. » Langlebert, *Manuel d'histoire naturelle*, 20e édit., p. 227. Illa recentiorum divisio quibusdam anteponenda videtur; Cf. *Psycholog.*, divis. facultatum, n. 32, 33.

(2) Linnée (1707-1778), *Systema naturæ, Fundamenta botanica, Bibliotheca botanica, Genera plantarum, Classes plantarum, Philosophia botanica.* — L. Jussieu (1748-1836), *Genera plantarum secundum ordines naturales disposita.* — Haller (1708-1777), *Flore de la Suisse.* — Adanson (1727-1806), *Familles des plantes.*

(3) S. Tongiorgi, novam solutionem exhibere volens, asseruit vires peculiares vegetalibus inesse, et illas nec e solis viribus mechanicis nec e solis viribus chimicis, sed ex earum unione simul prosilire « Vires quædam peculiares, ait, in vegetalibus agnoscendæ sunt, quæ in materiâ inorganicâ non vigent. Hæ tamen vires non aliud esse videntur quam variæ *resultantes* virium mechanicarum et chimicarum, prouti hæ sub organismi conditionibus operantur (*Psychol.*, l. I, c. II, a. 3). »

2°, Alii docent plantis inesse vitam sensitivam; talis est opinio Platonis, cui favent Leibnitz, de Tracy cum aliis quibusdam recentioribus. Imò, non desunt qui vegetalibus tribuant animam sensitivam et *intellectivam;* sic, juxtà Manichæos, horrendum patrat homicidium, qui plantam decerpit, aut comedit fructum.

3°, Tertia tandem sententia, quæ parentem habet Aristotelem et defensorem S. Thomam cum omnibus scholasticis, plantis solummodò concedit vitam vegetativam, cujus principium reponitur in formâ substantiali (S. Thom., *De Verit.*).

Prima et secunda sententia est rejicienda; tertia verò, eaque sola, propugnari potest. Nempè :

(A.) *Principium vitale a viribus materiæ distinctum vegetalibus inest; undè, atomismus, quocumque modo propugnetur, est rejiciendus.*

Probatur. — Productio vegetalium, nutritio, auctio, folia, flores et fructus, generatio similium a similibus, aliaque hujusmodi soli materiæ tribui non possunt; ergò, in vegetalibus existit principium vitale a materiæ viribus distinctum. Probatur *antecedens.* Vegetalia *specificè* differunt a corporibus inorganicis; nàm, productio, nutritio et alia similia non reperiuntur in mineralibus. Sed, materia est eadem in omnibus corporibus, et de se *indifferens* est ad talem aut talem speciem. Ergò, vita vegetativa supponit principium a materiâ distinctum; vel omne corpus est vegetale, quod evidenter falsum est.

Aliundè, unitas existit in vegetalibus; omne enim vegetale habet organa, quæ conspirant in eumdem finem, id est in nutritionem et productionem. Sed, unitas illa concipi non posset, si materia extensa et divisibilis esset principium vitæ in plantis. Ergò, necesse est admittere in vegetalibus principium a materiâ distinctum.

Auctoritate confirmatur. Eamdem sententiam tenuerunt multi scientiarum naturalium cultores, et atomismum ut materialismo faventem invictè rejecerunt. Imprimis de Jussieu, Cuvier, Bichat, quem auctores nonnulli reponunt inter organicistas, ipse Stahl, Barthez, Quatrefages, Berzelius et alii quamplurimi

palam asserunt principium vitale plantarum esse distinctum a materiæ viribus. Ex. gr. audi Berzelium aientem : « L'essence du corps vivant n'est pas fondée dans ses éléments inorganiques, mais dans quelque autre principe qui dispose les éléments organiques, communs à tous les corps vivants (*Traité de chimie*, t. II). » Ergò, tùm ratione tùm auctoritate probatur inesse vegetalibus *principium vitale*, a materiâ distinctum, ideoque atomismus, quocumque modo propugnetur, est rejiciendus.

(B.) *Principium vitale plantarum non est anima sensitiva, nec a fortiori intellectiva.* In hoc consentiunt auctores, et, paucis tantùm exceptis, nullam vegetalibus sensibilitatem tribuendam esse putant. Et sane, gratis asserunt aliqui sensualistæ, spiritualitatem animæ negantes, plantas experiri sensationes doloris, gaudii, frigoris et æstûs; constat enim vegetalia carere *phænomenis* vitæ sensitivæ propriis.

Insuper, facultas sentiendi vegetalibus inutilis foret, quià finem suum naturalem, nempè productionem, nutritionem auctionemque attingere possunt sine sensationis auxilio. Sed, natura nil facit frustrà; ergò, plantæ non sunt sensitivæ.

Plantis etiam desunt organa sensationis; sed, organo deficiente, deficit et sensus; ergò, plantis deest sensatio. Undè meritò scripsit Albertus Magnus, dicens : « Sensus in plantis non invenitur. Natura enim non deficit in necessariis. Si autem daret sensum et non daret membra et organa sentiendi, sicut oculos, aures et hujusmodi, ipsa procul dubio in necessariis deficeret. Quùm igitur in plantis nihil horum sensûs membrorum, sive organorum inveniamus, constat quod plantis nullus omninò inest sensus (*De vegetalibus et plantis*) (1). »

(1) De Metempsychoseos autem fautoribus, animam non solùm sensitivam sed etiam intellectu præditam plantis largientibus, silere debemus; illa verò sancti Augustini verba referre juvabit. « Non audienda est nescio quæ impietas rusticana, magisque lignea quam sint ipsæ arbores, quibus patrocinium præbet, quæ dolere vitem quandò uva decerpitur, et non solùm sentire ista quùm cæduntur, sed etiam videre atque audire credit (*De quantitate animæ*, c. XXXIII, n. 71).

(C.) *Principium vitale plantarum in formâ substantiali scholasticorum solummodo reponitur.*

Illa veritas ex dictis infertur; etenim, ex unâ parte, certum est vitam vegetativam oriri a principio quodam intrinseco a materiâ distincto; ex alterâ parte, falsum est systema eorum, qui plantis concedunt animam sensitivam; ergò, superest ut principium vitale plantarum sit aliquid substantiale vi seu activitate *vegetativâ* præditum. Alioquin, ut alibi dictum est, e duobus principiis corporum constitutivis unum activitate gaudet, scilicet forma substantialis; hæc igitur forma substantialis est principium vitæ vegetativæ plantarum. A nonnullis dicitur *vita substantialis*, ab aliis *forma*, vel etiam *anima* vegetalium, aut simpliciter « principium aliquod *essentiale*, a viribus physicis et chimicis planè diversum (Liberatore); » sed ad rem parvi refert.

Prætereà, quùm etiam in rebus inorganicis *unum* sit principium formale seu « *specificum*, » a fortiori in vegetalibus *unum* est principium hujusmodi, seu forma substantialis est *solum* vitæ principium in plantis; secùs enim non *una*, sed *plures* essent substantiæ et plura individua in eodem subjecto; quod rationi et experientiæ contradicit. *)

III. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 47. Obj. Organisatio reperitur in plantis; sed, organisatio sufficit ad explicanda vitæ phænomena; ergò, non requiritur principium a materiâ distinctum.

Resp. *Concedo majorem. Nego minorem.* Nam, organisatio materiæ est *effectus*, qui supponit causam, ut opificium supponit artificem. Aliundè, sola organa non sufficiunt ad explicanda vitæ phænomena, eò quod multa sunt organa ad vitam aptè disposita, quæ tamen vitâ carent; v. gr. in corporibus, e quibus vita discessit, supersunt ordinariè organa visûs, auditûs, olfactûs; cadaver autem non videt, non audit, non olfacit.

Inst. Solæ vires materiæ sufficiunt ad explicandam organisationem vegetalium; ergò, inutilis est forma substantialis.

Resp. *Distinguo antecedens :* solæ vires materiæ sufficiunt ad explicandam organisationem vegetalium, si vires hujusmodi

habentur ut proprietates substantiæ *simplicis* et *activæ*, *concedo;* si sumuntur in sensu atomistarum pro viribus cosmicis, chimicis, mechanicis et physicis, quæ a *solâ materiâ prodeunt*, *nego*. Et hoc propter duo : primò, vires illæ nullâ spontaneitate gaudent; secundò, inveniuntur in omnibus corporibus etiam inanimatis. Vita autem etiam merè vegetativa supponit principium activitatis intrinsecæ et spontaneæ; item, principium illud non est omnibus rebus commune, sed viventibus solummodò competit. *)

ARTICULUS TERTIUS.

De vita sensivita.

I. Quid dicendum de vitâ sensitiva?

48. Ad gradum altiorem pertinet animalium vita; nam, in animalibus, præter vegetationis phænomena, sensibilitas, perceptio quædam, appetitus sensuum et motus localis inveniuntur; attamen essentialiter differunt ab homine, qui solus inter animantia gaudet intellectu. In hoc articulo, doctrinam scholasticorum evolvere oportet tùm adversùs eos, qui brutis animam sensitivam denegant, tùm contrà illos, qui bestiis animam rationalem largiuntur. Undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Bruta non sunt merè automata; sed facultate sentiendi gaudent; verumtamen non habent intellectum.

1°, Bruta non sunt *automata*, sed facultate sentiendi gaudent.

Post veteres non paucos, recentiores Pereira (*Antoniana Margarita*, 1554), et Cartesius docuerunt bruta non differre a meris automatis, seu machinis affabrè dis-

positis. Deindè nonnulli Cartesii sectatores eamdem sententiam tenuerunt (1).

Tale systema *falsis innititur fundamentis.* Cartesius enim corpus et extensionem, simplicitatem et spiritualitatem non distinguens, substantias duplicis solùm generis, alias essentialiter extensas, alias essentialiter spirituales admittit; et exindè proficiscens, bestiis animam subtrahit, ne collocet eas inter spiritus. Sed, ex omni parte corruit opinio Cartesiana; nempè, corporis essentia non consistit in extensione partium; insuper, formæ substantiales, seu substantiæ simplices, rationis expertes, existunt in orbe physico. Ergò, Cartesianismus falsis innititur principiis.

Imò, *periculis* non vacat, et *erroribus iter* pandit. Nam, si phænomena vegetationis et sensibilitatis in animantibus existentia solis machinis et automatis affabrè constructis tribui possent, quarè soli materiæ non tribueretur vita rationalis? Aliundè, constat *experientiâ* belluas non solùm vitâ vegetativâ, sed etiam facultate sentiendi gaudere; quod sic probatur :

In brutis animantibus percipiuntur omnes sensationis effectus; sed, sensationis effectus necessariò supponunt facultatem sentiendi; ergò, facultas sentiendi brutis animantibus inest. — In brutis animantibus percipiuntur omnes sensationis effectus ; v. gr. canis verberatus fugit, econtrà pane allicitur ; mugit bos fame oppressus ; gallus vocem lætam extollit, quandò prima dies elucet; anseres autem exterriti clangores emittunt. Belluæ sensationes

(1) Descartes, *Discours de la méthode :* « C'est la nature qui agit (dans les animaux) selon la disposition de leurs organes : ainsi qu'on voit qu'une horloge qui n'est composée que de roues et de ressorts, peut compter les heures et mesurer le temps plus justement que nous avec toute notre prudence. » Livre sixième, item Livre cinquième.

etiam experiuntur mediantibus *organis*, et quinque sensus externos pleræque possident, auditum, visum, tactum, gustum et odoratum. In animalibus perfectis inveniuntur quoque sensus interni, v. gr. imaginatio, appetitus, memoria, instinctus, imò vis quædam « æstimativa. » Undè, non solùm « sentiunt, » sed etiam « *sentiunt se sentire*, » ut loquamur cum scholasticis (1).

Sed, omnes isti sensationis effectus, qui sane non producuntur secundùm leges mechanicas, organa physica et sensus cùm externi tùm interni luculenter commonstrant in brutis animantibus existentiam facultatis sensitivæ; facultas autem illa habet ut principium formam substantialem, quæ dicitur anima belluina; impossibile est enim ut materia, quatenùs est *materia*, habeat facultatem, quâ *percipere* et *appetere* possit. Ergò dicendum est, adversùs Cartesium, animam non solummodò vegetativam ut in plantis, sed etiam sensitivam in brutis existere. Verumtamen,

2°, Principium vitale seu anima brutorum *facultate intelligendi non gaudet.*

Post veteres philosophos, Pythagoram, Anaxagoram, Parmenidem, Plutarchum, Porphyrium, Celsum et Manichæos, Helvetius materialista, Darwin transformismi patronus, positivistæ Comte et Taine, Reidiani plerique, necnon et Eclectici cum philosophis quibusdam christianis, intellectum, gradu tamen infimo, brutis ani-

(1) » Ovis, inquit S. Thomas, videns lupum venientem, fugit, non propter indecentiam coloris, vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ; et similiter avis colligit paleam, non quià delectet sensum, sed quià utilis est ad nidificandum. Necessarium est ergò animali, quod percipiat hujusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior... Ad apprehendendum autem intentiones quæ per sensum non accipiuntur, ordinatur *vis æstimativa*. (*Sum. Theol.*, I, q. 78, a. 4). »

mantibus largiuntur (1). Sed contrà : causa manifestatur ex effectibus suis; atqui, brutorum operationes instinctum naturalem, appetitum et cognitiones partis sensitivæ non excedunt, et nunquam in eis conspicitur intellectûs nota; ergò, principium vitale, seu anima brutorum facultate intelligendi non gaudet. — Probatur minor.

Operationes animalium, v. gr. castorum, simiorum apumque, sensationem non excedunt; in illis enim nulla cognitio *generalis* apparet; atqui, circà notiones generales intellectus versatur : « Sensus non est cognoscitivus, nisi singularium, ait sanctus Thomas..... Intellectus autem est cognoscitivus universalium, ut per experientiam patet (*Contrà Gent.*, l. II, c. 66). » Ergò, bruta non possident intellectum. Reverà, qui gaudet facultate intelligendi, notitias *generales* comparat, de illis pronuntiat, diversas illationes infert, et seipsum in agendo *perficit;* sed, nunquam in belluis *progressus* invenitur; ergò, nulla bestiis inest cognitio generalis, et proindè nullus intellectus.

Probatur ex *auctoritate;* scilicet, Aristoteles, et omnes peripatetici, Philo, Plotinus, deindè sancti Patres Ecclesiæ, scholastici veteres ac recentiores, multique scientiarum naturalium cultores (2) eamdem sententiam pro-

(1) Sic se habet, Damiron : « L'esprit, dans les animaux, ne déroge pas à la loi qui est essentielle aux esprits; placé au dernier rang du monde *intellectuel*, il est cependant de ce monde, il en suit le système, il en reproduit dans le peu qu'il fait la marche constante et une. Dans la courte carrière qu'il a à parcourir, il procède de la même manière que l'entendement le plus élevé; il ne va pas aussi loin, mais il va par les mêmes règles. Et en général, de Dieu à l'homme, de l'homme à l'animal, il n'y a pas deux natures, deux essences de pensée, il n'y en a qu'une qui partout et sous toutes les formes est toujours la pensée ou la faculté de juger (*Psychol.*, t. II, p. 207). »

(2) Inter eos, qui philosophiam, aut scientias naturales excolunt,

pugnant. Sic loquitur sanctus Thomas : « *sensus* » invenitur in omnibus animalibus; sed homo solus habet « *intellectum.* » Qui enim habet « intellectum » operatur « *diversa* et *opposita;* » in brutis autem invenimus solummodò « *determinatas* quasdam operationes et *uniformes* in *eadem specie;* » v. gr. « omnis hirundo similiter nidificat. » Ergò, bruta non *moventur* ab intellectu, sed ab *instinctu naturæ* (Loc. cit.).

Aliundè, compertum est eam opinionem, quæ brutis animantibus intellectum concedit, esse periculosam et e proximo in *Transformismum* deflecti; si enim omnia terræ animantia solo gradu, non verò specie, distinguantur, progressus in sensu Transformistarum non adeò repugnat, ut admitti non possit. Prætereà, quùm substantia spiritualis libertate gaudeat et sit capax moralitatis, si bruta rationem habeant, libertatem, jura et officia ceteraque hujusmodi in eis agnoscere oportet; quod evidenter falsum est et perniciosum.

Brevius : *ratione*, *auctoritate*, *consectariis* demonstratur falsitas sententiæ, quæ brutis animantibus intellectum

multi sententiam Aristotelis et sancti Thomæ, propugnant; ex. gr. Liberatore, Sanseverino, Zigliara, Kleutgen, cæterique scholastici, Blainville, Pouchet, Sighard, Jourdain, C. Despréaux, cujus verba referre licet : « Quand on examine les différents animaux dont est peuplée la terre, on remarque en tous une certaine industrie et de justes précautions dans le choix des moyens qu'ils prennent pour parvenir à leurs fins. Ils ont une imitation de la raison humaine : on ne peut méconnaître en eux l'action d'une sagesse, d'une puissance infinie, qui imprima dans chaque espèce, une méthode dont elle ne s'écarte point. Mais cet instinct qui les fait agir et qui dirige leurs mouvements est bien *au-dessous de la raison.* S'ils jouissaient de cette précieuse faculté, on ne les verrait pas déroutés, stupides et intraitables, lorsqu'on les tire de la façon de vivre qui est particulière à leur espèce (*Livre de la Nature*). »

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

largitur; ergò, principium vitale, seu anima brutorum *facultate intelligendi* non gaudet.

II. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 49. Bruta quædam *physiologicè* parùm differunt ab homine; sed, ex organis innotescunt facultates; ergò, dicendum est bruta quædam, sicut et homines, intellectum habere.

Resp. *Transeat major. Distinguo minorem :* facultates *vitæ vegetativæ* et *sensitivæ* innotescunt ex organis, *concedo;* facultates *vitæ rationalis, nego.* Facultates enim hujusmodi non sunt *organicæ,* ut videbitur in *Psychologiâ;* undè, non innotescunt ex organis, sed ex *operationibus* tantùm; porrò, ut dictum est, operationes vitæ rationalis homini solummodò competunt (Cf. R. P. Liberatore, *Le Composé humain*).

Inst. Intellectus innotescit ex operationibus; sed, operationes vitæ rationalis inveniuntur in brutis, ut gratitudo, generositas, imò quædam educatio: undè, bruta quædam intellectum possident.

Resp. *Concedo majorem; nego minorem.* Facta enim ab adversariis congesta non superant vim et acumen facultatum ordinis sensibilis, et facilè tribui possunt memoriæ, imaginationi, et aliis sensibus internis aut externis (F. Frédault, *Traité d'Anthropologie*). Undè, quùm dicimus belluam esse intellectu præditam et cujusdam educationis capacem, analogiâ tantùm utimur, et nihil designare volumus, nisi quòd operationes nonnullæ sensibilitatis sunt operationibus rationis quodammodò similes. *)

III. Quid ex dictis inferre licet de naturâ animæ belluinæ, de ejus origine et exitu?

(* 50. Ex dictis duo corollaria deduci possunt de naturâ animæ belluinæ, de ejus origine et exitu :

1°, Juxtà scholasticos, *unum* invenitur in brutis animantibus principium vegetativum et sentiens, et non est aliquid a formâ substantiali distinctum. — Illud principium simplicitate quadam gaudere debet; sed non est spirituale, nec idcircò per se *subsis-*

tit, independens a corpore; cum materiâ autem concurrit ad efficiendum compositum seu corpus. Errant igitur qui, duce Wolfio, doctrinam scholasticorum materialismo favere contendunt; nam, scholastici non dicunt substantiam merè corpoream sensibilitate frui, sed animam simplicem, materiæ necessariò unitam, experiri sensationes et res mundanas singulares aliquo modo cognoscere et appetere.

2°, Anima belluina *per generationem oritur*, et *corpore dissoluto*, jam *esse desinit*. — Illa conclusio ex dictis legitimè deducitur; nam, anima belluina non est independens a materiâ, sed compositi sortem et vices experitur; ergò, datâ semel creatione, per generationem existentiam accipere debet, et, dissoluto corpore, ampliùs existere nequit. — Undè, Wolfius minùs rectè docuit animam brutorum non posse oriri nisi per creationem (Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 118, a. 2, ad 3^{um}; *De animâ*, 14). *)

ARTICULUS QUARTUS.

De stabilitate specierum adversùs generationes spontaneas et « transformismum. »

I. Quæ sunt dicenda de stabilitate specierum?

(* 51. Ex dictis, tres sunt vitæ gradus : nempè, vita merè *vegetativa* plantarum; vita vegetativa simul et *sensitiva* brutorum animantium; in homine tandem vita vegetativa, sensitiva et *intellectiva*. Idcircò, viventia dividi possunt in tres categorias generales :

Inter viventia
- Alia sunt merè vegetativa;
- Alia vegetativa simul et sensitiva;
- Alia vegetativa, sensitiva et intellectiva (1).

(1) De vitæ gradibus 'appositè scripsit Doctor Angelicus : « Modi vivendi distinguuntur secundum *gradus* viventium. Quædam enim

Quùm fusiùs alibi de vitâ intellectivâ dicendum sit, hic duo recensere oportet de principio « specifico » et « stabilitate specierum, « adversùs sententiam eorum, qui « *generationes spontaneas* » et « *transformismum* » enixè propugnant.

1°, *Forma* substantialis est in *viventibus*, sicut et in mineralibus, *primarium principium* quo *species* inter se *essentialiter* differunt.

Explicatur. Varii gradus inter viventia, imò species omninò diversæ comperiuntur : homo et simius, bos et equus, avis et piscis, animal et planta, quercus et salix essentialiter inter se differunt. Quæritur autem principium hujus differentiæ. Tantam difficultatem auctores, sensistæ præsertim et positivistæ sæpiùs eludunt; vel rerum specificationem tribuunt materiæ viribus, organorum dispositioni, aut « transformationi, » quæ per *selectionem* naturalem efficitur. Alii verò gradus tantùm, nullam autem differentiam essentialem inter homines et belluas admittunt. Econtrà, scholastici docent viventia essentialiter inter se differre, illamque distinctionem in formâ substantiali esse reponendam.

Probatur. Duplex in rebus mundanis principium constitutivum invenitur, ut dictum est suprà, nempè materia potentialis, in quâ fundantur proprietates ad *quantitatem* referendæ, formaque substantialis, cui diversæ rerum *qualitates* tribui solent; sed, id quo distinguuntur homines et pecora, belluæ et arbores, necessariò dici debet *qualitas;* ergò, principium *specificum* in viventibus est forma substantialis. Materia verò est principium *individuans*.

Talis est sancti Thomæ sententia : Forma « finitur » per materiam, ait, sed materia, quæ potest accipere diversas *species*, determinatur *ad unam speciem* per *formam*.

2°, Hinc legitimè deducitur conclusio maximi momenti : spe-

viventia sunt, in quibus est tantùm *vegetativum*, sicut in plantis. Quædam verò in quibus cum vegetativo est etiam *sensitivum*..... Quædam verò viventia sunt, in quibus cum his est *intellectivum*, scilicet in hominibus (*Sum. Theol.*, I, q. 78, a. 1). »

cies viventium sicut et mineralium *stabiles sunt;* videlicet, una species per seriem transformationum in aliam mutari nequit.

Mutationes enim non eveniunt nisi tantùm in proprietatibus *accidentalibus*, et substantia quæ proprietatem essentialem amitteret, non mutationem sed destructionem experiretur; atqui, proprietas *specifica* essentialis est, ut vidimus; ergò, mutatio specifica est impossibilis, eò quod essentiæ sunt immutabiles.

Aliundè, quùm forma substantialis sit simplex, non potest sese per partes communicare, nec aliquam proprietatem *essentialem* accipere; ergò, iterùm mutatio specierum fieri nequit.

Confirmatur experientiâ. De facto, species sunt ubique stabiles, et, testantibus quamplurimis scientiarum cultoribus, nunquam exstitit, præsertim inter viventia perfecta, unius speciei mutatio in speciem diversam : « Species tot sunt, ait Linnée, quot diversas formas ab initio produxit infinitum Ens. » Et infrà : « Species tot sunt, quot diversæ formæ seu structuræ hodiedùm occurrunt (*Philos. botanica*). » — « L'empreinte de chaque espèce, a dit Buffon, est un type dont les principaux traits sont gravés en caractères ineffaçables, et permanents à jamais (*Hist. natur. générale*). » Ità, quùm e duabus speciebus tertia generatur, hæc ultima vel seipsam denuò producere nequit, aut post tertiam aut quartam procreationem in primas species recidit (1).

II. Quid intelligitur per generationes spontaneas?

52. Ex unâ parte, species viventium sunt stabiles; ex alterâ parte, vita non effloruit ab æterno in orbe terrarum, ut meritò testantur cosmogoniæ veterum et recentiorum. Undè, viventia ortum habuerunt per creationem e nihilo. Ut eam conclusionem impugnent, materialistæ et positivistæ duas hypotheses finxerunt, nempè « *generationes spontaneas* » et « *transformismum.* »

(1) « Le croisement *des races* donne toujours des races nouvelles. Le croisement des *espèces* ne donne jamais des espèces nouvelles. Quant aux animaux appartenant à des *genres*, ou à des *ordres* différents, leur union est absolument inféconde. » D. Flourens, *De l'instinct* et *de l'intelligence des animaux.*

Juxtà eos, qui « *generationes spontaneas* » propugnant, vita non solùm e substantiis vitâ carentibus originem duxit, sed etiam quasi *spontè* suâ, nempè, per *generationes spontaneas*, in mundum apparuit. Quùm autem generationes hujusmodi in animalibus, quæ aciem oculorum non fugiunt, prorsùs repugnent, nonnulli opinati sunt insecta, quorum corpuscula ope microscopii solùm innotescunt, spontaneè vitam sortiri (Needham, Pouchet, Musset, Joly).

Sed, generationes spontaneæ, quocumque modo propugnentur, principio causalitatis, stabilitati specierum, et recentiorum experientiis contradicunt (1); ergò, rejiciendæ sunt, et illis non secùs ac diversis recentiorum veterumque figmentis, principia sanæ philosophiæ, de causis et potissimùm de creatione, præcellunt.

III. Transformismum expone et confuta.

53. Famosum illud systema, *transformismus* nomine, de quo zoologi, botanistæ, physiologi, philosophique disceptant, creationis facto logicè, directè verò *stabilitati specierum* adversatur; idcircò pertinet ad præsentem Cosmologiæ partem. — Rectè definiri potest : *Mera hypothesis, juxtà quam vita, per diversas evolutiones transiens, e rebus infimis ad altiorem gradum in homine pervenit* (Cf. H. de Valroger, *La Genèse des espèces*).

Dicitur, *mera hypothesis*, quià nullo stabilitur principio, et experientiis omnium populorum omniumque temporum contradicit. *Juxtà quam vita;* nam, illius hypothesis objectum formale ac immediatum est vita, cujus phænomena gradusque manifestantur in plantis, in brutis et in homine. *Per diversas evolutiones transiens;* quià transformistæ, stabilitate specierum rejectâ, contendunt vitam, ex infimis materiæ viribus erutam, gradatim per seriem mutationum, ope progressûs universalis, *altiorem* in hominibus *ordinem* attigisse.

(1) « Les expériences de M. Pasteur contre les générations spontanées sont décisives et sans réplique, ait D. Flourens. Il n'y a pas à revenir sur les travaux de M. Pasteur. »

Transformismus non est, ut aliqui voluerunt, ævi præsentis inventio, nec inter se consentiunt hujus portenti fautores. Apud antiquos, atomistæ, præsertim Epicurus, asserunt causam omnium vitæ phænomenorum esse motum atomis essentialem et earum *clinamen*. Id est, atomi, per vacuum agitatæ, declinaverunt a viâ, et, ad formandum corpus vivens et animatum, sese invicem et gradatim copulaverunt (Cf. de Quatrefages).

Nostris autem diebus, naturalista Lamark, Epicuri systema recoquens, transformismum sic evolvit : inest materiæ duplex ad vitam *aptitudo*, una *essentialis*, ex atomorum naturâ proveniens, altera verò *accidentalis*, pendens e variis circumstantiis. — Hæc aptitudo ad vitam acquirendam duobus exercetur *agentibus* seu mediis naturalibus, *necessitate* et *habitu*. Necessitas *organum* vitæ producit, et idem organum *perficiunt* ipsi habitus. Sit exemplum : die quadam felici, fungus, *aptè dispositus* ad vitam rationalem accipiendam, expertus est *necessitatem* ad altiorem gradum perveniendi. Ex hac necessitate orta sunt organa vitæ necessaria, caput, stomachus, venter, pedes, brachia; dein *habitus* organa perfecit, et tandem, labentibus sæculis, factus est homo.

Darwin, qui tali famâ fruitur, ut transformismus sæpè nominetur « *Darwinismus*, » opinionem antecessorum suorum scientiis naturalibus magis ac magis aptare cupiens, tres admittit leges generales, quarum auxilio, vita, per diversos gradus transiens, summum ordinem in hominibus attingit. Leges illæ sunt *selectio naturalis*, *æmulatio vitalis* et *reversio* (Cf. Huxley et Tyndall.) In his Darwin parùm differt a nonnullis veteribus; sic, v. gr. Empedocles docuit prima principia esse *amicitiam* et *litem*, id est selectionem naturalem æmulationemque vitalem : « Empedocles, ait S. Thomas, quatuor elementa, et cum his duo moventia, amicitiam et litem..... posuit omnium rerum principia (*Opuscul. de substantiis separatis*). »

Selectio naturalis est illa propensio invincibilis, per quam, in rebus naturæ, entia magis perfecta sese invicem, aliis rejectis, diligunt et unionem arctissimam appetunt ad producendum ens novum a genitoribus distinctum et ad ordinem altiorem perti-

nens. Æmulatio naturalis est acerrima quæ reperitur in viventibus pugna, per quam omne vivens sibimetipsi necessaria quærit. In hoc certamine quotidiano, individua minùs perfecta destruuntur, et alia supersunt; deinque vita progrediens, corpus vegetativum sensationem, et corpus sensitivum intelligentiam consequuntur. Sic omnia viventia prodeunt e paucis genitoribus primitivis; v. gr. e pisce cyprino (1). Reversio tandem existit, quandò proprietates, in primigeniis parentibus olim habitæ, denuò in nepotibus apparent : « Comme conséquence de cette loi, ait D. Vincelot, l'homme peut être menacé de perdre ses cheveux, ses ongles, sa bouche, ses oreilles, sa position verticale, son langage articulé, avantage qu'il ne doit qu'aux effets lentement concédés par la sélection naturelle (*Essai d'une réfutation des théories darwiniennes*). »

Borussus Haeckel transformationes viginti duas inter genitorem primarium et hominem annumerat, scilicet undecim in ætate primordiali, tres in ætate primariâ, tres in ætate secundariâ, quatuor in ætate tertiariâ, et unam in ætate ultimâ seu quaternariâ (2).

Talis est illa transformismi lues, quæ, juxtà non paucos e recentioribus, doctrinæ veterum anteponenda videtur, et a solis hominibus ignaris ac sylvestribus, teste ipso Darwin, nondùm admittitur (3). Verumtamen Darwinismum, quæcumque sit illius forma, rejicimus; Nam :

(1) Darwin, *De l'origine et de la formation des espèces, la descendance de l'homme et la sélection sexuelle.* Eamdem ferè sententiam profitentur Musset, About, Joly, Renan, Walace, Strauss, et alii; Strauss autem, Musset, Joly generationibus spontaneis, de quibus dictum est, potissimùm favere videntur : « Strauss fait sortir l'homme spontanément du limon de la Chaldée. » Alex. de Humbold, *Lettre à Verbugen.* Item Germani Carus, Tiedman, Bremser, Burdach, et Italus Mantegazza.

(2) *Histoire de la création,* p. 164, 1874 : « Le point de départ de ces transformations diverses est une monère aquatique, organisme sans organes, constituée par un petit grumeau mucilagineux, mobile et amorphe et de substance carbonée et albuminoïde. »

(3) « La pensée que des animaux aussi distincts qu'un singe ou un

Illa rejicienda est hypothesis, quæ *experientiæ* simul et *rationi* apertè repugnat; atqui, talis est transformismus; ergò, rejiciendus est. Major constat. Probatur minor. Hypothesis transformistarum non solùm est merè gratuita, sed omnibus experientiis contradicit : « On n'a aucune preuve, ait Cuvier, que toutes les différences qui distinguent aujourd'hui les êtres organisés soient de nature à avoir pu être produites par des circonstances. Tout ce que l'on a avancé sur ce sujet est *hypothétique :* l'expérience paraît montrer au contraire que dans l'état actuel du globe, les variétés sont renfermées dans des limites assez étroites, et, aussi loin que nous pouvons remonter dans l'antiquité, nous voyons que ces limites étaient les mêmes qu'aujourd'hui. On est donc obligé d'admettre certaines *formes* qui se sont perpétuées depuis l'origine des choses, sans excéder ces limites, et tous les êtres appartenant à l'une de ces formes constituent ce qu'on appelle *espèce* (*Règne animal*). » Videlicet, intrà species easdem invenimus gradus diversos, *varietates* et *progenies*, v. gr. in columbis, in canibus, in equis; sed nunquam species una in aliam perfectiorem mutata est; ergò, transformismus experientiæ contradicit (Cf. E. Faivre, *La variabilité des espèces*, c. VI).

Aliundè, rationi repugnat; etenim, species, quarum principium fundamentale est forma substantialis, sunt omninò *stabiles*, ut vidimus; atqui, transformismus stabilitatem specierum destruit; ergò, rejiciendus est, quià rationi simul et experientiæ contradicit (1).

éléphant et un oiseau-mouche, qu'un serpent, une grenouille, un poisson aient pu descendre tous de mêmes parents, paraîtra *une énormité à ceux qui n'ont pas suivi le récent progrès de l'histoire naturelle.* » *Loc. cit.*, p. 203. « En ce qui regarde l'homme, c'est se mettre, au point de vue intellectuel, *au rang des sauvages*, que de le considérer comme l'œuvre d'un acte séparé de la création. » *Ibidem.* Et addit ingenuè : « Je ne puis croire que les opinions exposées dans ce volume blessent les convictions religieuses de qui que ce soit. »

(1) Auctores plerique transformismum impugnant quatenùs oppositum facto creationis; sed fundamentum illius systematis, id est, negatio-

Ex his omnibus, iterùm apparet quanta sit doctrinæ scholasticorum cum scientiis physicis analogia; nam, principia exposita, de formâ substantiali, rationem exhibent omnium phænomenorum ad vitam pertinentium. Nempè, vires physicæ, motus et activitas, vita vegetativa, sensitiva et intellectiva, principium generationis et specificationis fundamentum intrinsecum habent in principio simplici, quod dicitur *forma substantialis*; undè, diversi materialistarum, positivistarum, atomistarum, transformistarum errores corruunt. *)

APPENDIX.

DE APPLICATIONE SYSTEMATIS SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

I. Resume systema scholasticum de corporum essentia et proprietatibus.

* 54. Juxtà scholasticos, corporum essentia conflatur duplici principio, materiâ et formâ. Talis est doctrina sancti Thomæ, dicentis : « *Essentia* propriè est id quod significatur per diffinitionem. Diffinitio autem complectitur principia *speciei*, non autem principia *individualia* : undè in rebus compositis ex materiâ et formâ, essentia significat non solùm *formam* nec solùm *materiam*, sed compositum ex materiâ et formâ communi prout sunt principia speciei (*Sum. Theol.*, I, q. 29, a. 2, ad 3^um^). »

nem stabilitatis specierum, directè non attingunt. Alii demonstrant opinionem transformistarum experientiis recentiorum contradicere; rationem verò fundamentalem, e formâ scholasticorum desumptam non assignant; ex. gr., D. Bougaud. *Le Christianisme dans les temps présents*, tome I, p. 52; R. P. Caussette, *Le bon sens de la foi*, tome II, c. XII, La foi et l'anthropologie transformiste.

Hinc, Cartesius, Malebranchius et omnes, qui corporis essentiam in trinà dimensione reponunt, Lockius, asserens substantiam rerum esse nobis penitùs ignotam, Leibnitzius, Boscovichius et ipse Scotus, qui substantias aut infinitas, aut innumeras, aut tres saltem in essentià corporum admittunt, errare videntur.

Attamen principia corporum primigenia, nisi per miraculum, non possunt esse sine quantitate trium dimensionum, quæ semper et immediatè dimanat ex ipsâ rerum materialium essentiâ; ideoque scholastici, paucis exceptis, essentiam corporum reponunt in materiâ et formâ, cum « exigentiâ » trium dimensionum seu extensionis continuæ. Proindè, juxtà eosdem doctores, essentia corporum definiri solet : Substantia composita ex materiâ et formâ, cum *exigentiâ extensionis*, seu cum *extensione radicali*. Sanseverino sic se habet inter alios : « Post Aristotelem omnes, ait, si Okanum ejusque discipulos exceperis, doctores mediæ ætatis, et qui deinceps S. Thomæ et Scoti placita defenderunt,..... concorditer docuerunt, quamvis corpus dimensionibus naturâ suâ prædituin sit, tamen has ad *essentiam* ejus *non pertinere*, ità ut ex *virtute Dei* separari ab ipso queant. Quùm autem animo reputarent extensionem esse corporis proprietatem, quæ ad duo ejus principia constitutiva refertur, quæque prima omnium, et veluti cæterarum proprietatum fundamentum intelligitur, *essentiam* corporis in « *exigentiâ extensionis*, » sive, ut nonnulli aiunt, in « *extensione radicali* » positam esse decreverunt (*Cosmol.*, c. 1, a. 8). »

Corpus igitur, in ordine rerum naturalium semper exigit extensionem cum aliis proprietatibus, nec eâ spoliari potest, nisi solâ virtute divinâ et per miraculum, ut fit in SS. Eucharistiæ Sacramento.

II. Quomodo systema scholasticum applicari potest SS. Eucharistiæ sacramento?

55. Alumnis haud erit ingratum, neque junioribus Theologiæ candidatis inutile, tutam sanamque veterum sententiam, de substantiâ et extensione corporum, exemplo confirmari ac

illustrari; videlicet eam aptare possumus Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

(A.) Quippè primùm, ex parte *panis* et *vini :* sola sed tota panis et vini substantia, quæ distinguitur a quantitate, virtute Dei absolutâ mutatur in corpus et sanguinem Christi : « Tota substantia panis, ait S. Thomas, convertitur in totam substantiam corporis Christi, et tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi (*Sum. Theol.*, III, q. 75, a. 4). »

Eadem autem virtute divinâ *quantitas*, cum aliis proprietatibus ad eam referendis, peractâ consecratione, permanet integra; scilicet, causa secunda, seu substantia non subsistit, sed virtute infinitâ Causæ primariæ, quæ sine auxilio causarum inferiorum agere potest, iidem effectus quantitatis, qualitatis, gustûs, tactûs, nutritionis producuntur (1).

(B.) Ex parte corporis Christi : econtrà, corpus et sanguis Christi, vi consecrationis, non sunt in Eucharistiâ per modum *extensionis* seu quantitatis, sed per modum *substantiæ :* « Christum Dominum, ait *Catechismus Romanus* (c. XIX), eâ ratione in sacramento esse non dicimus, ut *magnus* aut *parvus* est, quod ad *quantitatem* pertinet, sed ut *substantia* est. Substantia enim panis in Christi substantiam, non in magnitudinem aut quantitatem convertitur. »

Undè, Christus Dominus, qui per modum substantiæ in Sacramento post transubstantiationem adest, hic non circumscribitur tanquam in loco; nam, corpus ratione quantitatis solum-

(1) S. Thomas, Billuart, cum plerisque scholasticis : « Respondeo dicendum, quod sensu apparet, factâ consecratione, *omnia accidentia* panis et vini remanere. Quod quidem rationabiliter per divinam potentiam fit. Primò quidem, quià non est consuetum hominibus, sed horribile carnem hominis comedere et sanguinem bibere; et ideò proponuntur nobis caro et sanguis Christi sumenda sub speciebus illorum quæ frequentius in usum hominis veniunt, scilicet panis et vini. Secundò, ne hoc sacramentum ab infidelibus irriderctur, si sub specie propriâ Dominum nostrum manducaremus. Tertiò, ut dùm invisibiliter corpus et sanguinem Domini nostri sumimus, hoc proficiat ad meritum fidei. » S. Thomas, p. III, q. 75, a. 5; q. 77, a. 2.

modò circumscribitur. Ergò, in *diversis* locis Christus esse simul, et multilocatione frui potest; eâ de causâ, pluries etiam in *eodem* spatio, scilicet in sacrâ pyxide, simul invenitur.

Ad rem S. Thomas : « Corpus Christi non est in hoc sacramento secundùm proprium modum *quantitatis* dimensivæ, sed magis secundùm modum *substantiæ*. Omne autem corpus locatum est in loco secundùm modum quantitatis dimensivæ, in quantùm scilicet commensuratur loco secundùm suam quantitatem dimensivam. Undè relinquitur quod corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in *loco*, sed per modum substantiæ, eo scilicet modo, quo substantia continetur a dimensionibus (*Sum. Theol.*, III, q. 76, a. 5). »

Verumtamen, juxtà S. Thomam, quantitas dimensiva corporis Christi est in sacramento, non quidem ex vi sacramenti, neque circumscriptivè tanquam in loco, sed ex reali *concomitantiâ* : « Ex vi quidem sacramenti, ait, quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc sacramento..... Quià tamen substantia corporis Christi realiter non dividitur a suâ quantitate dimensivâ et ab aliis accidentalibus, indè est quod ex vi realis *concomitantiæ*, est in hoc sacramento tota quantitas corporis Christi, et omnia accidentia ejus (*Loc. cit.*, q. 76, a. 4). »

R. P. Dalgairns et alii nonnulli contendunt Christum Dominum non esse in Eucharistiâ cum quantitate dimensivâ, etiam per concomitantiam : « Dieu, par sa toute-puissance, enlève les fonds qui composent le pain et le vin, leur substitue le corps et le sang de Jésus, en procurant miraculeusement encore la conservation des phénomènes. En même temps, il prive *d'étendue* le corps et le sang de Notre Seigneur, de sorte qu'aucun obstacle ne s'oppose à ce qu'il soit sur des milliers d'autels à la fois dans la chrétienté (*La sainte Communion*). »

Hæc egregia scholasticorum doctrina non solùm theoriæ de corporum elementis et proprietatibus, sed etiam scientiis naturalibus ac recentiorum experientiis optimè congruit. Circà præsentem quæstionem, R. P. Dalgairns, in eodem opere, *La sainte Communion*, sic loquitur : « Il est absurde de dire que la doctrine à jamais bénie de la transsubstantiation est une impossi-

bilité physique. La commune opinion sur la matière dont est venu ce sentiment est si loin d'être absolument vraie que des hommes de la plus grande intelligence, philosophes ou physiciens, soutiennent qu'elle est absolument fausse. »

Ità scientiarum progressus theologiæ adminiculum subministrat, neque solùm inter se dissidere non debent, sed sibimetipsis opem mutuam ferre possunt theologus et philosophus. *)

TERTIA PARS COSMOLOGIÆ

DE

LEGIBUS ORBIS PHYSICI.

I. Quomodo dividitur tertia pars, De legibus orbis physici?

56. Si corpus *in se* sumitur, nonnullas habet proprietates sive generales sive speciales, ut vidimus in secundâ parte; si autem omnia corpora sumuntur in suis *relationibus*, ad *eumdem finem* conspirant et reguntur *legibus*, quarum universitas et harmonia constituunt ordinem et perfectionem orbis physici. Circà præsentem quæstionem duo sint capita : I, *De legibus physicis in se* sumptis; II, *De derogatione* legibus physicis.

CAPUT PRIMUM.

DE LEGIBUS PHYSICIS IN SE SUMPTIS.

II. Quomodo dividitur caput primum, De legibus physicis in se sumptis?

57. Primùm quærendum est, quæ sint *proprietates legum naturæ;* deindè verò dicendum est de *ordine* mirabili, qui ex his legibus resultat. Undè, duo sint articuli :

1^us^, *De proprietatibus legum naturæ;* 2^us^, *De perfectione mundi.*

ARTICULUS PRIMUS.

De proprietatibus legum naturæ.

I. Quid est natura, et quid est lex naturæ?

58. Natura sæpè designat *collectionem* et *universitatem* rerum creatarum, et ut talis complectitur illud aspectabile corporum systemá, cui nomen est *orbis physicus.*

(* Natura igitur non est ens a corporibus singulis distinctum; undè, a vero discedunt, qui, duce Cudworth, per naturam intelligunt substantiam generalem, quæ dicitur *vis* genitrix, aut mediator *plasticus.* Substantia hujusmodi, neque corporea, neque spiritualis, vitam rebus physicis infundens, est mera fictio tùm a ratione, tùm ab auctoritate rejecta. *)

Quidquid verò procedit ab ipsis naturæ legibus, nec superat vires et exigentias rei cujuslibet individualis, aut omnium collectivè sumptarum, vocatur *naturale.* Undè, *lex naturæ* definiri potest : *Modus constans et uniformis, quem agentia physica servant in agendo.*

Leges illæ generales existunt, ut experientiâ constat; *stabiles* sunt, et verum est inductionis effatum, *transacto futurum erit consimile;* verumtamen non sunt *absolutæ*, nec immutabiles; undè, *miraculi* possibilitas logicè demonstratur (Cf. *Logic.*, n. 125). Item, leges naturæ fundamentum intrinsecum habent in ipsis principiis corporum constitutivis, vires physicas aliasque proprietates supponunt, ac tandem, nisi obstet aliquod impedimentum, constanter et ubique eosdem effectus producunt.

Inter leges physicas, ab auctoribus enumeratas, præcipuæ sunt : lex *continuitatis*, lex *constantiæ*, lex *utilitatis*, lex *medii naturalis*, lex *unitatis.*

Lex *continuitatis* his verbis exprimitur apud sanctum Dionysium : « Supremum inferioris naturæ gradum attingit infimum superioris (*De nominibus divinis*); » aut cum Leibnitzio : « *Natura saltus non facit.* » Hanc legem admittunt scholastici, duce sancto Thomâ : « Hoc autem modo, ait, mirabilis rerum connexio considerari potest. Semper enim invenitur infimum supremi generis contingere supremum inferioris generis; sicut quædam infima in genere animalium parùm excedunt vitam plantarum, sicut ostrea quæ sunt immobilia et solum tactum habent, et terræ in modum plantarum affiguntur; undè et beatus Dionysius dicit quod « divina sapientia conjungit fines superiorum principiis inferiorum (*Contrà Gent.*, l. II, c. LXVIII). »

(* Notandum est verò entia, quæ mundum universum constituunt, non *gradu* solummodò differre, sed etiam *specie*. Undè, rejicienda est lex continuitatis in sensu Leibnitzii et eorum, qui contendunt species *æquivocas* et *intermedias* existere in rebus physicis, ità ut entia non *specie* propriè dictà, sed *gradu* perfectionis tantummodò differant. Illa sententia est falsa; quippè, proprietates, quibus entia *specificè* distinguuntur, ut facultates vegetandi, sentiendi, cogitandi, vel sunt in quodam ente, vel non sunt; non est alia hypothesis. Ergò, non est possibile ut quoddam ens sit aliquid *intermedium*, v. gr. nec vegetale nec animale, sed utrumque *simul*. *)

Lex *constantiæ* seu *stabilitatis* duplici modo potest intelligi; scilicet, natura, positis iisdem circumstantiis, eosdem gignit effectus; et, leges orbis terrarum adeò stabiles sunt, ut diversa genera, nunquam per transformationes in alia *mutentur;* undè, transformismus recentiorum est rejiciendus.

Lex *utilitatis* sic exprimi solet : in naturâ nil fit inutile; seu, *natura nihil facit frustrà*. Experientiâ facile

demonstrari potest et ferè ab omnibus philosophis admittitur; nam, ut evidens est, nihil invenitur in rebus naturæ quod sit inutile et finem sibi proprium non habeat.

Lex *medii naturalis* pariter existit in mundo; scilicet, creatione semel effectâ, Deus non agit *immediatè*, sed tantùm *mediatè*, in eis quæ fieri possunt auxilio causarum secundarum; nam, infinita Sapientia creaturas omnes ad eumdem finem, ità disponere debet, ut aliæ aliis mutuum adjumentum præbeant.

Lex *unitatis;* videlicet, eò quod disponuntur ad eumdem finem et inter se uniuntur res singulæ, necesse est unitatem in mundo existere; idcircò, mundus dicitur *unus*, et ut aiunt scholastici, unum systema rerum physicarum efficitur ex illâ corporum diversitate.

Notiones legum naturæ per intellectum, inductionis ope, comparantur; sensus enim phænomena percipit; et intellectus ex his proficiscens, generalem legis notionem comparat. Ideoque notio ista fundamentum habet in rebus physicis, et omnis conceptualismus, aut idealismus rejici debet. Ità, Reidius falsò contendit hominem *vi instinctûs* naturalis agnoscere leges orbis physici, v. gr. ignem comburere, aquam refrigerare, panem nutrire (1). Ad notitiam illam generalem *instinctus* non sufficit, sed experientiæ auxilium et rationis abstractio requiruntur; instinctus quidem est *cæcus* et sola ratio notionem *generalem* comparare potest.

(1) *Essais sur les facultés.* G. Ortolan, *Encyclopédie*, sententiam Reidii propugnare videtur : « Un des modes de raisonnement les plus naturels à l'homme, une des conclusions de logique les plus usitées, sans étude et pour ainsi dire par *instinct*, ne repose que sur la croyance innée à l'existence des lois (de la nature). »

II. Quid ex dictis inferre licet de fine rerum mundanarum :

59. Ex dictis quatuor inferre licet de fine rerum mundanarum :

(A.) Omnia corpora, quibus orbis terræ coalescit, ad *finem* sibi *proprium* ordinantur; eapropter, Epicurus, Lamark et asseclæ contradicunt experientiæ simul et rationi.

Experientiâ enim constat oculos ad videndum natos esse(1), pedes ad ambulandum, aures ad audiendum : « In partibus corporis animati, ait sanctus Thomas, quædam ordinantur ad operationes animæ exequendas, sicut cor, hepar, manus et pes; quædam autem ad conservationem aliarum partium, sicut folia sunt ad cooperimentum fructuum; ità etiam capilli et ungues sunt in homine ad custodiam aliarum partium (*IV Sent.*, dist. XLIV, q. 1, a. 2, solut. 2). »

Ratione quoque demonstrari potest omne corpus ad finem sibi proprium ordinari; nam, agens propter quemdam finem semper operatur; ergò, Deus, prima mundi Causa efficiens, finem sibi proposuit in agendo, et consequenter assignavit singulis rebus fines immediatos atque speciales.

(B.) Finis rerum mundanarum non potest esse *bonum societatis* humanæ; idcircò *sociologia* recentiorum falsis innititur fundamentis; humanitas enim, individualiter aut collectivè sumpta, non est ultimus finis orbis physici.

Reverà, fatentibus ipsis positivistis, humanitas in se non existit, sed conflatur individuis; pariter individua non semper exstiterunt, et humanitas initium habuit.

(1) « Celui qui a fait l'œil, ait Newton, connaissait très-bien les lois de l'optique. »

Undè, sic argumentari licet : vel humanitatis Causa efficiens fuit sibi conscia, vel non : si prius, nihil nisi propriam gloriam debuit intendere, secùs enim nullum finem sibi proportionatum habere potuisset in creatione hominis ; si posterius, bonum humanitatis ut finem ultimum sibi proponere non potuit, eò quod agens sibi non conscium finem specialem intendere nequit in agendo ; ergò, in utroque casu, bonum humanitatis dici nequit omnium rerum finis ultimus, et *sociologia* recentiorum funditùs corruit.

(C.) In rebus physicis duplex distingui debet finis ultimus, videlicet *operantis* et *operis;* prior est ipsa Dei gloria *intrinseca*, posterior verò gloria *extrinseca*. Videlicet, Deus creationem *liberè* statuendo, nihil sibi proposuit nisi gloriam suiipsius internam, et creatio est ejusdem gloriæ manifestatio externa (1).

Probatur. — Agens summè perfectum summum bonum ut finem ultimum sibi proponere debet in operando, aliter illius voluntas moveretur ab aliquo bono a se distincto et *imperfecto*, quod repugnat; atqui, prima Causa seu Deus est ens summè perfectum ; ergò, finis primæ Causæ est sui gloria interna, et creatio est manifestatio externa ejusdem gloriæ, secundùm illa Psalmistæ : « Cœli enarrant gloriam Dei (*Psalm.* XVIII, 1 ; — *Proverb.* XVI, 4). » Verumtamen Deus, qui bonorum nostrorum non eget, suam bonitatem ac beatitudinem creaturis communicat, ità ut, propriam gloriam quærens, nos tamen impleat divitiis bonitatis suæ : « Ad productionem creaturarum, ait S. Thomas, nihil aliud movet Deum, nisi sua boni-

(1) Gloria in genere est, *clara notitia cum laude;* in Deo gloria intrinseca est complexus omnium perfectionum, in quantùm Deus, eas cognoscens et amans, æterno ac infinito perfruitur gaudio.

tas, quam rebus aliis communicare voluit, secundùm modum assimilationis ad ipsum (*Contrà Gent.*, l. II, c. 46). »

Prætereà, quod finis ultimus omnis creaturæ sit gloria Dei, est de fide catholicâ, ut constat ex definitione Concilii Vaticani : « (Si quis) mundum ad Dei *gloriam* conditum esse negaverit; anathema sit (Canon. I, 5). »

(D.) Ad finem *supernaturalem* mundus ordinari potest; undè, rationalismus omnis est rejiciendus (Cousin).

Revelatio supernaturalis nullo modo repugnat; econtrà, maximè congruit; sed, supposito quod existat revelatio, Deus infinitè sapiens, orbem physicum ad ordinem supernaturalem aliquatenùs disponere potest; nempè, *criteria* seu signa revelationis e rebus physicis desumendo. Imò, attentâ hominum naturâ, signum sensibile, v. gr. miraculum, præ cæteris accommodatur omnium intelligentiæ.

Item, Deus orbem physicum *liberè* condidit, et propriam *gloriam* sibi proposuit; eadem igitur libertate uti potest ad eamdem gloriam modo supernaturali revelandam; sed, effectâ revelatione, leges orbis physici liberè conditas ad hunc finem altioris ordinis disponi maximè congruit; eò quod homo ex naturâ suâ res *spirituales* ope rerum *materialium* agnoscit; ergò, ad finem supernaturalem orbem physicum ordinari, supposità revelatione, maximè congruit.

Aliundè, ordo supernaturalis ordinem naturalem non evertit, sed perficit; non deprimit, sed sublevat; eapropter cum sancto Thomâ dicere possumus : Gratia non tollit naturam, sed perficit; et cum Vaticano Concilio : Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque *multiplici cognitione* instruit (S. Thomas, *Sum. Theol.*, , q. 1, a. 8, ad 2^{um}). Ergò, nulla est ratio cur ordo

supernaturalis non existeret; imò, natura appetit quidquid eam perficere debet.

ARTICULUS SECUNDUS.

De perfectione mundi.

I. Utrum existit ordo in rebus mundanis?

60. Existunt in orbe physico *leges generales*, quibus omnia ordinantur sive in *finem specialem*, sive in *finem generalem;* undè, indubium est ordinem existere in orbe terrarum; ordo enim est : *apta dispositio rerum mundanarum ad assequendum finem omnibus communem ac proportionatum.*

Dicitur apta dispositio; nam, ordo supponit *intelligentiam*, quæ mundum e nihilo producens, finem sibi proponit, et omnia disponit ad hunc finem assequendum. Finis ille vocatur *communis;* scilicet, ad ordinem *unitas* in fine requiri debet. Insuper, finis, de quo nunc agitur, est rebus physicis proportionatus, nempè defluit ab ipsâ corporum naturâ, ut ordo physicus distinguatur ab ordine *supernaturali*, vel ab ordine *morali*, *politico*, aut *logico* (Cf. *Ontol.*, n. 42). Ordo naturalis importat quoque *leges generales*, de quibus dictum est suprà; nam, prima Causa finem ultimum non attingit, nisi per media universalia, quæ dicuntur leges generales.

Hinc, ordo naturæ quatuor necessariò supponit : *intelligentiam* in agente, *universalitatem* in rebus inter se dispositis, *unitatem* in fine, ac tandem *leges naturales* ad finem assequendum. Sed, quatuor illas conditiones in orbe physico reperimus; ergò, certum est ordinem in mundo existere.

Conditiones ordinis in orbe physico reperiuntur; et verò, *causa* rerum efficiens est Deus omnipotens et sa-

pientissimus, qui fortiter ac suaviter disponit universa; *finis* autem ultimus est ipsa Dei gloria, nam omnia propter semetipsum operatus est Dominus; *universalitas* rerum creatarum ad hunc ultimum finem ordinatur, aliter enim opificium divinum unitate careret; et tandem, ut vidimus, *leges generales* in mundo disponuntur, quarum auxilio corpus unumquodque finem suum attingit. Ergò, certum est ordinem in mundo reperiri (S. Thom., I *Sent.*, dist. III).

Aliundè, in causis efficientibus primus agens est Deus; item, in serie causarum finalium, Deus solus potest esse ratio omnium; unitas igitur et in causis efficientibus et in causis finalibus inspicitur, videlicet ordo generalis existit in mundo.

Insuper, adversùs atheos, pantheistas, materialistas, positivistas, deistas et fatalistas, hic ordo mirabilis, et universalis rerum ad Deum ascensio luculenter demonstrari possunt cùm ratione, tùm auctoritate : *ratione*, nam omnia, ut jam multoties vidimus, ad unum finem ultimum aptissimè disponuntur; *auctoritate*, quià non solùm inter philosophos christianos, sed etiam inter paganos, quamplurimi eum ordinem sæpissimè mirati sunt, et orbem physicum propter elegantiam, unitatem et ornamentum, Κόσμον appellavêre (Plin., *Hist. natur.*, l. II, c. IV) (1).

(1) (* Nota : Juxtà quosdam philosophos, unitas et ordo rerum mundanarum triplici vinculo contexitur, vinculo *dynamico*, *teleologico* et *cosmico* : vinculum dynamicum pendet e serie causarum *efficientium;* vinculum teleologicum, e dispositione rerum ad eumdem *finem;* vinculum cosmicum, e concursu causarum efficientium et finalium ad *ordinem* totius universi. Vide Rothenflue, *Cosmol.*, Sanseverino, *Cosmol.* « Existit ex testimonio sensuum externorum universum hoc aspectabile, idque compositum est ex entibus quæ sibi mutuò connectuntur vel per

(* Ad rem apositè scripsit divus Thomas, cujus verba præsentem quæstionem argumentosè solvunt : « Accipi potest duplicis ordinis consideratio, ait : quorum unus quidem dependet ex primâ omnium causâ, undè et omnia complectitur; alius particularis, qui ex aliquâ causâ creatâ dependet et continet illa quæ causæ illi subduntur; et hic quidem multiplex est, secundùm diversitatem causarum quæ inter creaturas inveniuntur; unus tamen eorum sub altero continetur, sicut et causarum una sub alterâ existit. Undè oportet quod omnes particulares ordines sub illo *universali ordine* contineantur et ab illo descendant, qui inveniuntur in rebus, secundùm quod a primâ causâ dependent. Hujusmodi exemplum in politicis considerari potest : nam omnes domestici unius patrisfamilias ordinem quemdam ad invicem habent, secundùm quod ei subduntur; rursùs autem, tam ipse paterfamilias quam omnes alii qui sunt suæ civitatis, ordinem quemdam ad invicem habent et ad principem civitatis, qui iterùm cum omnibus qui sunt in regno aliquem ordinem habent ad regem (*Contrà Gent.*, l. III, c. XCVIII). » *)

II. Quid ex dictis infertur de mundi perfectione?

61. Ex dictis, duo stabilire possumus circà mundi perfectionem : 1°, mundus non est perfectissimus perfectione *absolutâ;* 2°, mundus est perfectissimus perfectione *relativâ*.

Mundus ille diceretur perfectissimus perfectione absolutâ, qui Dei potentiam, sapientiam aliaque attributa eo gradu manifestaret, ut alius perfectior, etiam virtute Creatoris infinitâ, creari non posset; id est, mundus, quo perfectior non esset possibilis, vocaretur perfectissimus perfectione absolutâ.

causas efficientes, seu ut unum ex alio sequatur, et hic *nexus dynamicus;* vel per causas finales, seu ut unum ad usum alterius existat, et hic *nexus teleologicus* vocatur. Utrique autem hi nexus ad unum aliquod conspirant et ità nexum universalem constituunt, qui dicitur *nexus cosmicus* seu nexus mundi. » Rothenflue, *Cosmol.*, p. I, n. 1. *)

Mundus perfectione relativâ gauderet, qui, tùm in singulis partibus, tùm in ordine generali, ad finem suum naturalem et ultimum esset quam optimè dispositus, etsi Deus posset alium condere perfectiorem.

PRIMA PROPOSITIO.

Mundus non est perfectissimus perfectione absolutâ.

Probatur. Manifestatio opificis pendet a perfectione operis; sed, mundus est contingens, finitus, undequaque compositus; ergò, nonnisi modo contingenti et finito Dei gloriam manifestat; sed, attributa divina sunt infinita et necessaria; ergò, perfectiori modo per alias creaturas manifestari possent.

Item, possibilia in Deo sunt infinita; ergò, creaturas, magis ac magis numero et gradu expletas, Deus producere posset; idcircò, mundus non est perfectissimus perfectione absolutâ (1); imò, perfectio illius in infinitum augeri posset.

Insuper, voluntas divina non necessariò, sed liberè determinatur ad creandum; eadem etiam libertate gaudet in eligendo talem talemve mundum, et nullâ coactione seu necessitate regitur; ergò, falsum est fundamentum optimismi quorumdam philosophorum, qui contendunt Deum, necessariò condidisse mundum perfectissimum.

Propositio etiam experientiâ confirmari potest; quippè, mundus in suis partibus singulis non est perfectissimus perfectione absolutâ; sed, ex his partibus singulis con-

(1) « Universalitas possibilium Deo, ait S. Thomas, commensuratur divinæ essentiæ, quià secundùm hoc infinita potest, quià habet esse non limitatum. » III *Sent.*, *dist.* XIV, q. 1, a. 4. — « Posset Deus alias res facere, alias addere istis rebus factis; et esset aliud universum et melius. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 25, a. 6, ad 3.

flatur orbis universus; ergò, mundus in suo generali ordine dici nequit perfectissimus perfectione absolutâ.

SECUNDA PROPOSITIO.

Mundus est perfectissimus perfectione relativâ.

Mundus ille dicitur relativè perfectissimus, qui ad finem suum quam optimè disponitur; atqui, talis est orbis physicus; est igitur relativè perfectissimus.

Constat major. Minor probatur. Deus mundum condidit ut propriam glóriam extrinsecè secundùm *quemdam gradum* manifestaret, et consequenter omnia disposuit ad hunc finem obtinendum; undè, sic argumentari possumus : vel Deus mundum creavit aptissimum ad hunc finem ultimum, vel non; si prius, mundus dici debet relativè perfectissimus; si posterius, scientia, sapientia, vel potentia defecit in Creatore; scilicet, vel in agendo non cognovit optima media, vel ea noluit aut non potuit adhibere, quod dici nequit. Ergò, mundus est perfectissimus perfectione relativâ.

Iterùm mundi perfectionem experientia demonstrat; quis enim non miratur temporum varietatem, immensitatem cœlorum, siderumque cursus, compagem partium, quibus singula corpora coalescunt, dependentiam, connexionem gradumque rerum omnium, quibus orbis componitur? « Inveniet, si quis diligenter consideret, gradatim rerum diversitatem compleri, ait S. Thomas; nam suprà inanimata corpora inveniet plantas, et super has irrationabilia animalia, et super hæc intellectuales substantias; et in singulis horum inveniet diversitatem, secundùm quod quædam sunt aliis perfectiora, in tantùm quod ea, quæ sunt suprema inferioris generis, videntur propinqua superiori generi (*Sum. Theol.*, l. III, c. XCVIII). »

Et alibi : « Ex hoc quod res sunt ordinatè ad invicem, juvant se mutuo, ut ad finem ultimum debitè ordinentur (I *Sent.*, dist. XLVII, q. 1, a. 4, sol.). »

Hinc, ille mirabilis ordo, quasi melodia universalis, scientiam, sapientiam et bonitatem Conditoris enarrat. Sed quantò magis eadem attributa per revelationem innotescunt! Nam, dicente Scripturâ Sacrâ, propter electos omnia creavit Deus; electi verò sunt Christi, Christus autem Dei; Deus igitur est α et ω, principium et finis; cui laus et gloria in sæcula sæculorum (1).

III. Qui sunt philosophorum errores de mundi perfectione?

(* 62. Errores circà mundi perfectionem ad duplicem classem revocari possunt, videlicet ad *optimismum* et *progressum infinitum*.

1°, De *optimismo*. — Apud veteres, Plato et academici, stoici non pauci, deindè Plotinus, et tandem, ævo medio, Abælardus, optimismi principia passim in suis operibus docuerunt; illud verò systema fusiùs exponitur et propugnatur apud Leibnitzium et Malebranchium.

Ecce Leibnitzii theoria : — Deus id eligit, quod est melius; aliter enim ageret sine *ratione sufficiente*, quod sane repugnat Enti infinito. — Sed melius est creare quam non creare; melius est etiam inter mundos possibiles optimum eligere. — Quapropter Deus creare debuit, et inter mundos possibiles optimum eligere. — Illa verò mundi perfectio sistitur in consensione

(1) « Universum non potest esse melius, propter decentissimum ordinem his rebus attributum a Deo, in quo bonum universi consistit; quorum si unum aliquod esset melius, corrumperetur proportio ordinis, sicut si una *chorda* plus debito intenderetur, corrumperetur citharæ *melodia*. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 25, a. 6, ad 3^um^. — « Omnia enim vestra sunt : vos autem Christi : Christus autem Dei. » I. *Epist. ad Corinth.*, c. III, 22, 23. — « Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus. » *Apoc.*, c. I, 8.

partium omnium et in harmoniâ generali; defectus ipsi particulares ad hujusmodi perfectionem concurrunt, nedum afferant aliquid detrimenti. — Deus non absolutâ necessitate, sed morali tantùm impellitur ad creandum; undè, mundi productio divinam libertatem nequaquam lædere potest (*Essai de Théodicée*).

Malebranchius optimismum his suffulcit argumentis : — Deus quidem mundum liberè condidit; sed, creatione statutâ, inter mundos possibiles eum eligere debuit, quem optimum judicavit et aptissimum ad suam gloriam extrinsecè manifestandam; secùs enim Deus non esset infinitè sapiens (1). — Mundi perfectio debet æstimari tùm ex illius intrinsecâ bonitate, tùm e simplicitate viarum, quibus Deus operatur. — Quùm autem creationis bonitas intrinseca fuisset semper indigna Deo sine Incarnatione, necessitatem Incarnationis asseruit Malebranchius. — Deus operatur legibus simplicissimis ac generalibus, per quas omnia, etiam miracula, producit; excipitur solummodò peccatum, malumve physicum.

Sed contrà : optimismus quocumque modo propugnetur, rejiciendus est; nam, ut dictum est suprà, mundus nec est, nec esse potest omnium perfectissimus perfectione absolutâ. Quinimò, sententia Leibnitzii destruit libertatem divinam; Malebranchius autem falsò contendit Deum ad opus optimum et quam perfectissimum teneri, et creationem non esse possibilem sine Incarnatione. Quapropter, optimismus non solùm *de facto* admitti nequit, sed etiam falsis argumentis a Leibnitzio et Malebranchio propugnatur.

2°, *De progressu infinito*. — Alius error grassatus est circà mundi perfectionem, nostrisque diebus apud non paucos invaluit. Dici solet *Progressus infinitus*, et strenuè quidem a socialistis et communistis, a plerisque positivistis et sophistis, aliisve nonnullis propugnatur; quorum præcipui sunt Condorcet, Saint-

(1) « (La) sagesse (de Dieu) lui défend de prendre de tous les desseins possibles celui qui n'est pas le plus sage. L'amour qu'il se porte à lui-même ne lui permet pas de choisir celui qui ne l'honore pas le plus. » Entretien 9e, n. 10. — Item, *Ecrit contre la prévention*.

Simon, Fourrier, Leroux, Reynaud, Bouillier, Renan; idemque systema J. Simon, E. Saisset, H. Martin, sensu tamen mitigato, profitentur.

Contendunt omnes, etsi alioquin inter se dissentiant, mundum quatenùs est, et præsertim hominem non esse perfectissimum; imò, Christicolæ longè adhuc a verâ civilitate discedunt. — Verumtamen, ut experientiâ constat, de die in diem omnia, ratione progressûs continui et infiniti, perficiuntur; itaque, labentibus sæculis, nempè post millia millium annorum, mundus erit perfectissimus. — Quidam inter illos palam asserunt mundum esse Deum, non *in facto esse*, sed tantùm *in fieri;* mundus scilicet, ratione progressûs infiniti, præsertim evolutione scientiarum, magis ac magis progredietur, et postremo fiet ipse Deus (1).

Progressus infinitus experientiæ contradicit et rationi repugnat; ergò, rejiciendus est ut falsus. *Experientiæ* contradicit; nam, hucusque progressus, testante populorum historiâ, non fuit continuus; imò, recentibus ævis, multa reperiuntur, quæ paulatim in deterius abeunt; v. gr. moralitas privata, jus gentium, principia societatis, et etiam vires physicæ. Progressus materialis, fateor, quodam modo perficitur, sed de progressu morali non est ità dicendum.

Progressus infinitus *rationi* repugnat; reverà, falsò nititur principio, nempè specierum transformatione. Progressus enim infinitus non debet esse tantùm *accidentalis*, verùm etiam *essentialis* in sensu recentiorum; sed, ut jam multoties vidimus, species sunt omninò stabiles; idcircò, progressus ille, quo re-

(1) « Que sera le monde quand un million de fois se sera produit ce qui s'est passé depuis 1763, quand la chimie au lieu de quatre-vingts ans de progrès en aura cent millions?... Qui sait en un mot si la science infinie n'amènera pas le pouvoir infini?... L'être en possession d'une telle science et d'un tel pouvoir sera vraiment maître de l'univers. L'espace n'existant plus pour lui, il franchira les limites de sa planète... Dieu alors sera complet, si l'on fait du mot Dieu le synonyme de la totale existence. En ce sens Dieu sera plutôt qu'il n'est, il est *in fieri*, il est en voie de se faire. » Renan, *Les sciences de la nature et les sciences historiques.*

rum proprietates *essentiales* mutarentur in alias magis perfectas, rationi repugnat. Ergò, progressus infinitus, in sensu recentiorum, est rejiciendus ut experientiæ simul et rationi contradicens.

Legitimus autem et sanus progressus existere potest, quem sancta Mater Ecclesia, commentitium falsumque progressum respuens (1), tuetur et promovet, dicens : « *Crescat* igitur et multum vehementerque *proficiat*, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententiâ (Concil. Vatic.). » *)

CAPUT SECUNDUM.

DE DEROGATIONE LEGIBUS NATURÆ.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de derogatione legibus naturæ?

63. Leges naturæ stabiles sunt et universales, sed non absolutæ et necessariæ; undè, in errorem prolapsi sunt, qui miraculum impossibile esse decreverunt. Sint igitur duo articuli : 1^us^, De *miraculis*, seu factis extrà leges physicas patratis; 2^us^, De quibusdam *erroribus* circà miraculum, præcipuè de *rationalismo* et *mesmerismo*.

(1) Commentitium falsumque progressum damnavit Summus Pontifex Pius IX, prohibens sequentem propositionem : « Romanus Pontifex potest ac debet cum *progressu*, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere. » *Syllabus*, prop. LXXX.

ARTICULUS PRIMUS.

De miraculis seu factis extra leges physicas patratis.

I. Quæ sunt dicenda de miraculo?

64. Theologus, in tractatu de *Revelatione*, disserit de *existentiâ* et *vi* probante miraculorum in gratiam religionis christianæ. Philosophus autem principia generalia de *naturâ*, *possibilitate*, *cognitione* et *œconomiâ* miraculorum statuit : id est, quid sit miraculum; utrùm miracula fieri possint; quomodò miraculorum existentiam agnoscere possimus; et tandem quisnam sit miraculorum finis?

II. Loquere de miraculorum naturâ?

65. Miraculum est factum *supernaturale*, vires naturæ creatæ superans; vocatur etiam *insolitum*, quià cursum naturalem rerum excludit : « Insolitum quod in definitione miraculi ponitur, ait S. Thomas, non dicit raritatem facti, sed excludit solitum cursum naturæ (II *Sent.*, dist. XVIII, q. 1, a. 3, ad 2^{um}); » miraculum etiam est factum *sensibile*, quod ab omnibus agnosci potest, et tanquam signum revelationis, omnium intelligentiæ accommodatum, habetur; ideoque definiri solet :

Factum præter ordinem totius naturæ creatæ patratum; seu fusiùs : *factum, præter ordinem totius naturæ creatæ patratum, in quo signatur Intelligentia divina, notaque decretoria revelationis enitet.*

(* Hæc ultima definitio quoad sensum invenitur apud Patres Vaticani Concilii, dicentes : « Ut nihilominùs fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritûs Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ *argumenta*, facta scilicet *divina*, atque imprimis *miracula* et pro-

phetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam *scientiam* luculenter commonstrent, divinæ revelationis *signa* sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata. » *)

Miraculum fieri potest *suprà naturam*, *contrà naturam*, aut *præter naturam* (S. Thomas, *de Pot.*, q. 6, a. 2, ad 3^um^). Est *suprà* naturam, quandò vires creatas ità superat, ut a solâ Dei potentiâ infinitâ produci possit; v. gr. resurrectio mortuorum. Miraculum *contrà* naturam efficitur, quùm Deus ipse dispositionem contrariam in naturæ viribus et impedimentum invenit (S. Thomas, *loc. cit.*); ità, tres pueri Babylonis in camino ignis non sunt combusti; jussu Josue, sol stetit. Miraculum vocari solet *præter* naturam, quoties Deus *speciali modo* producit effectum, qui vires creatas non superat; ex. gr. curatio subitanea, sine mediis a naturâ requisitis. Miracula *suprà* et *contrà* naturam dicuntur supernaturalia quoad *substantiam*, aut quoad *subjectum*, et sunt miracula « *primæ classis;* » miracula verò *præter* naturam supernaturalia sunt quoad *modum*, et vocantur miracula « *secundæ classis* (1). »

Juxtà auctorem *Theologiæ tolosanæ*, factum tanquam divinum haberi debet, non solùm quandò secundùm *substantiam*, ut glorificatio corporis; aut quoad *subjectum*, v. gr. cæcorum illuminatio; vel quoad *modum*, ut curatio febris absque medicamento; sed etiam quandò secundùm *circumstantias morales* soli Deo tribui potest. Aliter enim homines inducerentur in errorem invincibilem, circà veritates maximi momenti.

(1) Vide Benedictum XIV, *De beatificatione Sanctorum*. — Rothenflue, *Cosmol.*, sect. II, c. II, De possibilitate miraculi. — Hinc patet creationem animæ non esse miraculum, quià non fit præter ordinem naturæ creatæ, sed « juxtà rerum conditionem. » Benedictus XIV, *loc. cit.*, lib. IV, c. I.

III. Loquere de possibilitate miraculorum.

66. *Miraculum est possibile.* — Illud enim est possibile, quod secundum *principia Logicæ*, juxtà *nostrum concipiendi modum*, et ex *naturâ suâ nullam* involvit *contradictionem*. Sed, tale dicitur miraculum. Ergò, possibile est. Major constat. Probatur minor per partes. 1°, Miraculum, ut alibi dictum est (*Logic.*, n. 125), Logicæ principiis non repugnat; leges enim orbis physici non sunt *absolutæ* nec immutabiles, et effatum, *transacto futurum erit consimile*, non est metaphysicè, sed physicè verum; ergò, miraculum Logicæ principiis minimè contradicit; id enim, quod non est absolutum, exceptiones patitur.

2°, Aliundè, vera notio miraculi in genere comparatur per intellectum, inductionis ope; videlicet, e relationibus *dependentiæ* rerum physicarum inducitur effectum extrà leges generales, et præter ordinem totius naturæ creatæ, seu miraculum, a Deo produci posse, propter finem quemdam supernaturalem, v. gr. ad confirmandam revelationis existentiam. Et in hoc nulla est contradictio.

3°, Eadem veritas ex omnibus dictis confirmatur; etenim, omne miraculum dicitur factum vel suprà, vel contrà, vel extrà leges naturæ patratum; sed, facta hujusmodi, sive spectentur ex parte Dei, sive ex parte legum naturæ, non repugnant; ergò, miraculum est possibile. Constat major. Minor probatur. Deus, qui statuit leges physicas, et illis mediantibus diversos effectus producit, eosdem aut alios effectus sine legum auxilio producere potest (1); ergò, miracula non repugnant ex

(1) Ad rem scripsit J.-J. Rousseau : « Dieu peut-il faire des miracles? c'est-à-dire, peut-il déroger aux lois qu'il a établies? Cette question sérieusement traitée serait impie, si elle n'était absurde; ce

parte Dei. Ex parte legum naturæ idem est dicendum; leges enim per miracula non destruuntur, et eò quod unus aut alter mortuus ad vitam revocatus fuerit, lex ea naturalis nec minùs constans, nec minùs universalis dici debet : *Omnes homines* moriuntur, et semel mortui *non resurgunt* (1). Ergò, possibilia sunt miracula.

Quùm omne miraculum propriè dictum excedat vires totius naturæ creatæ, Deus solus, tanquam *causa principalis efficiens*, miracula facere potest : « Quod est sub ordine totaliter constitutum, ait S. Thomas, non potest *præter ordinem* illum operari. Omnis autem creatura est constituta sub ordine, quem Deus in rebus statuit. *Nulla* ergò creatura potest suprà hunc ordinem operari; quod est miracula facere (*Contrà Gentes*, l. III, c. 102). » Et addit infrà : « Quidquid virtute cujuscunque creaturæ fiat, non potest dici miraculum propriè, etsi sit mirum creaturæ virtutem illius non comprehendenti... Miracula nullâ virtute creatâ fieri possunt (*Ibidem*, et *de Pot.*, VI, 4). »

Verumtamen Deus, in patrandis miraculis, sæpiùs utitur creaturis tanquam *causâ instrumentali*, et in eo sensu Angeli et Sancti miracula facere dicuntur; id est, tanquam ministri, ad miracula facienda concurrunt : « Con-

serait faire trop d'honneur à celui qui la résoudrait négativement que de le punir; il suffirait de l'enfermer. Il fallait être Hébreux, pour demander si Dieu pouvait dresser des tabernacles dans le désert. » *Troisième lettre de la Montagne.*

(1) « On parle très-improprement, quand on dit, qu'un miracle viole, dérange, interrompt, change, bouleverse les lois de la nature; il ne fait suspendre que l'effet particulier d'une de ces lois, le reste de l'univers va son train, comme auparavant. » Bergier, *Traité hist. et dogm.*, tom. V.

stat quod Deus solo imperio miracula operatur, ait S. Doctor : videmus autem quod imperium divinum ad inferiores rationales spiritus, scilicet humanos, mediantibus superioribus, scilicet Angelis, pervenit, ut legis veteris latione apparet; et per hunc modum per spiritus angelicos vel humanos imperium divinum ad corporales creaturas pervenire potest, ut per eas quodammodò naturæ præsentetur divinum præceptum; et sic agant quodammodò spiritus humani vel angelici ut *instrumentum* divinæ virtutis ad *miraculi* perfectionem : non quasi aliquâ virtute habitualiter in eis manente, vel gratuitâ vel naturali, in actum miraculi possint (*de Potentiâ*, q. VI, a. 4). »

IV. Loquere de cognitione seu « discernibilitate » miraculorum.

67. *Miraculum est « discernibile. »* Illud enim factum haberi debet ut « discernibile, » quod est, ex unâ parte, *cognitu facile*, et, ex alterâ parte, *maximi momenti*. Porrò, tale est miraculum. 1° Quidem miraculum, juxtà venerabiles Concilii Vaticani Patres, habetur ut signum sensibile omnium *intelligentiis accommodatum;* ergò, supposito quod existat, facilè cognosci poterit. Et verò, miraculum est *factum* sensibus obvium, coram multis testibus patratum. 2° Miraculum est etiam *præstantissimi momenti*, quià magni interest ad revelationis divinitatem probandam; ergò, supposito quod existat, facilè cognosci poterit; secùs enim esset inutile.

Sed major est difficultas ubi agitur de modo *discernendi* verum miraculum a factis quibusdam mirandis, quæ viribus occultis naturæ, vel hominum fraudi, dæmonumve potestati, aut etiam præstigiis meritò tribuuntur. Non desunt qui, miraculi possibilitatem admittentes,

illius « *discernibilitatem*, » cum J.-J. Rousseau, admittere nolint (1).

Sed contrà, factum divinum præ se ferre debet signa seu characteres, quibus certò dignosci possit : aliter enim frustrà Deus ageret, vel homines in errorem induceret ; quod illius sapientiæ et bonitati repugnat.

Juxtà communem auctorum sententiam, omne factum est verè divinum, scilicet, nec occultis naturæ viribus, nec arte vel fraude hominum, nec diaboli præstigiis, sed solâ virtute infinitâ producitur, quoties et ex parte *auctoris*, et ex parte *objecti*, et ex parte *modi*, et ex parte *finis*, « Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrat. » Talia sunt miracula in Scripturis Sacris relata : eorum enim auctores sanctitate commendantur; objectum et modus nihil nisi sanctum atque divinum arguunt ; finis tandem est Dei gloria, manifestatio veritatis et animarum salus.

Prætereà, nonnunquam miraculum in se vires totius naturæ creatæ adeò præcellere videtur, ut illud soli Deo tribuere possimus; v. gr. resurrectio mortuorum (2).

V. Loquere de divinâ miraculorum œconomiâ.

68. Ex omnibus dictis, apparet divina miraculorum œconomia ; nempè, *attributa* Dei, imprimis ejus omni-

(1) V. gr., E. Renan, miraculi possibilitatem modò rejiciens, modò propugnans, talia scripsit : Nous ne disons pas : « Le miracle est impossible; » nous disons : « Il n'y a pas eu jusqu'ici de miracle constaté. » *Vie de Jésus*, p. XCVI.

(2) Hanc quæstionem fusiùs evolvunt theologi, et illa principia miraculis in Sacra Scriptura narratis applicant; vide D. Bonal, *De revelatione*, De characteribus miraculorum; Tongiorgi, *Cosmol.*, lib. IV, c. II, a. 7, De cognitione miraculorum ; Liberatore, *Cosmol.*, c. IV, De criteriis miraculorum; de Corvelles, *Dissertation sur la nature, les caractères distinctifs et la fin des vrais miracles.*

potentiam et infinitam scientiam commonstrant; *signa* sunt revelationis certissima; necnon et omnibus *intelligentiis* accommodantur. Et sane, homo rusticus, non minùs quam sophista doctissimus, miraculum agnoscere, nec sola scientiarum Academia mortem, v. gr., et resurrectionem dignoscere potest (1).

Aliundè, per miraculum orbis physicus ad ordinem divinum pro suâ parte concurrit, subministrando signum revelationis externum et sensibile; proindè, quemadmodùm in origine cognitionum nostrarum, intellectus, proficiscens e rebus sensibilibus, ad altissimas notiones ascendit, ità in ordine supernaturali, una e præcipuis revelationis divinæ notis decretoriis ab ordine physico repetitur.

Ad rem appositè scripsit sanctus Doctor : « Naturale est homini ut veritatem intelligibilem per sensibiles effectus deprehendat. Undè sicut ductu naturalis rationis homo pervenire potest ad aliquam Dei notitiam per effectus naturales, ità per aliquos supernaturales effectus, qui miracula dicuntur, in aliquam supernaturalem cognitionem credendorum homo inducitur (*Sum. Theol.*, 2ª 2æ, q. 178, a. 1 et 3, q. 43, a. 1). » Talis est miraculorum œconomia.

(1) E. Renan seriò postulat, tanquam conditionem necessariam, ut thaumaturgus, astante cœtu virorum ex Academiâ legatorum, miraculum efficiat! *Vie de Jésus;* item Strauss, Paulus, Baur, Bauer. — Vide jocosas eorum objectiones apud D. Wallon, *De la croyance due à l'Evangile.* Nihil innovant hodierni sophistæ; nam, tempore Voltarii, jam multi requirebant præsentiam Academiæ scientiarum, ad vim miraculi comprobandam : « On souhaiterait, pour qu'un miracle fût bien constaté, qu'il fût fait en présence de l'Académie des Sciences de Paris, ou de la Société royale de Londres, et de la Faculté de Médecine, assistées d'un détachement du régiment des gardes. » *Dict.*, a. Miracles.

ARTICULUS SECUNDUS.

De quibusdam erroribus circa miraculum, præcipue de rationalismo et mesmerismo.

I. Qui sunt præcipui errores de miraculo?

(* 69. Innumeri philosophorum errores, qui de miraculo prodierunt, ad triplicem classem revocari possunt : alii *naturam*, alii *possibilitatem*, alii *cognitionem* miraculi *potissimùm* impugnant.

(A.) Errores circà *naturam* miraculi. — Non pauci, nomen miraculi admittentes, illius naturam, seu veram notionem inficere conati sunt; idcircò falsas aut incompletas miraculi definitiones tradiderunt.

Imprimis, Spinoza miraculum vocat, « Opus naturæ, cujus causam naturalem exemplo alterius rei solitæ explicare non possumus, vel saltem non potest qui miraculum scribit, aut narrat (*Tract. Theol. politic.*, c. VI). » Eapropter, nonnisi *respectivè* ad hominum opiniones, factum miraculosum dici debet; *in se* verò naturæ vires non excedit.

Lockius, parùm recedens a sententiâ Spinozæ, tradidit definitionem, quæ a multis recentioribus admittitur; juxtà illum, « Miraculum est operatio sensibilis, quæ, quùm spectatoris captum superet, ipsiusque judicio cursui naturæ constituto repugnet, ab eo tanquam divina existimatur (*Traité des miracles*). »

Definitiones istæ veram miraculi notionem evertunt; nam, secundùm Spinozam et Lockium, miraculum non est factum præter ordinem *totius naturæ* creatæ patratum, sed effectus naturalis ac sensibilis, quem hominum *ignorantia* vel præjudicium tenet ut miraculosum.

Aliæ sunt definitiones, quæ magis accedunt ad verum; sed admitti non possunt, quià completam miraculi notionem non exhibent. Sic, Malebranchius contendit miracula sæpiùs esse consecutiones legum *naturalium*, quæ nos latent (1).

(1) « Lorsque Dieu fait un miracle, et qu'il n'agit point en conse-

Houtteville miraculum vocat effectum *insuetum, mirabilem*, qui non producitur extrà leges orbis physici, sed « ab *occultis* naturæ viribus procedit (*De la religion chrétienne*, c. v). » Item, Carolus Bonnet miraculum definit, « effectum *consueto* naturæ cursui contrarium, ex *occulto* causarum naturalium ordine, præparante Deo, dimanantem (*Palingénésie philos.*). » Clarkius tandem miraculum appellat « effectum *consueto* naturæ ordini contrarium, ab alicujus entis intelligentis hominique superioris *insueto* interventu, productum (1). »

Rejiciendæ sunt omnes illæ definitiones; veram enim miraculi naturam ac essentialem differentiam ab aliis factis non declarant. Quippè, juxtà Malebranche, Houtteville, Bonnet, Clarke et eorum sectatores, miraculum est aliquid insuetum, mirum oculis; sed vires *totius naturæ creatæ*, præsertim *diabolicæ*, non superat. Insuper, hujusmodi definitiones incredulis aut mesmerismi fautoribus auxilium præbent; nam, supponunt miraculum a legibus creatis aliquo modo pendere, quod falsum est et perniciosum.

(B.) Errores de *possibilitate* miraculorum. — Alii non pauci miraculum, seu factum præter ordinem totius naturæ creatæ patratum, rejiciunt ut impossibile; consequenter existentiam miraculorum non admittunt. Hi sunt naturalistæ seu *rationalistæ* absoluti.

Inter eos, multi sic ratiocinantur : leges orbis physici sunt immutabiles; atqui, miraculum essentialiter repugnat stabilitati legum naturalium; idcircò, Deus ipse miracula facere nequit.

quence des lois générales qui nous sont connues, je prétends ou que Dieu agit en conséquence des lois *générales* qui nous sont *inconnues*, ou que ce qu'il fait alors, il y est déterminé par certaines circonstances qu'il a eues en vue de toute éternité. » *Entretiens sur la Métaphysique*, entretien VIII, a. 3; item, *Traité de la nature et de la grâce.*

(1) « On peut définir justement un miracle : Un effet contraire au cours ou à l'ordre accoutumé de la nature, produit par l'intervention extraordinaire de quelque être intelligent supérieur à l'homme. » *De la religion*, c. XIX. *Des miracles en général.*

Nonnulli etiam, existentiam Dei rejicientes, ut positivistæ, naturalistæ propriè dicti, pantheistæ, athei, materialistæ, de miraculo non curant et illud extrà scientiam respuunt. Undè, juxtà eos, certum est *a priori* nullum miraculum factum esse in sæculorum decursu. Ità, rationalistæ præsentis ævi longè superant impietatem Voltarii; nam, iste solam œconomiam, id est finem miraculorum impugnans, factum supernaturale ut Deo minùs dignum tantummodò rejecit (1). Aliundè, fundamentum rationalismi jam non semel excussum est; videlicet, leges orbis physici non sunt absolutæ, nec immutabiles; proindè miraculum in se non repugnat, et objectio naturalistarum penitùs evertitur.

Hanc miraculi possibilitatem Concilium Vaticanum, analogias fidei rationisque confirmans, non solùm certam, sed fide credendam esse definit : « Si quis dixerit, miracula nulla *fieri posse.....*, anathema sit. »

(C.) Errores de *cognitione* miraculorum. — Quidam verò miraculi cognitionem seu « discernibilitatem » *directè* impugnant; eos audire si velimus, de miraculorum *existentiâ nullam certitudinem* comparare possumus; ideoque, miracula, in Scripturis Sacris narrata, sunt ab omnibus rejicienda. Sed longè abest ut inter se consentiant; alii miracula *fabulis*, alii *mendaciis*, alii *factis* merè *naturalibus* æquiparare volunt; hinc tria systemata : *mythismus*, *criticismus*, et *mesmerismus*.

Mythismus, qui sæculo proximè elapso præcursores habuit (Woolston), est systema eorum, qui negant *authenticitatem* miraculorum et ea *fabulis* seu *mythis* assimilant (Strauss). Criticismus autem, *veracitatem* Scripturarum impugnans, mendacio libenter æquiparat omnem miraculorum narrationem (Baur, Renan, Bauer).

(1) Juxtà Voltarium, philosophi miraculum rejiciunt, dicentes : « Oser supposer à Dieu des miracles, c'est réellement l'insulter (si des hommes peuvent insulter Dieu), c'est lui dire : Vous êtes un être faible et inconséquent. Il est donc absurde de croire des miracles; c'est déshonorer en quelque sorte la Divinité. » *Diction. philos.*, a. Miracles.

Frustrà eis objicitur miracula Christi esse a tot et tantis viris admissa; respondent : aut falsa sunt miracula in Novo Testamento relata, vel modo naturali explicari possunt; v. gr. Christus ambulavit super aquas, videlicet in littore maris; mortuos suscitavit, nempè dormientes excitavit e somno; turbas in deserto saturavit, id est unusquisque victum necessarium attulerat; et alia similia (1).

Tale portentum, non solummodò blasphemiis horret, sed etiam Logicæ contradicit; non minùs enim de miraculo, quam de cæteris factis, veritatem comparare possumus. Meritò igitur Vaticanum Concilium Mythismi et Criticismi errorem damnavit : « Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacrâ Scripturâ contentas, inter *fabulas* vel *mythos* ablegandas esse, aut miracula *certò cognosci* nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem ritè probari; anathema sit. »

Mesmerismi sectatores miracula non ablegant inter fabulas aut mythos, nec etiam eorum veracitatem directè rejiciunt; sed, juxtà illos, homines prodigia similia, quinimò majora quotidiè producunt solis naturæ viribus; ergò, miracula divina nunquam *certò* cognoscere et discernere poterimus. Illud systema *Mesmerismus* vocatur, quià, diebus nostris, propugnatum est a famoso Germaniæ medico, Fr. Ant. Mesmer; in Europâ et potissimum in Americâ percrebuit et vicissim nominatum est *Magnetismus* et *Spiritismus* (2).

(1) Strauss, Renan, Paulus, Venturini. — « L'eau changée en vin aux noces de Cana, c'est, aux yeux de Venturini et de Paulus, une agréable plaisanterie. Jésus avait apporté ce vin comme cadeau de noces, et, pour égayer la compagnie, il avait laissé croire d'abord que c'était de l'eau. » Vide opus Dⁱ Wallon, *La croyance due à l'Evangile*, p. II, c. II, Des miracles. — E. Renan sic explicat resurrectionem Lazari : « Lazare, tout pâle encore de sa maladie, s'était *probablement* fait entourer la tête de bandelettes puis enfermer dans son tombeau de famille. » *Vie de Jésus.*

(2) Mesmer (1733-1815), *Mémoire sur la découverte du Magnétisme, Précis historique des faits relatifs au magnétisme*, etc. Cf. R. P. Mati-

Mesmerismus est ars producendi effectus *insuetos* et *mirabiles;* v. gr. *spasmum* seu convulsionem membrorum, *somnum* magneticum, *somnambulismum*, *visionem* rerum præteritarum, *apparitiones* magicas, et alia hujusmodi. Undè, multi sic ratiocinantur : vel miracula eâdem arte producuntur; vel, supposito quod existant, *certò dignosci* non possunt.

Respondetur : neganda est *paritas;* Mesmerismus enim, magnetismus ac præcipuè spiritismus vires occultas et probabilius, saltem quandoque, *diabolicas* arguunt; sed præ se non ferunt characteres factorum *verè divinorum :* id est, in *auctoribus*, in *fine*, in *objecto*, in *mediis*, nihil grave, nihil sanctum, nihil religiosum, nihil Deo dignum invenitur. Econtrà, miraculum propriè dictum criteriis notisve divinis et peculiaribus designatur; imò, plura sunt miracula, quæ vires creatas adeò superant, ut soli Deo tribui possint; v. gr. resurrectio mortuorum. Ergò, contrà omnes miraculi adversarios legitimè deducitur facta verè supernaturalia, præter ordinem totius naturæ creatæ patrata, non solùm « fieri posse, » neque « de iis narrationes inter fabulas vel mythos ablegandas esse; » sed « miracula certò cognosci posse, » etiam a rudioribus, et « iis divinam religionis christianæ originem ritè probari. » *)

gnon; Mirville, *Les esprits et leurs manifestations;* Debreyne, *Pensées d'un croyant catholique, Examen du magnétisme animal;* Gougenot des Mousseaux.

SECUNDA PARS

PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ.

III.

PSYCHOLOGIA.

DE PSYCHOLOGIÆ NATURA ET DIVISIONE.

I. Quid est Psychologia quoad nomen?

1. Post contemplationem rerum mundanarum in genere, speciatim de mente humanâ dicendum est; nempè, Psychologia Cosmologiam logicè subsequitur. Nomen autem, *Psychologia*, idem sibi vult ac sermo seu *scientia* de *animâ;* eruitur enim e vocabulis græcis ψυχὴ (*anima*) et λόγος (*scientia*) (Cf. Goclenius).

Vox illa triplicem acceptionem exhibere potest : *stricto sensu*, de mente humanâ in se sumptâ, nempè quoad essentiam, tantummodò disserit. *Latissimo sensu*, extendi potest ad omnes scientias, quæ circà hominem versantur; ut sic, *Anthropologia* vocari solet, et complectitur *Anatomiam, Physiologiam, Medicinam* atque *Psychologiam* propriè dictam (Bossuet, *Connaiss. de Dieu et de soi-même*). *Recto sensu*, Psychologia comprehendit illa, quæ

pertinent ad essentiam mentis humanæ; prætereà, de unione mentis et corporis, necnon de potentiis animæ, disserere debet; nam, anima per potentias suas operatur; aliundè, talis est unio mentis et corporis, ut in nobis una sit persona unaque natura (S. Thom., *Sum. Theol.*, III, q. 2, a. 2, ad. 2^{um}). Psychologia verò non absolvit omnia, quæ constituunt objectum Anatomiæ, Physiologiæ, Medicinæ; scientiis hujusmodi solùm utitur tanquam adjumentis, et ab illis multas notiones maximi momenti repetit.

II. Quid est Psychologia quoad rem?

2. Quoad rem, *Psychologia est pars Philosophiæ realis, principia seu rationes intrinsecas operationum nostrarum introspiciens.*

In eâ definitione genus et differentiam, objectum formale, methodum et excellentiam hujusce tractatûs inveniuntur.

(A.) Psychologia, quoad *genus*, dicitur *pars philosophiæ;* videlicet, est scientia seu systema cognitionum iisdem principiis innixum.

(B.) Vocatur pars philosophiæ *realis;* et ità *distinguitur* a Logicâ, quæ disserit de subjecto cogitante, non in se sumpto, sed in suis ad veritatem relationibus, seu tradit *regulas*, quibus intellectus utitur ad verum assequendum.

(C.) *Principia* seu *rationes intrinsecas* operationum nostrarum investigat; nempè, *differre* debet a scientiis empiricis, quæ phænomena tantùm et classem eorum generalem inquirentes, primaria principia non attingunt, ut Physiologia, Medicina. Iisdem verbis secernitur a Theodiceâ, quæ tractat de causâ ultimâ, non intrinsecâ, sed extrinsecâ.

(D.) Operationum nostrarum principia plura sunt :

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

immediatè per facultates agimus; multa quoque tribuuntur homini ratione unionis mentis et corporis, ut *loqui*, *ambulare;* anima verò est principium primarium, fundamentale, sive facultatum, sive unionis animæ et corporis; idcircò, mens humana, non solùm *in se* sumpta, sed etiam in suis *potentiis* suisque *relationibus* ad corpus physicum, habetur ut *objectum formale* Psychologiæ (S. Thom., *Sum. Theol.*, I, q. 78, a. 4, et q. 75, a. 1).

(E.) Inquirit principium seu rationem *operationum nostrarum*, quæ *facta psychologica* dicuntur; undè, multum discrepat a Cosmologiâ, quæ principia phænomenorum orbis physici solummodò scrutatur; attamem eadem *methodo* utitur.

(F.) Psychologia principium intrinsecum, hominibus inhærens, *introspicit*. Hinc apparet *excellentia* hujus partis philosophiæ; videlicet, intellectus, cognitis rebus physicis, sese colligit ut intùs legat et seipsum noscere possit; sed, scientia per quam homo facultates suas, naturam intimam, originem ac finem agnoscit, præclarissima quidem et utilissima meritò dicitur.

Non alia fuit sententia veterum, qui summam sapientiam in hoc præcepto Socratis ponebant : *Nosce teipsum*, Γνῶθι σεαυτόν (S. Aug., *Soliloq.*, l. II). Tullius de excellentiâ animæ peregregiè scripsit : « Qui se ipse norit, primùm aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit, tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet; et, quùm se ipse perspexerit totumque tentarit, intelliget, quemadmodùm a naturâ subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam (*De Legibus*, I, 59). »

Eapropter, Psychologiæ studium alumnos maximopere

delectat, et neminem piget eam adipisci scientiam, cujus objectum est homo, seu creatura quæ, corpus et animam, seu naturam corpoream et spiritualem sortita, μικρόκοσμος vocari solet.

(* Minùs rectè Psychologia definitur a nonnullis : pars ea philosophiæ, cujus objectum est anima nostra. « La psychologie, ait C. Bonnet, est la science de l'âme (*Palingén.*). » Illa definitio, quam idealistæ et positivistæ, diversâ quidem acceptione, vicissim usurpant, non est completa; mens enim, etsi Psychologiæ præstantissimam partem exhibeat, non est adæquatum hujus scientiæ objectum; nam, ut refert sanctus Augustinus, « hominem nec animam solam, nec solum corpus, sed animam simul et corpus esse (arbitramur) (*De Civit. Dei,* XIX). »

Aliundè, Psychologia dici nequit sensu latissimo : scientia de homine; hæc enim ultima definitio non convenit soli rei definitæ, quià complectitur Anatomiam, Physiologiam, Medicinam, videlicet omnes scientias de homine disserentes. *)

III. Quanam methodo Psychologia tractanda est?

3. Circà præsentem quæstionem gravissimi errores exorti sunt. Imprimis, idealistæ non pauci, ducibus Neoplatonicis apud veteres, et ævo recenti Spinozâ, Schelling, Hegel, Gioberti cum ontologistis absolutis, methodum *syntheticam* in scientiâ psychologicâ, eamque solam usurpandam esse contendunt; undè, juxtà illos, anima nostra tùm in se, tùm in suis facultatibus inspecta, cognoscitur *a priori*, sine experientiæ auxilio. Sed, sola methodus a priori non sufficit; quinimò, synthesis hypotheses merè gratuitas solummodò fingere potest, viamque latissimam pantheismo et cæteris erroribus pandit.

Empiristæ verò, sive sensistæ, sive materialistæ, sive *positivistæ*, methodum *experimentalem* exclusivè colentes, facta psychologica per observationem experta describunt et revocant ad classes quasdam generales; quùm autem

essentia mentis humanæ per solam experientiam attingi nequeat, empirismi systema est incompletum et logicè ducit ad exitiales materialismi consequentias. Eamdem methodum experimentalem, sed *latiori* sensu, Reidius sæpissimè commendavit et nimis exclusivè in operibus suis adhibuit; quem deindè secuti sunt Dugald-Stewart, Royer-Collard, Jouffroy et alii nonnulli.

Aristotelici veteres, SS. Patres Ecclesiæ, posteà scholastici methodum *analytico-syntheticam* adhibent; ità ut eorum systema sit médium inter empirismum et idealismum. Juxtà methodum hujusmodi, synthesim et analysim adhibere oportet : ope analysis, cognoscimus facta psychologica, seu operationes nostras, et ex eis ad facultates nostras, et e facultatibus ad existentiam ipsius animæ conscendimus; sed, ope synthesis, multa comparamus de naturâ, origine et immortalitate mentis humanæ. Seu etiam, inductio et syllogismus adhibentur : ope inductionis, ad notitiam animæ devenimus e cognitione operationum et facultatum nostrarum; et conclusiones variæ deducuntur ope syllogismi.

IV. **Quodnam est objectum Psychologiæ et quomodo dividitur?**

4. Psychologia, in sensu definitionis accepta, complectitur omnia, quæ rationis lumine cognosci possunt de mente humanâ; videlicet, *potentiæ*, quæ soli animæ conveniunt, aut illi simul et corpori sunt communes, *essentia* animæ, et *unio* animæ cum ipso corpore. Objectum igitur adæquatum hujus scientiæ est *anima* in suis *potentiis* considerata, *in se sumpta*, necnon in suâ *unione* cum corpore spectata.

Undè, Psychologiam dividere possumus in tres partes : una de *potentiis* seu facultatibus hominis, alia de

essentiâ animæ, et ultima de *unione* mentis et corporis disserit. Prima pars, in quâ impugnantur idealistæ, *Dynamilogia* nuncupari solet a nonnullis philosophis (Sanseverino) (1); secunda pars, in quâ materialistæ confutantur, vocari potest *Psychologia* propriè dicta; tertia pars, quæ dirigitur adversùs Cartesium, est *Anthropologia* strictissimè sumpta.

V. Expone synopsim totius Psychologiæ.

(* 5. In hac parte philosophiæ realis, inquirimus *principia interna* sensationis, cogitationis, volitionis, id est, operationum earum, quæ *facta psychologica* nuncupantur. Sed *proximum* principium operationum hujusmodi est *potentia;* principium verò *remotum* est *anima;* in statu autem vitæ præsentis, anima est *forma* corporis, et ex utriusque unione absolvitur *homo.* Undè, Psychologia dividitur in tres partes.

Prima pars, de *Potentiis.* — Facultates quædam ad agendum

(1) (* Nota : Philosophi varias divisiones Psychologiæ tradiderunt, prout unam alteramve methodum admisêre : positivistæ cum materialistis duo potissimum intendunt, descriptionem *organorum* et *sensibilitatem.* Assuetis utuntur vocibus, ut sunt *facultates, potestates,* etc.; sed illis nullam realitatem extrà corpus materiale largiuntur, ut videre est apud H. Taine, *de l'Intelligence,* Herbert-Spencer, Positivismi duces et magistros. Reidius, quem nonnulli secuti sunt, omnem scientiam animi revocat ad notitiam *facultatum,* inter quas præcipuæ distinguuntur *intellectus, voluntas* et *activitas.* Idealistæ verò, mentis visionem immediatam admittentes, priùs disserunt de animi *naturâ;* deindè illius *evolutiones* explicant. Est quoque celeberrima divisio Psychologiæ in *experimentalem,* quæ per observationem præsertim innotescit, et in *rationalem,* quæ syllogismorum ope dignoscitur; hæc divisio a multis propugnari solet. Inter scholasticos, Sanseverino Psychologiam dividit in *Dynamilogiam,* ubi tractat de facultatibus, et in *Anthropologiam,* ubi quæstiones absolvit de animi naturâ et origine, necnon de futurâ immortalitate. Quidam verò Psychologiam dividunt in tres partes, quarum prima disserit de *animâ,* secunda de *unione* mentis et corporis, tertia de *facultatibus* (Zigliara, *Psychol.*). *)

COLLEGE LIBRARY

insunt hominibus; aliter enim actus nostri jurè dicerentur effectus sine causis *immediatis;* — Facultates hujusmodi rectè definiri possunt, principia proxima aut immediata operationum nostrarum; — Aliæ respiciunt ad vitam vegetativam, aliæ ad vitam animalem, aliæ verò ad vitam rationalem; undè, dividuntur in tres classes generales; quibus accedit una potentia communis, vis scilicet exsecutiva. — His dictis de existentiâ, naturâ et numero facultatum, tres inferuntur conclusiones maximi momenti : — Primò quidem, principium et radicem facultatum *in genere,* necnon earumdem potentiarum distinctionem ab *essentiâ* mentis humanæ diligenter inquirere et exponere oportet; — Secundò, de facultatibus *in specie,* præsertim de sensu, intellectu et voluntate sermo habendus est; — Tertiò tandem, ea, quæ ad *exercitium* facultatum pertinent, imprimis quæstiones de origine idearum et de sermone, recensere oportet. Tria igitur sint capita :

Caput primum, De potentiis *in genere;*
Caput secundum, De potentiis *in specie;*
Caput tertium, De *origine* idearum.

Secunda pars, de *animâ.* — Facta psychologica et facultates supponunt primarium principium, seu substantiam, a quo velut a subjecto procedunt; et illud est *anima.* — Probatur contrà scepticos animam *existere,* contrà sensistas eam esse *substantiam,* et adversùs materialistas illam esse simplicem et *immaterialem.* — Deindè, per seriem illationum, animæ spiritualitatem, originem divinam, et futuram immortalitatem legitimè deducimus : — Anima, quæ intellectu et voluntate gaudet, non solùm est simplex, sed e naturâ suâ nec a materiâ, nec a rebus physicis pendere potest; — Ergò, *spiritualis* est; — Anima, quæ meritò dicitur substantia spiritualis, et essentialiter a materiâ differt, nonnisi per *creationem immediatam* a Deo sumit originem; — Eaque substantia spiritualis et a Deo creata, soluto corpore, *superest et vivit.* Sint igitur tria capita :

Caput primum, De *essentiâ* animæ;
Caput secundum, De *origine* animæ;
Caput tertium, De *immortalitate* animæ.

Tertia pars, de *Homine.* — Anima, licet a corpore prorsùs independens, cum illo tamen jungitur eâ unione intimâ, quæ dicitur *substantialis;* undè, occasionalismus, harmonia præstabilita, influxus physicus et alia philosophorum systemata, quæ eam corporis et animæ unionem inficiunt, falsa sunt et rejicienda. — Ex hac unione substantiali concluditur animam esse realiter, per se ac immediatè corporis *formam,* proindè *unicum principium* omnis actûs ad vitam etiam vegetativam referendi; quapropter, organicismus et vitalismus recentiorum admitti nequeunt. — Aliundè, corpus in animam influxum exercet, eique tanquam instrumentum utile opitulatur. — Hinc, inferes hominem non esse solum corpus, nec solam animam, sed ex animâ simul et corpore conflari, jureque definiri posse : *Animal rationale.* Undè, tria sint capita :

Caput primum, De *unione* animæ et corporis;
Caput secundum, De *influxu* animæ in corpus;
Caput tertium, De *influxu* corporis in animam.

Ex his omnibus infertur legitimitas hujus definitionis :

Psychologia est pars Philosophiæ realis, principia seu rationes intrinsecas operationum nostrarum introspiciens. *)

PRIMA PARS PSYCHOLOGIÆ.

DE

FACULTATIBUS.

I. **Quomodo dividitur prima pars, de potentiis seu facultatibus hominis?**

6. Homo non potest *agere* nisi mediantibus *potentiis* seu *facultatibus*, quarum aliæ corpori et animæ, aliæ verò soli animæ competunt. De his facultatibus, et de fructibus seu *conceptibus* earum, speciatim de *ideis*, tria sint capita (Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 77-89): I, De facultatibus *in genere;* II, De facultatibus *in specie;* III, De *origine idearum.*

CAPUT PRIMUM.

DE FACULTATIBUS IN GENERE.

II. **Quomodo dividitur caput primum, de facultatibus in genere?**

7. In hoc capite, dicendum est de *naturâ* et *divisione* facultatum nostrarum; undè, duo sint articuli : 1^us^, De *naturâ* facultatum; 2^us^, De *divisione* facultatum.

ARTICULUS PRIMUS.

De naturâ facultatum.

III. Quomodo facultas definiri potest?

8. Facultas definiri potest : *principium*, *quo mediante*, *anima operatur*. — Anima scilicet habenda est ut *primum* principium, *quod* actiones nostras producit; facultas autem est medium naturale, *quo* producuntur illæ actiones. Eodem sensu facultas dicitur : *principium proximum operationis nostræ :* « Potentia animæ, inquit sanctus Thomas, nihil aliud (est) quam proximum principium operationis animæ (*Sum. Theol.;* I, q. 78, a. 4). » Facultas dicitur *principium;* et verò, Psychologia disserit de principiis operationum nostrarum, ut vidimus in definitione tractatûs. Facultas est principium immediatum seu *proximum;* videlicet, operationes nostræ facultatibus ipsis immediatè producuntur; seu etiam, operationibus cognitis, facultates immediatè cognoscuntur. Est principium proximum *operationis nostræ;* scilicet, homo vivit et seipsum movet; sed non potest vivere et actus suos perficere nisi mediantibus potentiis.

Hæc omnia ope comparationis explicant Thomistæ : in arboribus, aiunt, distinguuntur radix, rami et fructus; sic, anima est quasi *radix* omnium operationum hominis; facultates sunt *rami* promanantes e radice; fructus e ramis pendentes exprimunt actus humanos, facultatibus immediatè productos.

IV. Utrùm facultates differunt ab actibus et ab essentiâ animæ?

9. Gravis exorta est difficultas inter philosophos; videlicet, utrùm *facultates* animæ sint ejus *essentia*. Carte-

sius, qui docet mentem nostram essentialiter *cogitare*, non admittit distinctionem realem inter actum, potentiam et essentiam animæ. Posteà, Leibnitzius, Wolfius et alii recentiores, propugnant facultates animi essentiam ejus componere. Adversùs eos, sit sequens

PROPOSITIO.

Facultates habentur ad operationes nostras ut causæ proximæ ad effectus *suos; distinguuntur autem ab animi essentiâ ut qualitates a substantiâ.*

Prima pars propositionis demonstratur ex *naturâ* et *successione* operationum nostrarum; confirmatur *experientiâ* communi et *auctoritate* philosophorum. Ergò, certa est.

(A.) Probatur *naturâ* operationum nostrarum. — Actiones hominum, sensationes, *cogitationes*, volitiones sunt facta psychologica, scilicet effectus immanentes; sed, omnis effectus causam agentem immediatam supponit; in homine verò causa proxima operationum esse non potest nisi *potentia*, quam habet anima actus suos exerendi; ergò, facultates habentur ad operationes nostras ut causæ proximæ ad effectus suos immanentes. Eapropter, non solùm *cogitatio* dici nequit *essentia* animæ, sed etiam, relativè ad intellectum, nihil est nisi aliquid *accidentale*, et jurè dicitur merum hujus facultatis exercitium.

(B.) Probatur e *successione* operationum nostrarum. — Id, quod *permanet* in homine, differt ab eo, quod *transit* et mutatur; porrò, facultates animæ permanent, et actus transeunt et mutantur; ergò, facultates animæ differunt ab actibus. Sed, quùm facultates sint media quibus anima operatur, habendæ sunt ut causæ proximæ

ad effectus suos immanentes. Major patet. Minor etiam est evidens; nam, hominum actiones perficiuntur interne meritòque dicuntur actus immanentes; quùm autem animus plura simul ac diversa per operationem unam et eamdem concipere non possit, in actibus nostris successiones quamplurimas experimur; facultates autem remanent, et eosdem aut alios effectus denuò producunt; potentiæ igitur distinguuntur ab actibus nostris; nam, phænomena *transitoria* et facultas *permanens* ab invicem differunt.

(C.) Confirmatur *experientiâ* communi. — Non solùm infantes, sed etiam homines doctissimi multa penitùs ignorant, quæ tamen agnoscere possunt; hodiè talia vel talia sectamur, cras alia forsitan opposita diligemus; sed, juxtà communem hominum experientiam, hæc omnia distinctionem inter facultates et actus nostros important. Quis enim differentiam realem non admitteret inter eas propositiones : intelligere ac velle *possumus;* de *facto* intelligimus et volumus.

(D.) Confirmatur auctoritate philosophorum. — Plerique scholastici docent hominem esse primariò tantùm in *potentiâ* respectu operationum suarum; deindè verò transit ad actum, et multa variaque perficit; undè, facultates solæ dici possunt innatæ, meritoque habentur ad actiones nostras ut causæ proximæ ad effectus suos (S. Thom., *Sum. Theol.*, I, q. 84, a. 3).

Pars altera propositionis *directè* et *indirectè* probatur; nempè, facultates distinguuntur etiam ab animi essentiâ ut *qualitates a substantiâ* (*Sum. Theol.*, I, q. 77, a. 1); undè, Cartesius iterùm erravit.

Probatur *directè*. — Principium *quo*, immediatum et proximum operationis nostræ, et principium *quod*, mediatum ac remotum, inter se distinguuntur distinctione

reali (1); atqui, anima est principium *quod* operatur in nobis, et facultas est principium *quo* anima operatur; ergò, facultates animæ non sunt ejus *essentia*, sed tantummodò *qualitates* : « Impossibile est dicere, inquit sanctus Thomas, quod essentia animæ sit ejus potentia (*Sum. Theol.*, loc. cit.). » Probatur major, *de* quâ solùm est difficultas. — Ut modò dictum est, homines sunt primariò tantùm in potentiâ relativè ad actus suos; sed, substantia non potest ad actum transire nisi mediante potentiâ a se distinctâ; ergò, necessarium est hominibus inesse facultates ad agendum, seu qualitates ab essentiâ distinctas. — Major constat. Probatur minor. Substantia quæ non est essentialiter in actu, non agit essentialiter, sed tantùm per accidens; actiones autem accidentales non procedunt ab essentiâ, sed tantùm e substantiæ qualitatibus aut potentiis; atqui, mens humana non agit essentialiter; ergò, requiruntur in nobis facultates, quibus mediis anima operari possit (S. Thom., loc. cit.). Alio modo, *esse* et *posse*, ut *posse* et *agere* distinguuntur in homine; anima recipit existentiam a Deo; agit autem mediantibus potentiis; eapropter, facultates non sunt animi essentia, sed ab illâ differunt ut qualitates a substantiis quibus inhærent.

Prætereà, essentia animæ non potest esse simul *una* et *multiplex*. Porrò, vel distinguitur a potentiis suis, vel est una simul et multiplex. Ergò, anima distinguitur a potentiis suis. Major constat. Minor probatur. — Inter facultates *distinctionem* realem percipimus : sensus non est intellectus, ab intellectu differt appetitus. Aliundè,

(1) Distinctio hujusmodi non est tantùm distinctio *rationis*, nec etiam distinctio *formalis* in sensu Scotistarum, sed distinctio *realis* qualis invenitur inter qualitates earumque substantiam.

facultates inter se *connectuntur* ità ut aliæ aliis subjici debeant; sed, illa *distinctio* et hujusmodi *connexus* evidenter supponunt essentiam animi non esse facultates ipsas. Nam, ex unâ parte, aliqua facultas non potest alias movere, nisi sit ab eis distincta, « quià idem secundùm idem non movet seipsum, » ut aiunt scholastici; ideò, *plures* sunt facultates. Et, ex alterâ parte, facultates sunt in *eadem essentiâ* et fundamentum habent in *eodem principio;* secùs enim connexio earum explicari non posset. Undè, concluditur facultates ab animâ distinguendas esse ut qualitates a substantiâ.

Probatur *indirectè*. — Sententia, quæ rejicit distinctionem inter animam et facultates, ad falsas consequentias propellit; et verò, si facultates sentiendi, cogitandi, appetendi, sint ipsius animi substantia, sequitur qualitates et essentiam, *esse*, *posse* et *agere* realiter non distingui; sed falsum est consequens, nam in solo Deo attributa et essentia, existentia et actio non distinguuntur; ergò, falsum est et antecedens. Stat igitur propositio; nempè : facultates habentur ad operationes nostras ut causæ proximæ ad effectus suos; distinguuntur autem ab animi essentiâ ut qualitates a substantiâ.

V. Utrum et quomodo facultates pendent ab animâ?

10. Circà præsentem quæstionem, quatuor recensere debemus : 1°, Inter facultates nostras, aliæ non possunt exerceri sine organis physicis, et competunt homini ratione unionis corporis et animæ; dicuntur *facultates conjuncti*, seu compositi humani; 2°, Aliæ verò, etsi requirant in statu præsenti quoddam sensationis auxilium, sunt e naturâ suâ prorsùs independentes a corpore : propterea vocantur *facultates animi* propriè dicti; 3°, Om-

nes facultates, tùm conjuncti tùm animi, nequaquam in materiâ, sed solùm in animâ primum fundamentum et imam radicem habere debent; 4°, Facultates quædam remanent in animâ, corpore dissoluto (S. Thom., *Sum. Theol.*, I, q. 77, a. 5, c. 8).

(A.) De facultatibus *conjuncti*. — Quædam e facultatibus nostris non corpori tantùm, ut volunt physiologi plerique, nec animæ solùm, ut Plato, Cartesius, Rosminius et alii contendunt, sed corpori simul et animæ, nempè composito humano tanquam *subjecto* inhærent immediatè; tales sunt potentiæ *vegetativæ* et *sensitivæ*.

Reverà, non solum corpus aut anima, sed compositum humanum est subjectum omnis operationis ad vitam vegetativam et sensitivam referendæ; sed, subjectum operationis est etiam subjectum facultatis; ergò, compositum humanum est subjectum facultatis vegetativæ et sensitivæ. « Quædam operationes sunt animæ, quæ exercentur per organa corporalia, sicut visio per oculum, auditus per aurem; et simile est de omnibus aliis operationibus nutritivæ et sensitivæ partis. Et ideò potentiæ quæ sunt talium operationum principia, sunt in conjuncto sicut in subjecto, et non in animâ solâ (S. Thom., *Loc. cit.*, q. 77, a. 5). »

(B.) De facultatibus *animæ*. — Aliæ verò facultates, videlicet *intellectus et voluntas*, quæ in statu præsenti quoddam sensationis auxilium requirunt, ut e potentiâ transire possint ad actum, a corpore tamen ità sunt independentes, ut, sensatione semel acceptâ, sine organis materialibus exerceri possint : « Manifestum est, ait sanctus Thomas, quod quædam operationes sunt animæ quæ exercentur sine organo corporali, ut intelligere et velle. Undè potentiæ, quæ sunt harum operationum principia, sunt in animâ sicut in subjecto (*Ibidem*). »

Hinc apparet quantus sit error positivistarum, qui, ducibus Spencer et Taine, non tantùm facultates vegetativas et sensitivas, sed intellectum etiam et voluntatem ex organorum aptâ dispositione dimanare contendunt. Errant etiam sensistæ, qui intellectum habent pro sensationis evolutione perfectâ (Condillac, de Tracy).

(C.) De imâ facultatum *radice.* — Omnes facultates etiam conjuncti defluunt ab animâ, ei adhærent et ex illâ dimanant, quemadmodùm in rebus physicis rivus e fonte defluit, qualitas inhæret substantiis et ramus e radice dimanat; videlicet, essentia animæ est primum fundamentum cui intrinsecè facultates inhærent.

Probatur ex dictis in Cosmologiâ; nempè, facultas seu qualitas omnis fundatur in principio quodam formali, a materiâ quidem distincto; sed, hujusmodi principium in homine non est aliud quam ipsamet anima; ergò, facultates ab animæ essentiâ defluunt.

Itemque, juxtà sanctum Thomam, facultatum animæ subjectum vel est anima sola, vel compositum humanum; si prius, necessarium est facultates ab animæ essentiâ manare; si posterius, idem est dicendum, nam compositum humanum non potest actu existere nisi per animam; ergò, certum est potentias animæ ab ejus essentiâ defluere tanquam a principio (1).

Brevius : facultates, quibus agunt homines, a principio activo prodeunt; sed, principium activum, hominibus

(1) « Manifestum est..... quod potentiarum animæ subjectum est, vel ipsa anima sola..... vel compositum. Compositum autem est in actu per animam; undè, manifestum est quod omnes potentiæ animæ, sive subjectum earum sit anima sola, sive compositum, fluunt ab essentiâ animæ, sicut a principio; quià jam dictum est, quod « accidens causatur a subjecto secundùm quod est actu, et recipitur in eo in quantùm est in potentiâ. » S. Thom., *loc. cit.*, a. 6.

inhærens, est ipsamet animæ essentia; ergò, facultates ab animæ essentiâ prosiliunt.

(D.) De facultatibus quæ *remanent* in animâ, corpore dissoluto. — Ex dictis deducitur conclusio maximi momenti : duæ facultates, *intellectus et voluntas*, non solùm ab animâ velut a principio defluunt, sed etiam earum subjectum est anima sola; quapropter, e naturâ suâ sunt prorsùs independentes a composito humano; ideoque, dissoluto corpore, in animâ remanent; undè, mens humana a corpore separata potest intelligere et velle, scilicet vivere; nam per intellectum et voluntatem substantia simplex et spiritualis exercet activitatem suam et vivit. Facultates verò conjuncti, soluto corpore, non manent in animâ, nisi tantùm *virtute;* subjectum enim harum potentiarum per mortem destruitur; virtute autem seu radice supersunt in animâ, ità ut, si anima iterùm informat corpus humanum, exerceri possint; secundùm illa sancti Doctoris : « Corrupto conjuncto, non manent hujusmodi potentiæ actu, sed virtute tantùm manent in animâ, sicut in principio vel radice (*Loc. cit.*, a. 8). »

ARTICULUS SECUNDUS.

De divisione facultatum.

I. Utrum plures sunt facultates et quisnam ordo inter eas existit.

11. Imprimis, auctores communiter admittunt plures hominibus inesse potentias; et sane, facultates sensitivæ differunt a facultatibus appetitivis, intellectus non est voluntas, memoria dici nequit imaginatio vel sensus intimus; et ità de cæteris.

Itemque, constat experientiâ quemdam ordinem et dependentiam inter facultates existere : *in evolutione*, facultates inferioris ordinis priùs quam aliæ transeunt ad actum, et, « secundùm ordinem temporis, » ex imperfecto ad perfectum ascendimus; nempè, vita vegetativa vitam sensitivam, et vita sensitiva vitam intellectivam præcedit; sed, *ratione dignitatis* et *dependentiæ*, facultates altioris ordinis imperant aliis easque dirigunt; v. gr. voluntas supremum imperium, aut saltem vim directricem in omnes potentias exercet. Undè, mirabilis et aspectabilis ordo conspicitur inter animæ facultates (S. Thom., *loc. cit.*, a. 2 et 4).

II. Quomodo scholastici facultates dividunt?

12. Scholastici docent animam esse primarium principium et radicem omnium operationum vitæ vegetativæ, sensitivæ et rationalis; eas autem operationes exercet mediantibus potentiis ab essentiâ suâ distinctis. Exindè, tot *facultatum species* distinguunt, quot sunt *operationum series*, secundùm illud effatum : *potentia et actus sunt in eodem genere*. Actus verò distingui debent ab objecto non materialiter, sed *formaliter* sumpto, nempè sub tali talive respectu : « Potentia, secundùm illud quod est potentia, ordinatur ad actum, ait Sanctus Thomas; undè oportet rationem potentiæ accipi ex actu ad quem ordinatur; et per consequens oportet quod ratio potentiæ diversificetur, ut diversificatur secundùm diversam rationem objecti (*Ibidem*, a. 3). »

Propterea, Scholastici, post Aristotelem et sanctum Thomam, facultates dividunt in *quinque species generales;* reverà, quinque sunt operationum genera, et quinque objecta per facultates sub aspectu speciali, seu formaliter habita. Mens enim humana per facultates

vegetativas agit in corpus, ut illud *nutriat*, aut aliud *simile generet*. Sese convertit ad objecta ut illa *cognoscat;* et hoc duplici modo : res sensibiles, corporeas et singulares percipit ope *sensuum;* ens autem universale per *intellectum* apprehendit. Tendit ad objectum cognitum et per *appetitum* fertur ad illud; res autem appetitas exteriores assequi non potest nisi per *motum localem*.

Undè, Scholastici distinguunt facultates *vegetativas*, *sensitivas*, *intellectivas*, *appetitivas* et *locomotivas*. Easdem verò facultates subdividunt in alias plurimas; videlicet, vegetativas in *nutritivas*, *augmentativas* et *generativas;* quinque sensus externos et quatuor internos enumerant, *tactum*, *visum*, *auditum*, *odoratum* et *gustum*, *sensum communem*, *phantasiam*, *æstimativam* et *memoriam;* duplicem intellectum esse putant, *agentem* scilicet et *possibilem;* pariter duo sunt appetitus, *sensitivus* et *intellectivus* seu *voluntas;* vim autem motricem unam esse sentiunt.

Ea divisio eligenda est; sed duo notanda sunt : 1°, Facultates referuntur vel ad vitam vegetativam, vel ad vitam sensitivam, vel ad vitam intellectivam; nam, anima, quæ dicitur primarium principium omnis operationis, actus vitæ vegetativæ, sensitivæ et intellectivæ exercet mediantibus potentiis; undè, facultates ad *tria genera* revocari possunt, videlicet, ad facultates *vitæ vegetativæ*, *sensitivæ* et *intellectivæ;* quibus additur *vis motrix*, cujus ope motus locales exsequi possumus. 2°, Per facultates vitæ vegetativæ homines quamdam similitudinem habent cum vegetalibus; facultates sensitivæ bestiis animantibus competunt; sed homo solus inter creaturas ratione cognitas vitâ intellectivâ fruitur.

Hæc omnia breviùs exponuntur in tabulâ sequenti :

1°, Ad vitam *vegetativam* referuntur :

Facultates { nutritivæ et generativæ ;

2°, Ad vitam *sensitivam :*

Facultates { cognoscitivæ sensibilium, et appetitivæ sensibilium ;

3°, Ad vitam *intellectivam :*

Facultates { cognoscitivæ intelligibilium, et appetitivæ intelligibilium.

4°, Facultas tribus vitæ gradibus *inserviens :*

Vis motrix.

Hinc, in homine conspicitur harmonia mirabilis et unitas perfecta; nam, anima est primarium et unum vitæ principium ; tres vitæ gradus exercentur potentiis, quæ ad finem debitum aptissimè disponuntur ; facultas enim nutritiva supponit aliquam selectionem alimentorum, quæ sunt ad vitam necessaria, et potentia generativa nonnullam vim appetitivam importat; cognitio et appetitus, non solùm implicitè et inchoatè, verùm etiam explicitè comperiuntur in vitâ sensitivâ, et iterùm perfectiores sunt in vitâ rationali; pariter vis motrix aliis facultatibus auxilium præbet, ut motus locales exsequi valeant. Inest etiam cuilibet facultati *propensio* naturalis ad agendum, seu « *conatus,* » quo fertur in rem sibi propriam.

III. Quæ sunt aliæ facultatum divisiones?

(* 13. Scholastici parùm dissentiunt circà divisionem facultatum animæ ; sed non ità dicendum de recentioribus philosophis.

Juxtà positivistas, facultas, potestas, capacitas non existit a materiâ distinctâ; verumtamen facta seu phænomena physiologica revocari possunt ad nonnullas classes seriesve generales; alia referuntur ad vitam *vegetativam*, alia verò ad vitam *sensitivam*, aut tandem ad vitam *socialem;* undè, triplex est organismus in homine, et tres capacitatum, ut aiunt, seu phænomenorum series. Sed, ut jam multoties diximus, facultates non sunt mera nomina; insuper, positivistarum divisio non complectitur intellectum et voluntatem; ideircò rejicitur ut *falsa, æquivoca* et *incompleta*.

Multi recentiores, qui spiritualistæ vocantur, præcipuè magistri scholæ scoticæ, potentias animæ communiter dividunt in *sensibilitatem*, *intellectum* et *voluntatem*. Inter eos, eclecticus Damiron distinguit facultates *primarias* et *secundarias :* facultates primariæ sunt activitas, unitas et identitas; secundariæ verò dicuntur intelligentia, sensibilitas et libertas. Istæ divisiones et aliæ hujusmodi non sunt completæ; nam potentias vitæ *vegetativæ* non exhibent. Aliundè, recentes per intellectum designare solent facultates cognoscitivas in genere; itemque, per sensibilitatem sæpiùs exprimunt appetitum et passiones; indè gravissimi defluunt errores : primò quidem animalia cognitiones nonnullas acquirunt; eapropter, juxtà spiritualistas, intellectu gaudent, et nonnisi gradu differunt ab homine. Secundò, si passiones et appetitus ad *solam* sensibilitatem pertineant, corruit vera notio moralitatis; nam, actus moralis appetitum rationalem et liberum supponit (Cf. L. C. Bourquard, *Doctrine de la connaissance*, c. v, p. 103 et seq.).

Spiritualistæ falsam et incompletam facultatum divisionem tradidère, quià, duce Cartesio, unionem substantialem mentis et corporis negaverunt; eâ enim unione rejectâ, potentiæ vegetativæ et etiam exsecutivæ seu « locomotivæ » non inhærent animæ, sed referuntur ad aliud principium a materiæ viribus non distinctum. Erraverunt etiam non pauci, quià, potentias et essentiam animæ non distinguentes, unitatem, simplicitatem, identitatem inter facultates enumerare voluerunt. *)

CAPUT SECUNDUM.

DE FACULTATIBUS IN SPECIE.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de facultatibus in specie?

14. Naturam et divisionem facultatum in genere conspeximus; nunc logicè progredimur ad ea, quæ sunt unicuique facultati specialia. Præcipua quidem facultas est intellectus, per quem ens universale dignoscitur et scientia comparari potest; aliæ verò potentiæ quodammodò respiciunt ad intellectum, videlicet in quantùm sunt « *præambulum* » illius, vel *complementum*. Ad rem quatuor sint articuli : 1^us^, De potentiis vitæ vegetativæ; 2^us^, De potentiis vitæ sensitivæ; 3^us^, De potentiis vitæ intellectivæ; 4^us^, De vi motrici.

ARTICULUS PRIMUS.

De potentiis vitæ vegetativæ.

II. Quæ sunt facultates vitæ vegetativæ?

(* 15. Vita vegetativa, cujus principium et definitionem generalem inspeximus in Cosmologiâ (n. 45-46), vegetalibus, bestiis animantibus et hominibus communis est. Exercetur mediantibus principiis *proximis*, seu facultatibus, quæ tres sunt juxtà scholasticos, *nutritiva*, *augmentativa*, *generativa*. Per generationem, ait sanctus Thomas (*Sum. Theol*, I, q. 78, a. 2), vivens acquirit *existentiam*, per auctionem acquirit *evolutionem debitam* et per nutritionem *vires* suas *reficit* et *exsitentiam conservat*.

Ea scholasticorum sententia, juxtà nonnullos, recentiorum experientiis contradicere videtur; nam, auctio est tantùm effec-

tus nutritionis, et specialem potentiam non supponit. Sic argumentantur : facultates vegetativæ exerceri debent per operationes seu *functiones* diversas, et necessariò supponunt organa distincta; sed, in homine functiones et organa vitæ vegetativæ referuntur sive ad nutritionem sive ad generationem; ergò, duplex est tantùm facultas vegetativa, *nutritiva* scilicet et *generativa* (1).

III. Quid dicendum de subjecto, principio et naturâ facultatum vitæ vegetativæ?

16. Physiologus et medicus organa et functiones vitæ vegetativæ describunt; philosophus autem *subjectum*, *principium* et *naturam* facultatum vegetativarum inquirit. Facultates autem vegetativæ pertinent ad hominem quatenùs habet corpus et animam; ergò, *subjectum immediatum* omnis potentiæ vegetativæ est *compositum humanum*, et hujusmodi potentiæ dicuntur facultates *conjuncti*. Principium verò primarium et radix est ipsamet animæ essentia, ut dictum est suprà.

Si spectentur in se, facultates vegetativæ haberi possunt ut nexus inter qualitates mineralium et facultates animalium; reverà, nutritio non supponit adhuc cognitionem propriè dictam, sed perfectior est selectione naturali, quæ invenitur in mineralibus; quippè, facultas nutritiva colligit in stomacho alimenta ad vitam necessaria, cæteraque respuit; undè, *metaphoricè* perceptionem quamdam inchoatam, implicitam et confusam arguit. Itemque, generatio vim quamdam attractivam et *quasi* appetitum initialem importat. Cognitio tamen explicita, et appetitus propriè dictus in potentiis sensitivis incipiunt, et deindè perficiuntur in facultatibus intellectivis. *)

(1) « La nutrition a pour but de nourrir le corps, de l'*accroître* depuis sa naissance jusqu'à son parfait développement, de l'entretenir ensuite tout en le laissant dépérir jusqu'à la mort. » D. Frédault, *Traité d'anthropologie*, p. 290. « Les anciens avaient des idées tout à fait fausses à l'égard des actes de nutrition, parce qu'ils ne connaissaient pas la circulation du sang. » *Ibidem*, p. 291.

ARTICULUS SECUNDUS.

De potentiis vitæ sensitivæ.

I. Quomodo definiuntur et dividuntur facultates vitæ sensitivæ?

17. Facultates vitæ sensitivæ dicuntur, *principia proxima quibus exercetur vita sensitiva; seu, potentiæ per quas res sensibiles quatenùs sensibiles et singulares innotescunt.* Facultates illæ communes sunt hominibus et belluis animantibus, et meritò vocari solent a scholasticis facultates *conjuncti.* Undè, non sunt facultates *solius animæ.* Dividuntur in duas classes generales, videlicet in *cognoscitivas* et *appetitivas;* animal enim res sensibiles agnoscit et appetit. Iterùm in facultatibus cognoscitivis distinguuntur *sensus externi* et *sensus interni;* appetitus quoque duplex est, nempè *concupiscibilis* et *irascibilis;* quod brevius exponitur in tabulâ sequenti :

1°, Facultates cognoscitivæ,	{	Sensus externi et sensus interni;
2°, Facultates appetitivæ,	{	Appetitus concupiscibilis et Appetitus irascibilis.

II. Quot et quinam sunt sensus externi?

18. Sensus externus, cujus organum *exteriùs* apparet, *directè* percipit *proprietates* rerum *exteriores.* Sed, proprietates rerum exteriorum sensibiles ad quinque genera revocari possunt, scilicet ad *colores, sonum, saporem, odorem* et *qualitates tactiles;* quinque etiam species operationum exploramus in sensatione externâ, *videmus, audimus, gustamus, olfacimus* et *tangimus;* pariter, quin-

que sunt organorum genera ; ideoque, sensus externus in quinque facultates subdividitur, id est in *visum, auditum, gustum, odoratum* et *tactum* (Arist., II. *De animâ*). Ad exercitium autem sensûs externi requiritur auxilium *organorum* et *nervorum*, etsi sensatio non sit merè *passiva*.

Visûs organum est *oculus*, qui mediante lumine *colorem*, et ope coloris extensionem, figuram, motum, quietem, distantiam corporum attingit. Radii luminis penetrant oculum, tenuemque depingunt imaginem in retinâ, et nervum opticum movent, sensationemque producunt, nisi quoddam obstet impedimentum. Illius organi compages mirabilis valdè præcellit aliis, ità ut visus a scholasticis dicatur sensus maximè *spiritalis* (1).

Aures sunt *auditûs* organum. Sonus « vibratorius, » ut aiunt, per aera transmittitur, et, tympanum auris percutiens, nervum commovet, et nobis affert hominum sermonem, harmoniam concentûs aliaque similia (2). Auditus et visus pulchrum sensibile percipiunt et *sensus* artis vocari solent. Alii sensus bonum sensibile jucundum vel utile præsertim intendunt, et cùm in objecto tùm in organis inferiores sunt.

Olfactûs organum in fossis nasi reperitur. Illud organum afficiunt *odores*, qui tenuissimis ac subtilibus particulis materiæ producuntur. *Gustus* autem, cujus objectum est *sapor* rerum materialium, non *palato*, sed linguâ tanquam organo et adminiculo utitur. *Tactus* tan-

(1) Apud physiologos describuntur partes oculi gallicè dictæ, la cornée transparente, la chambre antérieure, l'iris, le cristallin, l'humeur vitrée, le nerf optique, le procès ciliaire, la sclérotique, la choroïde, la rétine. Cf. Langlebert, *Zoologie*.

(2) « On distingue dans l'appareil (de l'ouïe) trois parties désignées par les noms d'oreille externe, d'oreille moyenne et d'oreille interne. » *Ibidem*.

dem superficiem corporum, molem, resistentiam, temperiem et alia hujusmodi percipit. Illius organum in cute residens, existit in toto corpore et præsertim in extremitate *manuum*. Quòd organa necessaria sint ad exercitium sensûs externi, luculenter experientiâ demonstratur; nam, organo deficiente, sensationes huic organo propriæ deficiunt, nec nisi phantasiâ reviviscere possunt, ut fit in iis, quorum manus aut pedes amputantur (1).

Nervus organa corporis cum cerebro colligat instar funiculi mollis. In systemate nervoso distinguuntur nervi *sensitivi* et nervi *motores;* nervi sensitivi transmittunt ad cerebrum impressiones expertas in organis; aliorum autem ministerio varii motus corporis efficiuntur. Ad transmissionem impressionum ex organis ad cerebrum, recentes communiter admittunt *fluidum* quoddam nervis inhærens, et, juxtà eos, ab electricitate non distinctum : « Il y a grande apparence, ait naturalista celeberrimus, que c'est par un fluide impondérable que les nerfs agissent (Cuvier, post Aristot. *Gen. Anim.* II, 3). » Notandum est tamen *sensationem* externam *non perfici in cerebro*, sed *in organis respectivis;* id est, *oculus* videt, *auris* audit, *nasus* olfacit.

Cerebrum, e materiâ quadam molli et pulposâ coalescens, tribus partibus constat, cerebro propriè dicto, cerebro minori et medullâ spinali. Cerebrum propriè dictum in parte superiori capitis, a fronte scilicet ad occipitium continetur; non solùm ad sensationem organicam,

(1) Circa præsentem quæstionem auctores ferè omnes inter se consentiunt, adversùs idealistas nonnullos; sit exemplum : « Les aliments les plus délicats sont sans *saveur,* terreux ou amers quand l'estomac est malade... L'encéphale et les nerfs sensoriaux sont demeurés ce qu'ils étaient; mais la *langue* s'est couverte d'un enduit muqueux ou bilieux, et tout produit sur elle une impression fade ou amère. » Mueller.

sed etiam ad *intellectûs exercitium* quodammodò inservit, in statu præsenti; ideoque, læso cerebro, jam intellectus et voluntas in suis actibus impediuntur. Ab organis tamen non pendent.

III. Quot et quinam sunt sensus interni?

19. Per sensus externos *sensationes* ab ipsis *objectis* exterioribus *directè* accipimus; sensibus autem internis easdem sensationes in *nobismetipsis inspicimus*. Quatuor sunt, juxtà scholasticos : *sensus communis*, *phantasia*, *vis æstimativa* et *memoria;* nempè, anima *in seipsâ percipit*, ope sensûs communis, *præsentiam* eorum phænomenorum, quæ per sensus externos accipiuntur; phantasiæ auxilio, eadem phænomena *retinet;* per æstimativam, percipit nonnullas *qualitates* sensibus externis *impervias;* ope verò memoriæ, notitias priùs habitas *revocat* et iterùm *agnoscit* (Cf. S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 78, a. 4).

Sensus interni, non aliter ac sensus externi, sunt facultates conjuncti, scilicet non ad animam solam, sed ad corpus simul et animam referuntur; aliundè, respiciunt ad vitam sensitivam, et aliquatenùs communes sunt hominibus et belluis animantibus; nam, dicente sancto Thomâ, « quantùm ad formas sensibiles, non est differentia inter hominem et alia animalia; similiter enim immutantur a sensibilibus exterioribus (*Loc. cit.*). »

IV. Quid est sensus communis?

20. Philosophi communiter admittunt facultatem per quam phænomena mentis interna dignoscimus; sed de naturâ illius facultatis plures exortæ sunt sententiæ. Alii contendunt animam sine ullius facultatis auxilio sensationes agnoscere; alii verò, post Reidium, asserunt hominibus inesse *sensum intimum*, seu conscientiam philo-

sophicam, cujus ope phænomena nobis interna eorumque differentiam percipimus; sed hanc facultatem a potentiis intellectivis minimè secernunt. Positivistæ verò cum sensistis non distinguunt sensum intimum a sensibus externis.

Econtrà, scholastici specialem admittunt facultatem, per quam anima sensationum existentiam et differentias agnoscit, eamque non in intellectu sed in sensibus internis reponunt. *Communis* vocari solet, quià « omnium sensuum particularium objecta apprehendit » (S. Bonaventura); illius subjectum est compositum humanum, et organum ejus proprium esse debet « encephalum, » ad quod omnes sensationes nervis mediantibus transferuntur (Sanseverino).

Ea facultas est veluti sensorium et centrum commune in quo, tanquam in termino, sensationes externæ uniuntur; et simul haberi potest ut principium proximum et radix sensuum internorum : « Sensus communis, ait sanctus Thomas, est radix phantasiæ et memoriæ, quæ præsupponunt actum sensûs communis (*de Memor.*). » Ità, in sensibus externis, tactus est aliquo modo fons aliorum sensuum : « Cum sensus tactûs, ait iterùm sanctus Doctor, sit quasi fundamentum aliorum sensuum, in organo uniuscujusque sensûs non solùm invenitur proprietas illius sensus, cujus est organum proprium, sed etiam proprietas tactûs. » *Qq. disp.*, q. 22, de Verit., a. 5). Itemque, vis motrix est facultas omnibus aliis potentiis aliquatenùs communis. Undè, *tactus* in omnibus sensibus externis reperitur; *sensus communis* ad omnes sensus cùm externos tùm internos referri debet, in quantùm eorum actus percipit; *vis* autem *motrix* omnibus potentiis vitæ vegetativæ, sensitivæ et intellectivæ subsidium præbet, etiamsi reponenda sit inter facultates orga-

nicas. Verumtamen sensus communis, relativè ad *actum* perceptionis, non est fundamentum aliorum sensuum, ut voluit Rosmini; scilicet, perceptio sensûs intimi non præcedit, sed tantummodò sequitur perceptiones sensûs externi.

Ex dictis, sensus communis rectè definiri potest : *Facultas* cujus ope cognoscimus *omnia phænomena nobis intimè præsentia.* Est *facultas* specialis ab aliis sensibus et ab intellectu distincta; percipit phænomena nobis *intimè* præsentia, et ità differt a sensibus externis, quibus proprietates rerum exteriores *directè* conspiciuntur; differt etiam a reliquis sensibus internis, ut mox videbitur; ea tandem phænomena percipit modo *sensibili*, et sic distinguitur a facultatibus intellectivis. Ad probandam hujus definitionis legitimitatem, sit sequens

PROPOSITIO.

Sensus communis est specialis facultas, cùm a sensibus externis, tùm a viribus intellectivis distincta.

Probatur. 1°, Ad seriem operationum *specialem* requiritur facultas *specialis;* nam, ut diximus, potentiæ distinguuntur per actus et objecta. Sed, inest hominibus quædam series operationum per quas sensationes omnium sensuum percipimus; etenim, in nobismetipsis experimur oculum videre, aurem audire, manum palpare. Ergò, specialis requiritur facultas, nempè *sensus communis*, per quem, juxtà sanctum Thomam, apprehendimus « sensata omnium sensuum (*Contrà Gent.*), l. II, c. 74). »

2°, Illa facultas distinguitur a sensibus externis. — Ut sensus communis sit facultas a sensibus externis distincta, duo *requiruntur* et *sufficiunt :* 1°, ut sit facultas, cujus ope sensationes omnium sensuum percipimus;

2°, ut sensus externus sensationem suam, et a fortiori sensationem aliorum sensuum non percipiat. Sed, illa duo certa sunt. Ergò, sensus communis est facultas a sensibus externis distincta. Major constat. Probata est etiam prima pars minoris, videlicet existit facultas specialis, cujus ope cognoscimus sensationes aliorum sensuum. Probatur secunda pars minoris. — Sensus non potest sensationem suam percipere, nisi ope *reflexionis;* quùm autem perceptio sensuum sit organica, impossibile est organum et proindè sensationem *in se reflecti.* Sic, ut egregiè scripsit R. P. Liberatore, « visus non videt suam visionem, nec auris audit suam auditionem, et ità de reliquis sensibus (*Psychol.*, l. 2). » A fortiori, unus sensus non potest percipere sensationem aliorum sensuum; si enim perciperet sensationem, perciperet etiam objectum illius; quod fieri nequit; ex. gr. Oculus non potest audire, olfactus videre, auris sentire. Non minùs constat perceptionem sensûs communis perceptiones sensuum externorum consequi; sensus enim communis sensuum externorum sensationes apprehendere nequit, nisi priùs existant hujusmodi sensationes; sed facultas, cujus perceptio subsequitur operationes sensuum externorum, ab his sensibus necessariò differt; ergò, sensus communis distinguitur a sensibus externis. Undè, positivistæ et sensistæ falsò contendunt sensum communem seu « conscientiam » et perceptionem externam esse unam et eamdem potentiam (Condillac).

3°, Item, sensus communis non est facultas intellectiva. Demonstratur directè. — Facultates, quorum objecta essentialiter differunt, inter se differre debent. Porrò, intellectus, qui dicitur facultas solius animæ, res sensibiles quatenùs *sensibiles* percipere nequit, et illius objectum est *universale;* sed, sensus communis phænomena men-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tis interna quatenùs *sensibilia* et *particularia* cognosci; ergò, sensus communis non est ipsa facultas intellectiva.

Probatur indirectè. — Sententia scholæ scoticæ, sensum communem a viribus intellectivis non distinguens, hominem a bestiis nonnisi gradu differre contendit; quod est valdè periculosum; rejiciendum est igitur systema Reidii, et sic, duce sancto Augustino, ratiocinari possumus : « Sensus interior (seu communis) inest et bestiis; » sed bestiis « intellectus non inest; » ergò, sensus communis differt ab intellectu (*De Libero arbitrio*).

Aliundè, sensus communis distinguitur a sensibus externis; consequenter, sensus communis est specialis facultas, cùm a sensibus externis, tùm a viribus intellectivis distincta.

V. Quid est phantasia?

21. Ope sensûs communis, imagines rerum sensibilium in nobis inspicimus, rebus ipsis *præsentibus;* verùm etiam, rebus amotis aut *absentibus*, easdem imagines servare et nobis iterùm repræsentare possumus. Facultas, per quam imagines illæ retinentur, vocari solet *phantasia*, seu vis imaginativa : « Vis imaginativa, inquit sanctus Thomas, est apprehensiva similitudinum (*seu imaginum*) corporalium, etiam rebus *absentibus* (*Sum. Theol.*, 1ª 2æ, q. 15, a. 1). » Ideoque definiri potest : *ea facultas specialis, per quam imagines rerum sensibiles, absque rebus ipsis, in nobis repræsentantur.*

Est *specialis facultas;* videlicet, non est evolutio quædam sensuum externorum, ut contendunt materialistæ, positivistæ et sensistæ nonnulli; neque sensûs communis operatio quædam, aut gradus tantummodò superior; nec etiam phantasia distinguitur ab imaginatione, in eò quod imaginatio servet imagines corporum, et phantasia di-

versas rerum similitudines fingat aut componat, ut voluêre Stoïci, Avicenna, Albertus Magnus et sanctus Bonaventura; sed una specialisque facultas meritò dicitur.

Per phantasiam *imagines rerum* sensibiles retinentur; scilicet imaginatio pertinet ad facultates sensitivas, in composito humano velut in subjecto reponitur, et discriminari debet a potentiis intellectivis. Illius facultatis organum in cerebro collocant saltem hodierni scholastici; reverà, læso cerebro, turbantur actus phantasiæ. Bestiis etiam competit; nam, v. gr., canis dormiendo latrat et ululat.

Imaginationis ope repræsentantur similitudines rerum sensibiles, *absque rebus* ipsis; et sic phantasia differt a sensibus externis et a sensu communi, quibus objecta *præsentia* solummodò percipiuntur. Phantasiam tamen cum aliis animæ potentiis relationes quamplurimas habere compertum est : a sensibus externis accipit imagines sensibiles, ità ut in omnibus suis actibus imaginatio res etiam immateriales, Deum, angelos, signis sensibilibus repræsentet. Supponit quoque sensus communis exercitium; nam, ut diximus, phantasia rerum imagines, per sensum communem apprehensas, retinet. In homine tandem, imaginatio per intellectum illustratur et voluntati famulari debet.

Relativè ad alias facultates, imaginatio sub triplici respectu considerari potest : vel subjicitur aliis potentiis, vel illis imperat; vel exercetur, somniantibus aut turbatis reliquis facultatibus, nempè per somnum et delirium. In primo casu habetur ut facultas utilis, et sæpiùs, præsertim in artibus, aliis animæ potentiis adminiculum necessarium suppeditat; quùm autem dominium obtinet, fons illusionum et errorum meritò reputatur. In somno vel in delirio, quùm aliarum animæ facultatum, potissi-

mùm intellectûs exercitium impeditur, imaginatio vagari incipit multasque fingit imagines, ut innumeris constat experientiis.

VI. **Quid dicendum de vi æstimativâ et memoriâ?**

22. Non solùm res corporeas ope sensuum externorum, aut per sensum communem percipimus; neque solùm imagines rerum sensibilium phantasia retinet; sed etiam inest hominibus facultas, per quam agnoscuntur nonnullæ proprietates, quæ, licet ordinem sensibilem non superent, per sensus tamen externos, et ope sensûs communis aut phantasiæ percipi nequeunt, « sicut ovis cognoscit *hunc agnum*, non in quantùm est *hic agnus*, sed in quantùm est ab eâ *lactabilis* (S. Thomas, *De animâ*, II, lect. 13). » Porrò, facultas, *qualitates* rerum aliis sensibus *impervias* detegens, vocatur *æstimativa* : « Ad apprehendendum intentiones (seu proprietates) quæ per sensum non accipiuntur, ait sanctus Thomas, ordinatur vis æstimativa (*Sum. Theol.*, I, q. 78, a. 4). » Huic accedit quartus ultimusque sensus interior, nempè *memoria*, per quam *notitias* priùs acquisitas *revocamus* et *iterùm* agnoscimus.

Quod existunt vis æstimativa et memoria, perspicuum est; etenim, multas agnoscimus proprietates rerum materialium, quæ per sensus externos non innotescunt, easque cognitiones semel habitas recordari possumus; sed, philosophi scinduntur circà naturam earumdem facultatum. Alii vim æstimativam a sensu communi, et memoriam a phantasiâ non discriminant; alii verò æstimativam et memoriam reponunt inter facultates intellectivas.

Juxtà communem scholasticorum sententiam, æstimativa et memoria sunt facultates a sensu communi et

phantasiâ distinctæ; sed ad vitam sensitivam referuntur, et communes sunt bestiis et hominibus; attamen in homine perfectiores esse debent, et proximè ad intellectum accedunt. Aliundè, facultates intellectivæ, quibus homines gaudent, vim æstimativam et memorativam eminenter complectuntur, ut infrà dicendum (1).

Reverà, vis æstimativa differt a sensu communi; nam, per sensum communem percipimus solummodò qualitates sensibus externis obvias; dùm per æstimativam apprehendimus eas proprietates, quæ *solis* sensibus externis attingi non possunt; sic, ovis fugit lupum, non « propter indecentiam coloris, » sed tanquam inimicum; avis colligit paleas, non tanquam visu delectabiles, sed propter utilitatem ad « nidificandum (S. Thom., *loc. cit.*; q. 78, a. 4). »

Memoria quoque differt a phantasiâ; hæc enim solas *imagines* rerum *externas* retinet; illa verò *qualitates* rerum seu proprietates ipsas recognoscit : « In hoc differunt imaginatio et memoria, inquit sanctus Bonaventura, quià illa conservat *species* seu imagines rerum, hæc conservat *intentiones* specierum seu (proprietates) (*Comp. theol. verit.*), » quæ vi æstimativâ præsertim innotescunt.

Inter facultates sensitivas æstimativa et memorativa gradum altiorem obtinent; verumtamen judicia propriè dicta proferre non possunt, ut nonnulli volunt; sed ani-

(1) « In homine (æstimativa) dicitur cogitativa; quæ per collationem quamdam hujusmodi intentiones adinvenit..... Ex parte autem memorativæ, (homo) non solùm habet memoriam, sicut ceterà animalia, in subità recordatione præteritorum; sed etiam reminiscentiam, quasi syllogisticè inquirendo præteritorum memoriam, secundùm individuales intentiones. » S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 78, a. 4.

malia per eas facultates instinctivè tantùm percipiunt rerum *qualitates*, secundùm illa sancti Doctoris : « Animalia *percipiunt* (rerum) proprietates *solùm* naturali instinctu (*Ibidem*). »

Ultimò tandem colligendum est æstimativam et memoriam esse facultates vitæ sensitivæ, ad potentias intellectivas proximè accedere, verùm ab eis distingui; nam, versantur circà proprietates rerum *sensibiles; universale* autem et *absolutum* non assequuntur. Undè, non anima sola, sed corpus simul et anima, videlicet conjunctum, est subjectum earumdem facultatum; et organa, quibus utuntur, in cerebro collocari solent.

VII. Quid dicendum de naturâ et divisione appetitûs sensitivi.

23. Omne ens habet suam inclinationem, ait sanctus Thomas (*Sum. Theol.*, I, q. 80, a. 1); quod verum est etiam in corporibus inorganicis, nam, « ignis ex suâ (naturâ) inclinatur in superiorem locum, » lapis in aerem projectus decidit. Item, ut dictum est suprà, quædam inclinatio naturalis reperitur in vitâ vegetativâ; sed appetitus propriè dictus realiter existit in vitâ sensitivâ, et definitur : *ea facultas, quâ bonum sensibile prosequimur.*

Appetitus differt a facultatibus cognoscitivis, videlicet a sensibus externis et internis, in quantùm per facultates cognoscitivas res *sensibiles innotescunt*, dùm facultatibus appetitivis *bonum sensibile* prosequimur.

Appetitus sensitivus cognitionem subsequitur; id est, animal invictè fertur in bonum per sensus apprehensum. Talis propensio existit in homine; nam, ut experientiâ constat, ad res sensibiles appetitum allicientes enixè sollicitamur; et non solùm ab appetitu rationali dif-

fert, sed sæpè adversùs eum concupiscit; secundùm illa S. Pauli : « Caro concupiscit adversùs spiritum et spiritus adversùs carnem (Ad Galat., v, 17). »

Bonum autem sensibile vel est *delectabile* et obtentu *facile*, vel *arduum* et propter quoddam impedimentum obtentu *difficile;* undè, veteres distinguunt appetitum *concupiscibilem* et appetitum *irascibilem:* unus versatur circà bonum delectabile; alter verò bonum arduum prosequitur : « Les anciens philosophes, ait Bossuet, appellent appétit concupiscible celui où domine le désir ou la concupiscence; et irascible celui où domine la colère. Cet appétit a toujours quelque difficulté à surmonter, ou quelque effort à faire, et c'est ce qui émeut la colère (*Connaissance de Dieu et de soi-même*, c. I, n. 6). »

Juxtà communem sententiam, appetitus concupiscibilis est facultas ab appetitu irascibili distincta; quod demonstratur e diversitate propensionis utriusque potentiæ : « Hæ duæ inclinationes non reducuntur in unum principium, ait sanctus Thomas, quià interdùm » opposita prosequuntur; id est, appetitus irascibilis fertur in ea, quæ contraria sunt inclinationi appetitûs concupiscibilis, et vice versâ; undè, « concupiscentia accensa minuit iram, et ira accensa minuit concupiscentiam, ut in pluribus (q. 81, a. 2). »

ARTICULUS TERTIUS.

De potentiis vitæ intellectivæ.

I. Quomodo subdividi potest articulus tertius, de potentiis vitæ intellectivæ?

24. Articulus de potentiis vitæ intellectivæ subdividi potest in duos paragraphos : 1°, De facultatibus *cognoscitivis :* 2°, De facultatibus *appetitivis*. Quippè, vita ratio-

nalis in suo principio, in se et in actibus suis est immaterialis atque spiritualis; primariò et essentialiter consistit in *cognitione veri suprasensibilis* et in *appetitione boni immaterialis;* idcircò, facultates quibus exercetur ad duplicem classem revocari possunt, videlicet ad cognoscitivas et appetitivas rerum suprasensibilium. Duplex est autem virtus seu vis intellectûs, intellectus *agens* et intellectus *possibilis;* iterùm, appetitus est *voluntarius non liber,* aut *voluntarius liber;* undè sequens tabula : facultates quæ, ad vitam intellectivam referuntur, sunt :

1°, Intellectus { Agens et possibilis,

2°, Appetitus { Voluntarius et liber.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Facultatibus cognoscitivis.

II. **Quæ sunt dicenda de facultate cognoscitivâ?**

25. Ea, quæ spectant ad facultatem cognoscitivam, ad quatuor puncta referuntur : 1°, De *naturâ* intellectûs; 2°, De intellectu *agente;* 3°, De intellectu *possibili;* 4°, De nonnullis quæstionibus inter auctores agitatis.

III. **Quid est intellectus?**

26. *Intellectus est facultas inorganica, per quam res quatenùs immateriales agnoscimus.* Dicitur facultas *inorganica* seu « *hyperorganica;* » scilicet ab animâ solâ, non a composito humano, tanquam a subjecto defluit: et sic

exprimitur prima differentia inter potentias sensitivas, quæ sunt facultates organicæ, ut diximus, et intellectum humanum; secundùm illa sancti Doctoris : « Solum intelligere inter opera animæ, sine *organo corporeo* exercetur : sentire verò et consequentes operationes animæ sensitivæ, manifestè accidunt cum aliquâ corporis immutatione (*Sum. Theol.*, I, q. 75, a. 3). »

Quòd intellectus sit facultas inorganica, hoc argumento demonstratur : inter facultatem et operationem ejus quædam *adæquatio* requiritur; sed, operationes intellectûs ab organis corporeis non pendent e naturâ suâ; ergò, et intellectus non pendet ab organis corporeis. Major constat. Probatur minor. Actus intelligentiæ, perceptio, reflexio, abstractio, judicium, ratiocinium, ut dictum est suprà, sunt effectus spirituales et prorsùs independentes a corpore physico et a materiæ viribus; eapropter, arguunt existentiam alicujus potentiæ spiritualis, videlicet intellectûs.

Exindè, infertur res *quatenùs immateriales* esse intellectûs objectum; res enim *in quantùm materiales* nonnisi per facultatem organicam *modo sensibili* percipiuntur.

Sensus cognoscit res singulares et corporales; intellectus autem attingit universale et incorporale : unus qualitates sensibiles aspicit; alter verò, quasi intùs legens, essentiam rei detegit : « Nomen intellectus quamdam intimam cognitionem importat, ait Sanctus Thomas; dicitur enim *intelligere* quasi *intùs legere*. Et hoc manifestè patet considerantibus differentiam intellectûs et sensûs. Nam cognitio sensitiva occupatur circà qualitates sensibiles exteriores : cognitio autem intellectiva penetrat usque ad essentiam rei (*Sum. Theol.*, 2ª 2æ, q. 8, a. 1). » Undè, scholastici dicunt res quatenùs *materiales* esse sensûs objectum, et eas in quantùm *immateriales*

per intellectum apprehendi; sed quærendum est quænam sit ea rerum immaterialitas; nempè quid intellectus suâ virtute nativâ, mediantibus suis actibus, cognoscere possit.

IV. Quodnam est intellectûs objectum?

27. Duplex est intellectûs objectum, unum quidem *adæquatum*, alterum verò *proportionatum* : objectum adæquatum complectitur *quidquid* ab intellectu, quocumque modo, cognosci potest; objectum autem proportionatum est illud, quod intellectus, in statu præsenti, præ cæteris et *primariò* agnoscit.

Licet intellectus sit facultas *inorganica*, verumtamen, in statu præsenti, est tantùm in *potentiâ* respectu veritatis, et aliquo modo, scilicet extrinsecè, pendet a facultatibus sensitivis. Quùm autem transit ad actum, primariò per abstractionem attingit essentiam rerum materialium, quarum proprietates ope sensuum innotescunt. Objectum igitur humano intellectui *proportionatum*, in statu vitæ præsentis, propter unionem corporis et animæ, est *essentia* seu « quidditas » rerum sensibilium; ad rem sanctus Thomas dixit : « Intellectûs humani, qui est conjunctus corpori, proprium objectum est *quidditas*, sive natura in materiâ corporali existens (*Sum. Theol.*, I, q. 84, a. 7). »

Probatur. — Objectum dicitur intellectui proprium et proportionatum, ad quod intellectus primariò fertur, in statu præsenti; sed, essentia rerum materialium est hujusmodi objectum, ut experientiâ constat; ergò, essentia rerum materialium, in præsenti vitâ, est objectum intellectui proprium. Reverà, homo primùm inquirit naturam eorum, quæ per sensus immediatè perspiciuntur; et in-

tellectus noster, licet nulli sit affixus organo, sese convertit ad res sensibiles ut illarum essentiam agnoscat.

Intellectus, ut multoties dictum est, vocatur universalium cognoscitivus; eapropter, *essentiam* seu quidditatem rerum sensibilium quatenùs universalem primò et *directè* per abstractionem assequitur. Sit exemplum : ope sensuum proprietates sensibiles in individuis percipiuntur; intellectus autem, omni proprietate individuali remotâ, notionem generalem comparat, seu quid sit corpus *in genere* dignoscit. Posteà verò *indirectè* et per *accidens*, intellectus *singulare* consequitur : « Intellectus *directè* non est cognoscitivus nisi *universalium*, ait sanctus Doctor; *indirectè* autem, et quasi per quamdam *reflexionem*, potest cognoscere *singulare* (*Ibid.*, q. 86, a. 1). » Quippè, juxtà Scholasticos, universale existit fundamentaliter in rebus singularibus; — ex his rebus intellectus noster directè et primariò illud universale abstrahit; sed, *indirectè* rem ipsam singularem attingere potest. Ex. gr., directè concipimus quid sit homo in genere; deindè, per reflexionem judicamus Socratem esse hominem.

Præter ea, de quibus dictum est, alia quamplurima dignoscimus; nempè, quidquid *inducitur*, vel *deducitur* ex his quæ objectum *proportionatum* intellectûs exhibent; quidquid etiam ritè per revelationem, aut auctoritatem legitimam *edocetur*, est objectum intellectûs nostri; videlicet, e contingentibus ad absolutum, e finitis ad infinitum et e rebus creatis ad Creatorem ascendere possumus. Animam humanam, Deum et ejus attributa gradatim assequimur; undè, scholastici communiter asserunt objectum *adæquatum* intellectûs quodammodò complecti *quidquid habet rationem entis, dùm nobis ritè proponatur*.

V. Quid est intellectus agens, seu vis abstractiva?

28. Quæstioni de naturâ intellectûs accedit celeberrima difficultas de intellectûs virtute, quam ipsi scholastici diverso sensu solverunt. Quæritur enim quodnam sit *medium*, seu virtus per quam objectum intellectûs realiter fit *actu intelligibile;* id est, veritas primariò non est nisi tantùm in potentiâ respectu hominis; quomodò igitur quasi nuda et aperta oculis nostris effici possit. De illâ quæstione, difficillimâ quidem, auctores « maximo animorum æstu inter sese digladiati sunt, » inquit Sanseverino. Alii docent objectum proportionatum et immediatum intellectûs non esse rerum materialium essentiam, sed Ens absolutum et infinitum; undè, in ipso *lumine divino et increato* mens humana veritatem immediatè percipit. Alii verò quemdam intellectum separatum, vel *rationem impersonalem* et omnibus communem admittunt; ità ut facultas seu lumen quod res efficit intelligibiles, existat extrà mentem humanam. Nonnulli spiritualistæ præter intellectum agnoscunt facultatem altioris ordinis, quæ veritatem transcendentalem, ut aiunt, a priori concipit et *ratio pura* dicitur.

Scholastici tandem ex unâ parte propugnant, adversùs Ontologistas et Neoplatonicos, hominibus inesse quamdam virtutem, cujus operatione naturali rerum essentiæ fiunt actu intelligibiles; ex alterâ parte, rationem puram, in sensu Kantistarum, rejiciunt. Sed utrùm sit duplex intellectus, an non, scinduntur inter se : Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus et alii quamplurimi docent duplicem esse intellectûs *virtutem;* undè, intellectus dicitur *agens* aut *possibilis*.

Hæc ultima sententia præ cæteris admittenda videtur, ut patet ex ipsius intellectûs agentis definitione; videlicet, intellectus *agens*, qui dicitur etiam vis « *illuminativa*, »

est, *animæ virtus abstractiva, per quam essentia rerum sensibilium fit actu intelligibilis.* Dicitur *animæ* facultas aut virtus; nempè, non est ipsum lumen divinum, nec intellectus separatus, nec ratio impersonalis; sed existit in ipsamet animâ. Est facultas « innata, » « potentia » naturalis, lumen « participatum, » seu virtus, quæ per *abstractionem* simplicem, aut per compositionem et divisionem, objectum intellectui proportionatum, scilicet *essentiam rerum sensibilium* exuit e materiæ proprietatibus individuis, eamque detegens et illuminans, efficit *actu intelligibilem;* videlicet habetur ut medium, quo veritas, omni proprietate materiali et particulari exuta, fit animæ præsens, et tanquam universalis cognosci potest.

PROPOSITIO.

Vis abstractiva seu intellectus agens requiritur.

Probatur. — Universalia primariò non existunt in rebus singularibus nisi fundamentaliter, ut dictum est in Logicâ (n. 114); quapropter, relativè ad hominem, universalia non sunt in *actu*, sed in *potentiâ* solùm intelligibilia. Porrò, nihil e potentiâ transit ad actum nisi mediante quadam virtute; requiritur igitur aliqua virtus ut universalia fieri possint actualiter intelligibilia. Atqui, virtus hujusmodi non existit extrà mentem humanam, ut experientiâ constat; ergò, virtus naturalis, id est intellectus agens, per quem universalia fiunt actu intelligibilia, singulis hominibus inesse debet : « Oportet igitur, ait sanctus Thomas, ponere aliquam virtutem ex parte intellectûs, quæ faciat intelligibilia in actu, per abstractionem specierum a conditionibus (seu qualitatibus) materialibus. Et hæc est necessitas ponendi intellectum agentem (*Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 3). »

Prætereà, illud est certum, quod experientiâ probatur. Sed, omnes conscii sumus vim quamdam nobis inesse, cujus auxilio e cognitione singulari ad cognitionem generalem assurgimus; v. gr. e perceptione rei *coloratæ* notionem *coloris* assequimur. Inest igitur homini vis quædam abstractiva, quæ dici potest intellectus agens.

VI. Quid est intellectus possibilis, seu vis perceptiva?

29. Animæ virtus abstractiva cognitionem sensuum elaborat et *intelligibilem* efficit; sed requiritur altera virtus, quæ, istam cognitionem elaboratam accipiens et intelligens, verbum mentis concipiat et ità cognitionem propriè dictam perficiat. Illa dicitur intellectus *possibilis*, qui rectè definiri potest : ea *virtus*, per quam res *intelligibiles agnoscuntur* et *perficitur cognitio*.

Illius virtutis ope dignoscuntur essentiæ rerum *intelligibiles*, et sic intellectus possibilis quodammodò differt ab intellectu agente : hic enim cognitionem intelligibilem facit; ille verò cognoscit eamdem cognitionem jam intelligibilem effectam. Additur *cognitionem* hominis in statu vitæ præsentis per hanc facultatem perfici; reverà, nullam altiorem potentiam cognoscitivam assignant auctores, qui, duce sancto Thomâ, Psychologiæ studuerunt : « Intellectus possibilis, ait sanctus Doctor, est quo hic homo *formaliter* intelligit (*De animâ*, p. III, l. 8). »

Nonnulli contendunt intellectum possibilem esse juxtà scholasticos meram possibilitatem; sed in hoc longè a verò recedunt; nam, illa facultas dicitur possibilis, quià primariò cognoscit tantùm *in potentiâ;* nempè, veritatem propriâ virtute cognoscere potest, secundùm ea sancti Doctoris : « In principio sumus intelligentes solùm in potentiâ, postmodùm autem efficimur intelligentes in actu (*Sum. Theol.*, I, q. 79, a. 2). »

Alii verò, post Platonem, Cartesium et Leibnitzium, docentes intellectum essentialiter actu cogitare, necessitatem intellectûs possibilis rejiciunt. Ontologismi fautores, præcipuè Malebranchius et Gioberti, aliique recentes non pauci intellectum possibilem ut rem futilem et inutilem habendum esse putant.

Sed adversùs eos, existentia intellectûs possibilis asseritur; nam, experientiâ constat animam esse tantùm in potentiâ respectu veritatis intelligibilis; porrò, ut e potentiâ transire possit ad actum, virtute quadam indiget, ut dictum est suprà; ergò, requiritur virtus, per quam anima essentias rerum actu cognoscere possit; illudque principium meritò dicitur *intellectus possibilis*. Aliundè, ut conscientia testatur, inest nobis virtus naturalis, quâ verbum mentis concipimus et cognitionem nostram perficimus; porrò, virtus illa nihil est, nisi intellectus possibilis, seu vis intelligendi rerum essentiam; ergò, existit intellectus possibilis.

VII. Loquere de quæstionibus inter auctores agitatis.

(* 30. Intellectus propriâ virtute objectum suum comparare potest, et illa virtus diversis operationibus exercetur, ut dictum est in Logicâ; tales sunt apprehensio, attentio, reflexio, analogia, abstractio, comparatio, synthesis, generalisatio, judicium, ratiocinium. Intellectus operationes suas cognoscit; existentiam Entis Infiniti, Absoluti, Necessarii et Immutabilis ratiocinando demonstrat; principia logicæ et regulas morum assequitur; necnon præteritas cognitiones revocat. Hinc, gravissimæ quæstiones exortæ sunt inter philosophos, quorum multi, post Cartesium, Reidium et Kantium, falsa docuerunt. In præsenti tractatu necessaria solùm aut utilia recensere sufficiat.

Prima quæstio : utrùm *conscientia* sit facultas ab intellectu distincta?

Circà præsentem difficultatem, scinduntur inter se philosophi. Cartesius per conscientiam nihil probabilius intellexit nisi *factum* cogitationis, nempè *cogito*. Reidius autem conscientiam ad vires intellectivas retulit, sed asseruit illam esse *specialem* facultatem, cujus ope phænomena sive sensationis, sive intellectionis percipimus; illumque philosophum multi recentiores secuti sunt.

Scholastici verò, ut dictum est, unà voce docent hominibus inesse facultatem, per quam phænomena modo sensibili experta cognoscimus; sed eamdem potentiam, quæ vocatur sensus communis, ad partem sensitivam animæ, non autem ad intellectum referunt. Aliundè, secundùm eosdem philosophos, *conscientia* seu reflexio in intellectu comperitur, sed non est facultas distincta; definiri solet, *operatio* per quam intellectus cognoscit *se intelligere*. Vocatur conscientia *psychologica*, ut distingui possit a conscientiâ *morali*, quâ fit applicatio legum moralium actibus humanis in particulari. Ea etiam conscientia moralis non est facultas, sed tantummodò judicium intellectûs practicum.

Conscientia psychologica, de quâ solùm agitur in præsenti quæstione, non est etiam potentia specialis ab intellectu differens; nam, facultates per actus et actus per objecta specificantur, ut alibi dictum est; sed, objectum circà quod versatur conscientia non est *formaliter* distinctum ab objecto, quod apprehendit intellectus; ergò, conscientia discriminari nequit ab intellectu cujus est operatio, seu functio naturalis (Cf. *Logic.*, n. 184-187).

Secunda quæstio : utrùm apprehensio judicium antecedat; et in quo reponenda sit essentia judicii?

Non desunt philosophi, qui sentiant esse judicia *primigenia* et *instinctiva*, quorum enuntiatio præcedit simplicem apprehensionem, aut ab illâ non distinguitur; eaque judicia non supponunt comparationem inter ideas, sed vi instinctûs naturalis proferuntur ab hominibus, et etiam quodammodò cæteris animalibus saltem perfectissimis inesse debent.

Ea sententia, quam apud recentes propugnârunt Reid, Cou-

sin, Damiron, scepticismo et idealismo viam aperit. Etenim, judicia primigenia non comparantur intellectûs labore, sed instinctu *cæco* pronuntiantur, nec *experientium* nisi tantùm ut occasionem accidentalem supponunt (1). Sed, ex unâ parte, *certitudo* judiciorum ab instinctu *cæco* repeti non potest; et, ex alterâ parte, sensationis auxilium necessarium est in comparatione scientiarum. Undè, sententia quorumdam recentiorum de naturâ judicii scepticismo et idealismo viam aperit.

Aliundè, Reidii sententia rationi contradicit; evidens est enim apprehensionem priorem esse judicio; scilicet, intellectus primò notitias rerum apprehendit; deindè, notitias inter se comparat et tandem pronuntiat de earum convenientiâ seu discrepantiâ; undè, sic argumentari licet : ea mentis operatio, per quam simplices rerum notitias acquirimus, antecedit actum, cujus ope dignoscimus notitiarum convenientiam aut discrepantiam; atqui, notitiæ simplices apprehensione comparantur; ergò, judicium subsequitur apprehensionem.

Ex his infertur judicium ut actum a perceptione differre; sed quænam sit illius essentia, scilicet in quo judicium essentialiter ab apprehensione discriminari possit, inter philosophos controvertitur. Juxtà Lockianos, essentia judicii reponitur in ipsâ comparatione notitiarum de quibus pronuntiat intellectus; sed contrà, judicium comparationem supponit ut medium requisitum, solâ autem *affirmatione* vel *negatione* perficitur; undè, cum Thomistis essentiam judicii reponimus in *affirmatione* aut *negatione* de convenientiâ vel discrepantiâ notitiarum, quæ inter se conferuntur; ut in illis : homo *est* animal, planta *non est* equus, copula *est, non est,* exprimit naturam judicii. Undè, patet error Cartesii, dicentis omne judicium actu voluntatis elici, aut etiam omne judicium esse voluntatis actum; etenim,

(1) « Le jugement et l'idée sont une seule et même chose, ait Damiron, un seul et même fait, dans lequel deux circonstances, celle de voir et celle de croire, sont plus particulièrement marquées, la première dans l'idée et la seconde dans le jugement. Juger, c'est avoir une idée; avoir une idée, c'est juger. » *Logique*, p. 34. — Item quoad sensum Rosmini.

judicium consistit in ipsâ negatione aut affirmatione, videlicet illius objectum est *veritas : bonitas* autem per voluntatem appetitur; sed, facultates, quarum objecta specificè differunt, inter se discriminari debent; ergò, judicium et voluntas a se invicem distinguuntur.

Tertia quæstio : utrùm *ratio* sit facultas ab intellectu distincta?

Apprehensio simplices rerum notitias comparat et de illis notitiis pronuntiat judicium, quibus accedit alia mentis operatio, per quam de judiciis ultimò disserimus, ut ex illis ad alia minùs nota vel penitùs ignota deveniamus. Hæc operatio ratiocinium, ratiocinatio, seu *ratio* dicitur.

Cùm antiqui tùm recentes philosophi erraverunt circà naturam rationis et illius ab intellectu differentiam. Materialistæ, positivistæ et sensistæ rationem omninò rejiciunt aut saltem deprimere connituntur; alii verò, regnum naturæ molientes, rationem ab intellectu divino nequaquam differre pròpugnant; vel admittunt intellectum quemdam separatum et communem, ut jam suprà dictum est; alii tandem rationem *puram* ab intellectu, necnon rationem speculativam a ratione practicâ discriminandam esse contendunt.

Scholastici verò plerique, duce sancto Thomâ, duplicem intellectum, agentem et possibilem, distinguendum esse sentiunt; sed, juxtà eos, *ratio* tùm superior tùm inferior, sive speculativa sive practica, non est facultas ab intellectu distincta; habetur autem ut specialis ejus operatio. Quod sic demonstratur. Intellectus agens ab intellectu possibili differt, ut vidimus; nam, illæ vires animæ versantur circà objecta *formaliter* distincta; nempè, intellectus agens essentias rerum intelligibiles efficit, dùm intellectus possibilis eas jam intelligibiles effectas agnoscit. Sed, ratio superior aut inferior, speculativa vel practica, non versatur circà objectum *formaliter* distinctum, ens enim *intelligibile* sub diverso tantùm respectu consideratum aspicit; ergò, non est potentia, sed solùm intellectûs operatio (S. Thomas, *Sum. Theol.*, q. 79, a. 9).

Item, dicente sancto Doctore, ratio *superior* et ratio *inferior*

non sunt diversæ potentiæ; per rationem inferiorem, quæ tempore præcedit exercitium rationis superioris, veritatem contemplamur in rebus *finitis* et *contingentibus:* ratio superior veritatem ad principia *infinita* et *absoluta* reducit : « Ratio superior, ait sanctus Augustinus, est quæ intendit *æternis* conspiciendis, aut consulendis. Ratio vero inferior intendit *temporalibus* rebus (*De Trinit.,* c. VII). » Sit exemplum : ratio inferior detegit omne bonum, in creaturis existens, esse amandum; ratio superior, ad supremam boni notionem assurgens, comperit summè bonum esse summè amandum.

Relativè ad praxim, ratio dicitur merè *speculativa* vel *speculativo-practica*, aut *practica* simpliciter. Ratio merè speculativa veritatem inspicit, sine ullo ad praxim respectu : v. gr., quandò dicimus, *duo duoque dant quatuor*. Ratio speculativo-practica conspicit principia generalia, quibus actus nostri reguntur; ut si dicas, *non furaberis, non occides, non falsum testimonium dices*. Ratio practica simpliciter dictat quid sit hic et nunc agendum aut fugiendum; nempè, *crumenam Joannis furari, non est licitum; Petrus pejerat, falsa testificans adversùs Alexim* (1).

Ut hæc omnia faciliùs concipiantur, dicendum est quomodò, juxtà methodum analytico-syntheticam, intellectus procedat in diversis operationibus istis. Primariò quidem intellectus possibilis apprehendit veritates, intelligibiles effectas per abstractionem intellectûs agentis; — easque veritates *intuitivè* contemplatur in rebus finitis, contingentibus et mutabilibus; — posteà, *discursivè* tantùm et *inductionis* ope, veritates easdem in principiis

(1) Ratio speculativo-practica, quandò designat habitum principiorum quæ spectant ad praxim, vocatur *synderesis;* S. Thom., *loc. cit.,* a. 12. — Ratio speculativa principia generalia intendit; ratio practica judicium particulare enuntiat. « Intellectus speculativus est, qui quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem; practicus verò intellectus dicitur, qui hoc quod apprehendit, ordinat ad opus. » S. Thom., *ibidem,* a. 11. — Juxtà S. Doctorem, ratio speculativa et practica, superior et inferior, non sunt potentiæ diversæ, sed actus intellectûs; idem est dicendum de intelligentiâ; *loc. cit.,* a. 10, etc.

æternis, immutabilibus et necessariis considerat; ad rem S. Thomas : « Temporalia, inquit, et æterna comparantur ad cognitionem nostram, hoc modo quod unum eorum est medium ad cognoscendum alterum; nam secundùm viam *inventionis*, per res temporales in cognitionem devenimus æternorum, secundùm illud Apostoli : « Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur (*Sum. Theol.*, loc. cit., a. 9). »

Deindè verò, per *deductionem*, ad res temporales regredimur, ut eas inspiciamus et iterùm de illis judicemus : « In viâ verò judicii, addit S. Thomas, per æterna jam cognita de temporalibus judicamus; et secundùm rationes æternorum temporalia disponimus (*Ibidem*). » Sit exemplum : intellectus in rebus contingentibus intuetur notiones *effectûs* et *causæ;* — deindè, ratio inferior, ope discursûs, agnoscit nullum in rebus ipsis mutabilibus effectum esse sine causâ; — ratio verò superior inducit causam omnium primam esse Ens infinitum, immutabile, necessarium, nempè Deum; — posteaque varias deducimus consequentias sive morales sive scientificas; ex. gr., Deus est omnium contingentium Creator et Dominus; sed orbis terrarum est contingens; ergò, Deus est Creator et Dominus orbis terrarum.

Intellectus non solùm veritatem concipit diversis actibus, de quibus dictum est, sed etiam cognitiones præteritas revocat et iterùm cognoscit. Ea mentis operatio, cujus ope ideas olim habitas intellectus iterùm agnoscit, non est memoria sensitiva; hæc enim versatur circà phænomena rerum sensibilium; illa verò cognitiones rationis præteritas intendit, ideircò dicitur *memoria intellectiva* (1).

Ut experientiâ constat, existit memoria hujusmodi; nam, unusquisque nostrûm conscius est se multas ideas olim habitas

(1) « Memoria intellectiva est virtus propria entis rationalis, conservativa et reproductiva specierum intelligibilium; quapropter memoria intellectiva est elevata suprà ordinem memoriæ sensitivæ eâ ratione quâ intellectus suprà sensum elevatur. » Battaglinius, *Metaphysic.*

iterùm cognoscere; sed, illa recognitio fieri nequit nisi mediante memoriâ intellectivâ; ergò, certum est hominibus inesse memoriam intellectivam (S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 6).

Illa verò non est facultas distincta, sed tantùm intellectûs operatio; re quidem verâ, ejus objectum non est aliud quam objectum intellectûs, nempè veritas immaterialis et intelligibilis : « Memoria non est alia potentia ab intellectu, ait S. Thomas; ad rationem enim potentiæ passivæ pertinet conservare, sicut et recipere (*Ibidem*). »

Hinc, juxtà Thomistas, ad vitam rationalem duplex refertur munus facultatis cognoscitivæ, intellectus *agens* et intellectus *possibilis;* ejus auxilio et variis actibus, *ens* quatenùs *verum* assequi possumus; *ens* verò quatenùs *bonum* aliâ facultate prosequimur, videlicet *appetitu.* *)

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De facultatibus appetitivis.

VIII. Quæ sunt dicenda de facultatibus appetitivis?

31. Appetitus sensitivus subsequitur perceptionem sensuum; hujus objectum est *bonum sensibile;* et prout bonum illud est delectabile vel arduum, appetitus dicitur concupiscibilis aut irascibilis.

Cognitionem verò intellectualem sequitur appetitus *rationalis*, qui dicitur *voluntas*, secundùm illa sancti Doctoris : « Voluntas est appetitus quidam rationalis (*Sum. Theol.*, 1ª 2ᵉ, q. 8, a. 1). » Distinguitur ab instinctu seu appetitu *naturali;* nam, instinctus est illa propensio, quæ cognitionem omnem, etiam sensitivam, antecedere potest, et impellit ad illud, quod naturæ convenit; appetitus autem rationalis cognitionem supponit, et idcircò vocatur *elicitus.*

Item, voluntas secernitur ab appetitu sensitivo; hic

enim bonum sensibile, illa verò bonum rationale directè et e naturâ suâ consequitur; eâ de re, appetitus sensitivus dicitur facultas organica, voluntas autem facultas inorganica seu « hyperorganica » nuncupari solet. Prætereà, voluntas et intellectus specificè distinguuntur; quià, licet unum et idem objectum habeant, illud tamen apprehendunt sub *formâ* specificè diversâ; intellectus scilicet ens quatenùs *verum* attingit, et voluntas ens quatenùs *bonum* prosequitur (1).

Ex dictis, voluntas simpliciter definiri potest : *appetitus rationalis;* seu fusiùs : *facultas inorganica, bonum ratione cognitum prosequens.* Dicitur *facultas*, quià differt ab instinctu seu inclinatione merè naturali; est *inorganica*, videlicet animæ soli tanquam subjecto inhæret; *bonum* prosequitur, et ità distingui debet a potentiis cognoscitivis; bonum illud *ratione* cognitum est, nempè voluntas secernitur ab appetitu sensitivo.

De illâ nobiliori et præstantiori facultate quatuor potissimùm inquirere juvat; id est, 1°, quænam sit *radix* appetitùs rationalis; 2°, in quo reponatur ejus *objectum;* 3°, quotuplex illi *proprietas* inhæreat; et, 4°, tandem, quid sit *actus* voluntatis? Undè, sequens divisio :

Voluntatis { radix, objectum, proprietates, et actus.

(1) « Appetitus non est nisi *boni* : cujus ratio est, quià appetitus nihil aliud est quam quædam inclinatio appetentis in aliquid; nihil autem inclinatur nisi in aliquid simile et conveniens. Cum igitur omnis res, inquantùm est ens et substantia, sit quoddam bonum, necesse est ut omnis inclinatio sit in bonum. » S. Thom., *Sum. Theol.*, p. 1ª 2ᵃᵉ, q. 8, a. 1, c.

IX. Quæ est radix appetitûs rationalis seu voluntatis.

32. Scholastici secernunt triplicem voluntatis *radicem intrinsecam : remotam* seu *substantiam* animæ rationalis, *proximam* seu *cognitionem intellectûs;* et *immediatam* seu ipsam *voluntatum*, quæ cognitionem intellectûs sequitur. In eo sensu, intellectus dicitur radix voluntatis humanæ; voluntas enim *e naturâ suâ* et *directè* prosequitur bonum quod illi proponit intellectus; undè, *cognitio intellectualis* est *radix proxima* appetitûs rationalis (1).

Probatur. — Voluntas non est facultas cognoscitiva, sed appetitiva; facultas autem appetitiva quamdam cognitionem supponit, secundùm illud effatum : *ignoti nulla cupido*, seu *nil volitum quin præcognitum;* ergò, voluntas quamdam cognitionem necessariò supponit.

Insuper, ea facultas, ut experientiâ constat, bonum immateriale, spirituale, quin etiam absolutum *directè* et e naturâ suâ appetit; sed, bonum hujusmodi per intellectum solummodò dignoscitur; ergò, voluntas cognitionem intellectûs requirit tanquam radicem atque fundamentum.

Diximus, e naturâ suâ et directè prosequitur bonum ab intellectu perceptum; nam, indirectè, appetitus rationalis moveri potest a facultatibus ipsis *inferioribus;* aliundè, voluntatem movet *Deus* et adjuvat, ut videbitur in quæstione de influxu divino; sed radix intrinseca, directa et *proxima* hujus facultatis est intellectûs cognitio.

Instamus : illud dicitur radix voluntatis, per quod ab

(1) S. Thom., 1ª 2æ, q. 9, a. 1 : « Intellectus movet voluntatem, sicut præsentans ei objectum suum. » — « Voluntas potest in diversa ferri, quià ratio potest habere diversas conceptiones boni. » *Ibidem*, q. 17. Per radicem intelligitur causa libertatis intrinseca; subjectum verò libertatis est ipsa libertas.

appetitu sensitivo differt appetitus rationalis; sed, appetitus rationalis differt ab appetitu sensitivo, quià prosequitur bonum quatenùs ab intellectu cognitum; ergò, radix voluntatis est cognitio intellectiva (1).

X. Quod est objectum circà quod versatur appetitus rationalis.

33. Voluntas appetere potest *quidquid ipsi* proponitur ab *intellectu* sub *ratione boni.*

Hæc assertio e suprà dictis facilè demonstratur; nam, ex unâ parte, radix appetitûs rationalis est intellectûs cognitio; ex alterâ parte, voluntas nonnisi bonum apprehendit; undè, quidquid sub ratione boni proponitur ab intellectu, potest esse voluntatis objectum; et, e converso, quidquid proponitur sub ratione *mali,* fit objectum aversionis.

Dictum est, quidquid proponitur sub *ratione boni;* nam, bonum illud potest esse *reale* vel *apparens.* Dicitur reale, quoties in rebus ipsis existit, ut *Deus est bonus;* vocatur apparens, quùm intellectus id judicat bonum quod in se malum est : « Sub specie boni multi falluntur, » ait auctor quidam insignis (*De Imit. Christi,* III, 54).

(* Sed utrùm voluntatis objectum sit necessariò, saltem implicitè vel indirectè, bonum appetentis? Philosophi communiter

(1) Ad rem R. P. Liberatore scripsit : « L'homme doit avoir un double appétit; le sensitif et l'intellectif. Le premier dérive de l'animal; le second de sa différence spécifique comme animal raisonnable. L'un suit la perception sensible, l'autre le jugement de l'intelligence; l'un nous porte aux biens matériels et transitoires, l'autre nous élève aux biens spirituels et éternels. Par l'appétit sensitif, nous partageons la passion de la brute; par l'appétit intellectif, nous participons aux affections des anges, et nous devenons ainsi, une fois de plus, l'image de Dieu, par voie d'amour. » *Composé humain,* c. v, a. 7.

affirmativè respondent; et verò, sive objectum voluntatis sit bonum nostrum, sive sit bonum alterius, aut utrumque simul, sive amor sit concupiscentiæ, ut theologi dicunt, sive benevolentiæ, aut amicitiæ, semper et invictè bonum nostrum saltem implicitè vel indirectè quærimus, ut experientiâ compertum est.

Prætereà, bonum appetitur ut finis, et dicitur *volitum principale;* vel eligitur ut medium ad finem, et *volitum secundarium* nuncupari solet : « Si loquamur de voluntate secundùm quod nominat potentiam, ait sanctus Thomas, sic se extendit et ad finem et ad ea quæ sunt ad finem (*Sum. Theol.*, 2ª 2æ, q. 8, a. 2). » *)

XI. Quæ sunt proprietates appetitûs rationalis?

34. Bonum principale, nempè *felicitatem* ut sic sumptam voluntas necessariò appetit. Idem est dicendum de mediis ad finem necessariis; sic, in ordine naturali, vitam et sanitatem invictè diligimus. Media verò ad finem utilia tantùm aut *indifferentia liberè* prosequitur appetitus. Idcircò, distinguitur voluntas *necessaria* et voluntas *libera;* quæ non sunt duæ facultates distinctæ, sed tantummodò duplex proprietas et duplex functio ejusdem facultatis. Iterùm, duplex est libertas, nempè libertas a *coactione* seu immunitas a vinculo *extrinseco*, et libertas a *necessitate*, id est immunitas ab *intrinsecâ* determinatione; libertas a necessitate dicitur etiam libertas *indifferentiæ*, libertas *electionis*, *liberum arbitrium*, aut simpliciter *libertas.*

Libertas a necessitate, seu libertas electionis, triplex distinguitur : una *contradictionis* et *exercitii*, per quam e duobus contradictoriis unum vel alterum eligimus, ut legere *vel non* legere, ambulare *vel non* ambulare; alia *contrarietatis*, quæ potest e duobus contrariis unum aut alterum eligere, videlicet *amare* vel *odio* habere; tertia

specificationis, per quam unum e pluribus specie diversis eligimus, ex. gr., *legere* vel *ambulare*.

Jam evidens est *essentiam* veræ libertatis in *electione* voluntatis esse reponendam; nam, juxtà consuetam loquendi rationem, hic libertate fruitur, qui potest e duobus pluribusve unum aut alterum *eligere* : « Proprium liberi arbitrii est *electio*, inquit sanctus Thomas. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato : quod est *eligere;* » et etiam : « Liberum arbitrium nihil aliud est quam *vis electiva* (*Sum. Theol.*, p. I, q. 83, a. 2, 3, 4). »

XII. Utrùm homo libertate gaudet?

35. Inter philosophos, Stoïci veteres libertatem arbitrii rejecerunt; sæculo XVII° et sæculo XVIII°, Hobbes, Bayle, Helvetius, Lamettrie, cum aliis non paucis, libertatem solam a *coactione* admittendam esse docuerunt; ætate verò præsenti, *fatalistæ* cùm inter sensualistas, tùm inter idealistas pullulant. Juxtà illos, libertas civilis, politica, religiosa, moralis, non consistit in electione liberâ mediorum ad finem propositum, sed est immunitas ab omni vinculo *extrinseco*. Alii quamplurimi, v. gr., pantheistæ, dualistæ, libertatem *indirectè* rejiciunt. Crassior verò, paucis abhinc annis, error ubique grassatur, nempè, « *determinismus*. » Illius systematis patroni, libertatis nomen usurpant; sed voluntatem rejiciunt, aut eam æquiparant functionibus cerebri; quapropter, ut aiunt, homo circumstantiis et mediis exterioribus ad agendum aut non agendum, ut machinæ vel animalia, « *determinatur*. » Ecce verba eorum : « La volition est un phénomène actif de l'encéphale (Littré); » — « L'acte libre est le résultat de l'activité prépondérante de telle ou telle des fonctions cérébrales, autre que celle qui l'a em-

porté (*Id.*); » — « Les forces qui gouvernent l'homme sont semblables à celles qui gouvernent la nature (1); » — « La liberté est un mode de l'activité cérébrale (Littré); » et alia similia, quæ referri non possunt. Adversùs hos omnes, sit sequens

PROPOSITIO.

Homo libertate arbitrii fruitur.

Argumentum generale. — Libertatis existentia probatur *experientiâ*, *ratione*, *auctoritate* et *consectariis* sententiæ oppositæ. Ergò, certum est hominem libertate arbitrii gaudere.

Probatur *experientiâ*. — Id est verum, quod testimonio conscientiæ probatur. Porrò, conscientia testatur hominem esse liberum. Ergò, verum est hominem libertate arbitrii gaudere. — Major patet ex dictis in Logicâ (n. 186). — Minor etiam est evidens. — Nam, in multis liberè agimus; legere vel ambulare possumus; conscientiæ stimulum, commisso peccato, sæpiùs experimur; nobis autem gratulamur de bono patrato; sed, hæc omnia supponunt libertatem arbitrii; ergò, certum est hominibus inesse veram arbitrii libertatem.

Probatur *ratione*. — Ad libertatem in sensu definitionis acceptam, tria *requiruntur* et *sufficiunt* : ut voluntas *intrinsecè* non moveatur *necessariò* a *naturâ* ipsius animæ, nec ab *intellectu*, nec a *seipsâ*. Sed, hæc tria

(1) Taine, *Les philos. class. au* XIXe *siècle*. — « L'esprit est une machine aussi mathématiquement construite qu'une montre. L'impulsion donnée nous emporte; nous allons irrésistiblement dans la voie tracée et l'automate spirituel qui fait notre être ne s'arrête plus que pour se briser. » Taine, *Essais de critique*. « L'homme est sous les étreintes des tenailles de la nécessité. » Taine, *Le positivisme anglais*.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

certa sunt. Ergò, indubium est hominem esse liberum. Major patet ex dictis de radice voluntatis. Minor quoque est evidens. *Natura* enim non impellit necessariò, nisi tantùm ad ea, quæ sunt necessaria; *intellectus* multa proponit voluntati ut merè accidentalia; *voluntas* etiam non fertur ex necessitate in ea, quæ sunt ad finem suum indifferentia. Ergò, voluntas libertate arbitrii gaudet. Idem argumentum sic evolvitur apud sanctum Thomam. — Liberum arbitrium, non fertur ad bonum principale, nec ad media necessaria, sed tantùm ad res particulares, quæ judicantur ab intellectu tanquam accidentales respectu felicitatis; atqui, voluntas bona hujusmodi nequit appetere vi naturæ et ex necessitate; ergò, illa prosequitur electione liberâ : Objecta particularia operationum nostrarum, inquit sanctus Doctor, « sunt quædam contingentia; et ideò circà ea judicium rationis ad diversa se habet, et non est determinatum ad unum. Et pro tanto necesse est quod homo sit liberi arbitrii ex hoc ipso quod rationalis est (q. 83, a. 1, etc.); » voluntas enim sequitur intellectum.

Probatur *auctoritate*. — Apud omnes homines omnesque populos libertatis notio viget. Item, ferè omnes philosophi, si excipiuntur fatalistæ et recentes determinismi fautores, eamdem libertatem agnoscunt. Sed, consensus hominum in re hujus momenti est infallibilis; libertate quidem sublatâ, corruit omnis moralitas. Ergò, libertatis existentia probatur ex auctoritate. Ecclesia tandem solemni judicio damnavit eos, qui liberum arbitrium, non sine magno animarum damno, negare volebant : « Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique a Satanâ invectum in Ecclesiam; anathema sit (*Concil. Trident.*). »

Ergò, divina revelatio, una cum ratione, existentiam libertatis indifferentiæ commonstrat.

Probatur e lugendis determinismi *consequentiis.* — Libertate semel rejectâ, jam omnis moralitas corruit; « frustrà sunt consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia et pœnæ; » virtus et vitium, bonum et malum, justum et injustum inter se distingui non possunt; imaque societatis humanæ fundamenta diruuntur, ut evidens est. Sed, talia consectaria jure meritòque dicuntur absurda et nefanda. Necesse est igitur voluntatem humanam verà libertate arbitrii gaudere. Ergò, stat propositio.

XIII. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 36. Obj. Illa propositio est saltem dubia, quæ nec *experientiâ*, nec *ratione* probatur; atqui, talis est propositio de libertate; ergò, habenda est saltem ut dubia.

Resp. *Transeat major. Nego minorem,* propter rationes allatas.

Inst. *experientiâ.* — Conscientia percipit tantùm actus nostros, sed non facultatem ex quâ procedunt; porrò, libertas est facultatis proprietas; ergò, conscientia non percipit existentiam libertatis.

Resp. *Distinguo majorem :* conscientia percipit tantùm actus nostros, *primariò, concedo; secundariò, nego. Concedo minorem,* et *distinguo consequens* in sensu majoris. Nam, ut vidimus in Logicâ (n. 185), affectiones animæ et facta quælibet in nobis actualiter existentia cognoscuntur *primariò* et *directè* testimonio conscientiæ et sensûs communis. *Indirectè* autem et *secundariò,* conscientia aut etiam sensus communis testatur *existentiam subjecti*, quod affectiones hujusmodi producit aut in se recipit. Sic, ille, qui videt imaginem in speculo, videt et ipsum speculum. Undè, conscientia, percipiens affectiones aut facta, quæ a nullâ necessitate *intrinsecâ* procedunt, percipit etiam subjectum, quod est immune a quolibet vinculo *intrinseco* et *liberè* operatur.

Inst. ex *ratione.* — Facultas, quæ necessariò movetur ab aliâ

facultate, non est libera; sed, voluntas sequitur semper ultimum judicium rationis practicum; ergò, voluntas non est libera.

Resp. *Concedo majorem. Distinguo minorem :* voluntas sequitur semper ultimum judicium rationis practicum, *liberè, concedo; necessariò, nego.* Undè, *nego consequens.* Ad solutionem hujus difficultatis nonnulla sunt dicenda. 1°, Exercitium voluntatis præceditur ab exercitio intellectûs, ut dictum est; sed ipse intellectus a voluntate movetur; undè, mutua est dependentia intellectûs et voluntatis : videlicet, intellectus præbet voluntati objectum cognitum, et movet eam « *quoad specificationem,* » eò quod actus speciem habet ex objecto; voluntas autem intellectum applicat ad actionem, vel ab actione retrahit, et ità movet eum « *quoad exercitium actûs* , » ut aiunt. 2°, Voluntas non determinatur *necessariò* ab ultimo judicio rationis practico; nam, intellectus non movet voluntatem nisi *objectivè* et « *formaliter,* » in quantùm ei proponit bonum faciendum aut malum fugiendum; sed, objectum, de quo agitur in præsenti quæstione, non est aliquid necessarium; ergò, voluntas non movetur necessariò ab intellectu tale objectum proponente. 3°, Ex unâ parte, voluntas non determinatur necessariò ab objecto, quod intellectus illi proponit; ex alterâ parte, intellectum retrahere potest ab uno objecto et ad aliud applicare; ideò, etiamsi semper sequatur *in agendo* ultimum judicium practicum, non agit *necessario,* quià, *si vellet,* posset *non agere,* aut intellectum *ad aliud objectum* applicare. Undè, voluntatis libertas non impeditur ab intellectûs exercitio.

Inst. 3°, Objectum propositum a sensibus appetitum sensitivum necessariò movet; sed, paritas existit inter appetitum sensitivum et appetitum rationalem; ergò, objectum propositum ab intellectu voluntatem necessariò movet.

Resp. *Concedo majorem. Nego minorem* et *consequens.* Nulla est enim *paritas* inter appetitum sensitivum et appetitum rationalem; nam, ut ait sanctus Thomas, sensus non percipit diversa et opposita « sicut ratio, » sed « simpliciter aliquid *unum* apprehendit; » et proindè, « secundùm illud unum determinatè movet appetitum sensitivum. » Ratio autem apprehendit diversa et

oppositа; eapropter, « ex pluribus moveri potest appetitus intellectivus, scilicet voluntas, et non ex unâ ex necessitate (*Sum. Theol.*, p. I, q. 82, a. 2, ad 3^um^). »

XIV. Qui sunt actus voluntatis?

(* 37. Naturam, radicem, objectum et proprietates voluntatis inspeximus; nunc de præcipuis illius actibus pauca recensere sufficit; nam eadem quæstio fusiùs evolvitur in Ethicâ et in Theologiâ.

Latissimo sensu, actus nostri vocari possunt actus *hominis*, videlicet exercitium cujuslibet facultatis etiam compositi, seu conjuncti; v. gr., *sentire*. Actus autem voluntatis sunt actus *humani* propriè dicti, et vocantur *morales* vel *non morales;* actus humani non morales procedunt e voluntate necessariâ; actus verò morales procedunt e voluntate *liberâ*.

Actus moralis supponit cognitionem intellectûs ut *radicem*, electionem voluntatis ut fundamentum « *imputabilitatis*, » et conformitatem cum lege æternâ tanquam rationem constitutivam et *essentialem*.

Ex his apparet quænam sint elementa omnis actûs liberi; nempè, cognitio et intentio finis ultimi, consilium aut deliberatio, electio et executio. Undè, veram notionem moralitatis evertunt philosophi recentes, qui libertatem maximè reponunt in eâ spontaneitate voluntatis, quæ vocari solet motus *primo-primus* (1); spontaneitas enim præcedit intellectûs cognitionem; cognitionem verò sequitur electio propriè dicta.

Hinc tandem facilè concipitur quid intelligant auctores per *voluntarium* et *involuntarium*, voluntarium *elicitum* et *impe-*

(1) Cousin, Saisset, Damiron. Juxtà eos, omne animal libertate gaudet : « La brute n'est pas *libre* autant que l'homme, mais elle l'est *comme* l'homme, elle l'est en proportion de tout le reste de ses facultés. » Damiron, *Psychol.*, l. II, c. II. Aliundè, libertatem in ipsâ spontaneitate collocant; sed, bruta non secùs ac homines eâ spontaneitate gaudent; ergò, brutorum moralitas non differt a moralitate hominum. Hanc conclusionem respuunt; sed legitimè deducitur ex illorum principiis.

ratum. Voluntarium procedit a voluntate cum cognitione intellectùs, ut amare Deum; involuntarium autem non pendet a voluntate, ut est includi in carcere; actus elicitus ad voluntatem directè pertinet et ab eâ exercetur immediatè, v. gr., eligere, consentire; actus verò imperatus ab aliâ facultate perficitur, jubente ipsâ voluntate, ex. gr., castigare corpus ad pœnitentiam.

Voluntas *sic sumpta* meritò dicitur omnium facultatum altissima et nobilissima; nam, ad illam ordinantur aliæ velut ad principalem; in eâ quoque charitas ergà Deum et proximum, amor et amicitia, tanquam in subjecto proximo reponuntur; ità ut homo, ad imaginem Dei invisibilis, eligere, velle, diligere possit. *)

XV. Quid ex dictis infertur de amore et odio, necnon de corde?

(*38. Quemadmodùm e facultatibus cognoscitivis oriuntur *ideæ*, quæ scientiarum omnium elementa constituunt, ità per appetitum gignitur *amor*, ad quem referuntur omnes motus aut effectus appetitionis.

De amore tria recenseri debent; scilicet :

Amoris { natura et elementa, / species diversæ, / influxus in passiones.

Deindè dicemus quid sit *cor* hominis, et quomodò dominium in actus nostros exerceat. Ultimò tandem pauca de recentiorum erroribus addere juvabit.

1°, De amoris *naturâ* et *elementis*. — Latissimo sensu, amor est *appetitio boni;* sic vocatur a Polmano : « Unio appetitùs ad aliquid conveniens. » Sensu strictè philosophico, definiri potest : *unio voluntatis affectiva cum bono cognito*. Dicitur *unio*, quià verus amor existere nequit sine quadam unione cum objecto : « La vraye essence de l'amour, ait S. Franciscus Salesius, consiste au mouvement et escoulement du cœur, qui

suit immédiatement la complaysance, et se termine à *l'unyon* (1). »

Amor est unio *voluntatis*, nam voluntas est ea facultas, per quam anima bonum prosequitur, dùm veritas ope intellectûs innotescit. Ea voluntatis unio nuncupatur *affectiva* duplici sensu : primò quidem, omnis amor quamdam animæ complacentiam et delectationem importat (2); secundò, in vitâ præsenti, sæpiùs amor est tantum *affectivus*, et suum objectum *effectivè* non attingit; hic amor, tantùm inchoatus, vocatur *desiderium* (3). Amor est unio voluntatis affectiva cum *bono cognito;* bonum enim cognitum, ut vidimus, est objectum appetitûs. Bonum hujusmodi quandoque solùm est apparens; sed cum amante quamdam *convenientiam* habere debet (4).

Ex ea definitione facilè deducitur quænam sint amoris elementa constitutiva. Sanctus Franciscus, alios auctores in hac materiâ præcellens, quinque partes designat in amore, dicens : « L'amour... est comme un bel arbre, duquel la racine est la *con-*

(1) *Traité de l'amour de Dieu,* lib. I, c. VII. Ea unio multiplici sensu concipi potest; sed, in amore propriè dicto, sub uno aliove respectu semper invenitur. In hoc consentiunt philosophia et theologia; Cf. S. Thomam, *Sum. Theol.,* p. 2ª 2æ, q. 24, a. 9 : Tertius charitatis gradus, ait, « est ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat, et eo fruatur. » Suarez, *De charitate;* Billuart, *De charitate.* — « L'amour est une passion de s'unir à quelque chose. » Bossuet, *Connaiss. de Dieu et de soi-même,* c. I, n. 6.

(2) S. Franciscus Salesius, *ibidem :* « Le mouvement causé par la complaysance dure jusques à l'unyon ou *jouyssance.* »

(3) « Quand le bien, devers lequel le cœur s'est retourné, incliné et esmeu, se trouve esloigné, absent ou futur, ou que l'unyon ne se peut pas encore faire si parfaictement qu'on prétend, alors le mouvement d'amour, par lequel le cœur tend, s'advance et aspire à cest objet absent, s'appelle proprement *désir.* » S. Francisc., *loc. cit.*

(4) « C'est l'homme, qui par la faculté affective, que nous appelons volonté, tend et se complayst au bien, et qui a ceste grande convenance avec iceluy, laquelle est la source et l'origine de l'amour. » *Ibidem,* lib. I, c. VIII.

venance de la volonté au bien; le pied en est la *complaysance;* sa tige, c'est le *mouvant;* les *recherches*, poursuites et autres efforts, en sont les branches; mais *l'unyon* et jouyssance est le fruict. Ainsi l'amour semble estre composé de ces cinq principales parties, sous lesquelles une quantité d'autres petites pièces sont contenues (c. VII). » Si verò quæremus amoris elementa constitutiva, tria tantùm inveniemus, *cognitionem, volitionem* et *fruitionem :* cognitio, per quam objecti bonitas et convenientia dignoscuntur, est quasi *radix* proxima amoris, volitio tanquam causa determinans et *efficiens* habetur, et fruitio est ejusdem amoris *consummátio.*

2°, De diversis *speciebus* amoris. — Amor in genere dividi potest in *sensualem et spiritualem*, vel in *naturalem* et *supernaturalem;* divisio verò communior est ea, quæ, ratione objecti *formalis*, amorem distinguit in amorem *concupiscentiæ*, *benevolentiæ* et *amicitiæ*. Amor concupiscentiæ dicitur, per quem appetimus bonum, quatenùs est bonum nostrum; ex. gr., Deum amare, quià merces nostra erit in cœlo. Per amorem benevolentiæ, bonum amamus quatenùs *in se* bonum et amabile; sic, amare Deum ut summè perfectum. In amore tandem amicitiæ diligimus amicum, non solùm ut bonum in se, verùm etiam quià nos amantes redamat (1). « Ad rationem amicitiæ, ait S. Thomas, requiritur quædam mutua amatio, quià amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliquà communicatione. Cum ergò sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundùm quod nobis suam beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari (*Sum. Theol.*, 2ª 2æ, q. 23, a. 1). »

Inter se disceptant auctores utrùm omnis amor, in statu vitæ

(1) « L'amour de convoitise est celuy par lequel nous aymons quelque chose pour le profict que nous en prétendons. » S. Francisc., *loc. cit.*, c. XIII. — « L'amour de bienveuillance est celuy par lequel nous aymons quelque chose pour le bien d'icelle. » *Ibidem.* — S. Thom., *De charitate;* Suarez, *De charitate.* Quidam auctores amorem dividunt in amorem *purum* seu complacentiæ, *egoisticum* seu concupiscentiæ, et *socialem* seu benevolentiæ.

præsentis, quamdam saltem implicitè concupiscentiam involvat. *Habitus* quidem amoris benevolentiæ, concupiscentiam omnem excludens, humanæ naturæ repugnat; *actus* autem amoris hujusmodi non est impossibilis.

3°, De amoris *influxu* in passiones. — Ex appetitione boni prodeunt diversi motus animæ, qui dicuntur *passiones;* undecim ordinariè numerantur a scholasticis, e quibus sex referri possunt ad appetitum concupiscibilem, qui bonum *delectabile* prosequitur, et quinque tantùm respiciunt ad appetitum irascibilem, qui bonum *arduum* intendit. Nempè :

SEX PASSIONES APPETITÛS CONCUPISCIBILIS :	QUINQUE PASSIONES APPETITÛS IRASCIBILIS :
Amor et odium,	Spes et timor,
Desiderium et fuga,	Desperatio et audacia,
Gaudium et tristitia.	Ira.

Illæ hominis passiones, ut diximus, referri possunt ad amorem, et ex eo tanquam e fonte communi oriuntur. Ad rem appositè scripsit Bossuetius : « Nous pouvons dire, si nous consultons ce qui se passe en nous-mêmes, que nos autres passions se rapportent au seul amour et qu'il les renferme ou les excite toutes. La haine de quelque objet ne vient que de l'amour qu'on a pour un autre. Je ne hais la maladie que parce que j'aime la santé. Je n'ai d'aversion pour quelqu'un que parce qu'il m'est un obstacle à posséder ce que j'aime. Le désir n'est qu'un amour qui s'étend au bien qu'il n'a pas, comme la joie est un amour qui s'attache au bien qu'il a. La fuite et la tristesse sont un amour qui s'éloigne du mal par lequel il est privé de son bien et qui s'en afflige. L'audace est un amour qui entreprend pour posséder l'objet aimé, ce qu'il y a de plus difficile, et la crainte un amour qui se voyant menacé de perdre ce qu'il recherche, est troublé de ce péril. L'espérance est un amour qui se flatte qu'il possédera l'objet aimé, et le désespoir est un amour désolé de ce qu'il s'en voit privé à jamais, ce qui cause un abattement dont on ne peut se relever. La colère est un amour irrité de ce

qu'on lui veut ôter son bien, et s'efforçant de le défendre. Enfin ôtez l'amour, il n'y a plus de passions, et posez l'amour, vous les faites naître toutes (*Connaiss. de Dieu et de soi-même*, c. I, n. 6). »

4° De *corde*. — Cor materiale dici solet sedes et organum amoris sensibilis omniumque passionum ex eodem amore dimanantium (1); « Cor est fons caloris, et principium sanguinis, et principium omnium motuum, rerum delectabilium et offensibilium (S. Ant. de Pad.). » Cor habetur etiam ut principium vitæ animalis, quod « citrà mortem est inviolabile (Hugo a S. Vict.); » ità ut, læso corde, mors necessariò sequatur. Eapropter, amor *metaphoricè* vocatur *cor*, et hoc sensu, cor et amor eodem modo definiri possunt. Quandoque verò cor designat fortitudinem, ut in exemplo sequenti : « Esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro, et civitate Dei nostri (*II Reg.*, x, 12). » Strictè sumptum, cor designat hanc *amoris egregiam dotem*, per quam ad *alios diligendum iisque benefaciendum* impellimur. In eo sensu dicitur vir generosæ indolis, aut gallicè, *homme de cœur*. Cor ità definitum, contrarium est egoismo, et exprimit amorem complacentiæ, vel amicitiæ; meritoque dici debet pars hominis nobilior et sublimior : « Parvum est cor, sed magna capit, ait Hugo a

(1) Cor non est organum amoris spiritualis; hæc igitur falsa sunt : « Le cœur est *l'organe de l'amour*. A peine né, avant même de mettre la main sur son front et de dire : Je pense; l'homme a mis la main sur son cœur, et il a dit : J'aime. Etait-ce inspiration de Dieu, sens intime, mouvement instinctif? Quoi qu'il en soit de cette première impression, on n'en est pas revenu depuis six mille ans. Prenez les plus grands génies de l'antiquité : Moïse, Job, David, Salomon, Isaïe; prenez Homère, Euripide, Théocrite, Ovide, Plaute; pour eux comme pour S. Augustin, le Dante, le Tasse, Shakespeare, Corneille, Bossuet, Racine; pour les auteurs sacrés comme pour les auteurs profanes, le cœur est le siége des grandes affections. (!) Il s'émeut dans le bonheur, il se contracte dans la tristesse; il bat plus fort et plus vite dans l'enthousiasme; il se brise quelquefois dans l'amour, comme ces instruments sonores qui éclatent sous la passion du grand artiste qui les touche. » Em. Bougaud, 1874, *Hist. de la bienheureuse Marguerite-Marie*, c. XVI. — « Ὃν περὶ Κῆρι φιλεῖ Ζεύς. » Hom., *Od.*, 244.

Sancto Victore; vix ad unius milvi refectionem sufficere potest, et totus mundus ei non sufficit (*De animâ*, III, c. xxxi). » Cor tandem aliquandò significat amorem præcipuum, seu passionem, quæ præest aliis. Amor ille dominium absolutum et imperium universale non solùm in passiones appetitûs, sed etiam in omnes animæ potentias exercet; sit ut exemplum homo, qui Deum amat super omnia, vel mater, quæ puerum suum diligit (1).

De recentiorum *erroribus*. — Auctores ævi præsentis, qui de amoris naturâ scripsêre, falsa vel incompleta sæpissimè docuerunt. Inter illos, Th. Jouffroy, qui spiritualitatem animæ semel ac iterùm in dubium revocavit, omnes motus seu passiones amoris ad sex reducere tentavit, scilicet ad « *dilatationem* (gaudium) et *contractionem* (tristitiam), *expansionem* (amorem) et *concentrationem* (odium), *attractionem* (desiderium) et *repulsionem* (aversionem). » Deindè, amorem divisit in *egoismum*, amorem *conjugalem* et *amicitiam* (*Mélanges*).

Hæc amoris theoria triplici vitio laborat; primò, non est completa, quia passiones appetitûs irascibilis non complectitur; secundò, saltem in terminis, sensualismo favere videtur; tertiò, veram passionum genesim non exhibet, amor enim et desiderium, id est, « expansio et attractio, » non gignuntur a « dilatatione » seu gaudio, sed amor omnes alias passiones quodammodò producit.

Crassius est positivistarum commentum; illi enim in amore nihil aliud quærunt nisi solam sensationem materialem et delectationem illi connexam. Ideò, juxtà sensualistas istos, tria constituunt amoris passiones : in actu sensationis *delectationem*

(1) « La volonté gouverne toutes les autres facultez de l'esprit humain, mais elle est gouvernée par son amour qui la rend telle qu'il est. Or entre tous les amour celuy de Dieu tient le *sceptre*, et a tellement l'authorité de commander inséparablement unie et propre à sa nature, que s'il n'est le maistre, incontinent il cesse d'estre et périt. » S. Franciscus Salesius, *Traité de l'amour de Dieu*, l. I, c. vi. — In eo sensu Scriptura Sacra dicit : « Ubi thesaurus vester est, ibi et *cor* vestrum erit. » S. Luc, xii, 34.

et gaudium experimur; hujus delectationis *imaginem* seu reminiscentiam servare nitimur; et easdem delectationes aliasve similes iterùm ac iterùm renovare cupimus.

Positivistæ organum amoris non in corde, sed in cerebro collocant, et fatentur intimam primamque causam passionum esse penitùs ignotam (1). Tale systema ad sensualismum, fatalismum et materialismum necessariò propellens, omnem moralitatem, familiam et societatem in imis fundamentis excutit. *)

ARTICULUS QUARTUS.

De vi motrici.

I. Quid dicendum de vi motrici?

(* 39. *Vis motrix*, quæ dicitur etiam « locomotiva, » motus secundùm locum, et potestas exsequendi, rectè definiri potest : *facultas organica*, per quam *anima corpus movere* potest.

Vocatur *facultas;* propterea, non est mera corporis proprietas, ut multi recentes opinantur; et simul ab essentiâ mentis humanæ, sicut aliæ facultates, distingui debet. Est facultas *organica*, videlicet illius subjectum est corpus et anima, nervisque motoribus utitur velut instrumentis ad suos actus exerendos.

Per vim motricem *anima corpus movet*, et his verbis ea facultas ab aliis discriminatur; non est enim cognoscitiva, nec appetitiva, sed *exsecutiva*. Itemque, vocibus istis declaratur animam esse vis motricis primarium principium, corpus autem haberi tanquam medium aut instrumentum merè passivum; undè, Cartesius, Malebranchius et Leibnitzius, influxum animæ in corpus humanum negantes, erraverunt.

(1) « Admettons que le sentiment *amour* corresponde à un mouvement en *spirale dextre* des molécules du *cerveau*, et le sentiment *haine* à un mouvement en spirale *sénestre*. Nous saurions donc que, quand nous aimons, le mouvement se produit dans une direction, et que, quand nous haïssons, il se produit dans une autre; mais le *pourquoi?* resterait encore sans réponse. » John Tyndall, *Les forces physiques et la pensée, Revue des cours scientifiques*, 1868-1869.

Haud dubium est vim motricem, in sensu præfatæ definitionis, hominibus inesse; quod sic probatur : motus locales ex unâ parte supponunt principium vivens et activum, scilicet animam, eò quod vitales sunt, fatentibus ipsis physiologis; ex alterâ parte, perficiuntur ope corporis, mediantibus nervis motoribus; sed, actus hujusmodi exerceri nequeunt nisi per facultatem organicam; ergò, existit in homine facultas organica, quæ vis motrix appellatur.

Insuper, homo res exteriores sæpiùs appetit; v. gr., cibum, indumentum et alia similia; sed, res istas exteriores assequi non valet nisi ope vis motricis; ergò, vi motrici indiget homo in vitâ præsenti : « Ad consequendum aliquod desideratum et intentum, ait sanctus Thomas, omne animal movetur; » undè, necessarium est « motivum secundùm locum, prout anima comparatur ad rem exteriorem sicut ad terminum operationis et motûs (*Sum. Theol.*, I, q. 78, a. 1). »

Vis motrix omnibus aliis facultatibus aliquo modo subest, et meritò vocatur potentia tribus vitæ gradibus communis; etenim, facultates vitæ vegetativæ, sensitivæ, pariter et rationalis, pluriès indigent objectis exterioribus, quæ per vim motricem solùm attinguntur; ex. gr., cibum quo nutriamur quærimus, amicum adimus ut illius præsentiâ fruamur, librum ad nos erudiendum aperimus. Æstimativa sensuum et intellectus suppeditant cognitionem objecti, quod exsequitur vis motrix; ea verò facultas voluntati potiùs obedit (1). *)

(1) « Tout le monde connaît l'empire exercé par la volonté sur le système musculaire, par rapport au mouvement du corps. On veut se promener, on se promène; on veut lever le bras, on le lève; on veut fermer les paupières, on les ferme. » R. P. Liberatore, *Le Composé humain*, c. v, a. 11. — (Cf. Aristot., *De generat. Anim.*, l. II, c. III.)

CAPUT TERTIUM.

DE ORIGINE IDEARUM.

I. Quomodo dividitur caput tertium, de origine idearum?

40. Ab *exercitio* facultatum procedunt *actus* nostri, ut *cognitiones* et *volitiones;* ex actibus autem gignuntur *habitus*, ut *scientia* et *amor*. Jam in Ontologiâ (n. 104) dictum est de habitibus; aliundè, in articulo præcedenti, nonnulla dicta sunt de amore. Undè, caput tertium erit tantummodò de *origine idearum* et dividetur in tres articulos : 1us, De systemate *scholastico;* 2us, De *aliis* systematibus; 3us, De *sermone*, quatenùs est idearum expressio.

ARTICULUS PRIMUS.

De systemate scholasticorum.

II. Quomodo articulus primus subdividi potest?

41. Aggredimur celeberrimam quæstionem de idearum origine, « cujus quanta sit gravitas, ait R. P. Tongiorgi, nemo non perspicit; quanta sit difficultas, perpetuæ philosophorum hac de re contentiones satis manifestant (*Psychol.*, l. III, c. IV, a. 1). » Articulus primus absolvitur duobus paragraphis : 1°, systema scholasticum exponendum est; 2°, illud systema probatur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Systema scholasticum exponitur.

III. Expone systema scholasticum, de idearum origine.

42. In expositione systematis scholasticorum de origine

idearum, quatuor sunt inspicienda : nempè, *vera notio cognitionis humanæ; objectum* cognitionis nostræ; *ordo* naturalis, quo procedunt facultates in cognitionibus assequendis; et *modus* secundùm quem cognitiones formantur in animâ.

IV. Quæ est vera notio cognitionis humanæ?

43. Latissimo sensu, vox ea *cognitio* designat omnes *conceptus* facultatum cognoscitivarum, sive partis *sensitivæ*, sive partis *intellectivæ;* sic sumpta, dividitur in cognitionem *sensibilium* et in cognitionem *intelligibilium* (S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 84-88). Cognitio intellectualis, nempè *conceptio simplex intellectûs*, est *elementum* in quo scientiæ omnes resolvuntur; vocari solet etiam *idea* propriè dicta seu *verbum* internum, quo res intellectuales concipiuntur; dicitur etiam *imago* seu « *species* » in mente, sine rebus ipsis, *impressa* (1) (Cf. *Logic.*, n. 20-22).

V. Quod est objectum cognitionis humanæ?

44. Ut systema scholasticum de idearum origine faciliùs intelligi possit, objectum *adæquatum* (Cf. n. 27) cognitionis ad triplicem classem est revocandum : ea, quæ per facultates in statu præsenti cognoscuntur, sive *immediatè*, sive *mediatè*, sunt vel *infrà* mentem humanam, vel *in ipsâ* mente, vel *suprà* mentem; secundùm illa sancti Doctoris : « Primò considerabitur quomodò anima intelligit corporalia, quæ sunt *infrà* ipsam. Secundò, quomodò intelligit se ipsam, et ea quæ *in ipsâ*

(1) His vocibus utuntur auctores : *Verbum* appellatur quoque *idea*, et *species impressa*, seu etiam *forma* rerum sine rebus ipsis in mente existens. — Ea memoriæ mandari debent ab iis, qui Theologiæ scholasticæ studere præsumunt.

sunt. Tertiò, quomodò intelligit substantias immateriales, quæ sunt *suprà* ipsam (*Ibidem*, q. 84). »

Infrà se, anima cognoscit *directè* per sensus qualitates singulares rerum materialium; abstractionis ope, notiones universales acquirit et rerum externarum *essentiam* attingere potest. *In se* verò, mens humana *reflexione* cognoscit actus suos; deindè ratiocinio ad propriæ *substantiæ* notitiam devenit; id est, « non per essentiam suam, sed per actum suum se cognoscit intellectus noster (*Loc. cit.*, q. 87, a. 1), » seu anima per operationes suas ad sui notitiam pervenit. *Suprà se*, mens humana, proficiscens e rebus finitis et contingentibus, ad agnitionem inadæquatam Entis Infiniti et Absoluti, nempè Dei, gradatim et diversis operationibus assurgit : « Deus non est primum quod a nobis cognoscitur, ait S. Doctor, sed magis per creaturas in Dei cognitionem pervenimus (q. 88, a. 3). »

VI. Quonam ordine procedit anima in cognitionibus assequendis?

45. 1°, *Primariò*, anima non est cognoscens *actu*, sed tantùm in *potentiâ;* id est, ope facultatum cognoscere potest, sed de facto realiter adhuc non cognoscit (S. Thom., q. 84, a. 3, et q. 79, a. 2). Undè, Sanctus Doctor concludit cum Aristotele nullam hominibus inesse « *speciem inditam*, » id est, *ideam innatam;* sed animam primariò esse tantùm in potentiâ « ad hujusmodi *species omnes* (1). » Prætereà, intellectus non accipit ideas uni-

(1) *Ibidem*, q. 84, a. 3. Utrùm anima intelligat omnia per species sibi naturaliter inditas. — Aristoteles, III *De animâ*, intellectum possibilem vocavit tabulam rasam (γραμματειον), in quâ nihil est scriptum; eâ de re, multi recentes scandalum passi sunt, et hunc philosophum sensistam esse decreverunt. Istâ verò comparatione Stagirita nihil exprimere

versales jam integrè formatas et a rebus ipsis singularibus distinctas, in sensu Platonis et realistarum (q. 84, a. 4). Aliundè, res immateriales « anima intellectiva » non cognoscit in Deo, seu « in rationibus æternis, » nisi tantùm mediatè et *causaliter;* videlicet, in eo sensu, quod Deus dedit homini *lumen naturale*, quo veritatem cognoscit. (1).

2°, Omnis cognitio aliquatenùs per *sensum incipit;* undè, sensus dicitur causa *initialis* omnium cognitionum; sensùs autem perceptio versatur circà proprietates corporum sensibiles et *singulares :* « Cognitio intellectiva, inquit S. Thomas, aliquo modo a sensitivâ primordium sumit. Et quià sensus est *singularium*, intellectus autem *universalium*, necesse est quod cognitio singularium, quoad nos, *prior* sit quam universalium cognitio (q. 85,

voluit nisi primitivum animæ statum respectu veritatis. — « Intellectus humanus... in principio est « *sicut* tabula rasa, in quâ nihil est scriptum, » ut Philosophus dicit. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 2.

(1) Ecce verba S. Thomæ : « Cùm quæritur utrùm anima humana in rationibus æternis omnia cognoscat, dicendum est quod aliquid in aliquo dicitur cognosci dupliciter. Uno modo, sicut in objecto cognito, sicut aliquis videt in speculo ea quorum imagines in speculo resultant; et hoc modo, in statu præsentis vitæ, anima non potest videre omnia in rationibus æternis; sed sic in rationibus æternis cognoscunt omnia beati, qui *Deum vident* et omnia in ipso. Alio modo dicitur aliquid cognosci in aliquo, sicut in cognitionis principio; sicut si dicamus quod in sole videntur ea quæ videntur *per solem;* et sic necesse est dicere quod anima humana omnia cognoscat in rationibus æternis, per quarum participationem omnia cognoscimus. Ipsum enim lumen intellectuale, quod est in nobis, nihil est aliud quam quædam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ (q. 84, a. 5). » Undè, sanctus Thomas nec *inditismum* seu systema idearum innatarum, nec *realismum*, nec *Ontologismum* propugnat, ut quidam immeritò contendunt.

a. 3). » Item Suarezius, et omnes Thomistæ docent « philosophiam incipere per sensum. »

Verumtamen, sensus respectu cognitionis intellectûs est tantùm causa *partialis :* « Non potest dici, ait Sanctus Doctor, quod sensibilis cognitio sit *totalis* et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodò est *matèria* causæ (q. 84, a. 6). » Scilicet, universalia per intellectum percepta non nisi fundamentum habent in rebus singularibus ; sed, *formaliter,* per virtutem nativam et abstractivam intellectûs concipiuntur ; ità ut intellectus cognoscat etiam « corpora cognitione immateriali, universali et necessaria (q. 84, a. 1). » In eo sensu verum est celeberrimum axioma, *nihil est in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu.*

3°, *Idea archetypa* existit in intellectu divino tanquam exemplar aut prototypum, secundùm quod Deus omnia condidit ; in rebus autem singularibus fundamentaliter et per modum *vestigii* reperiuntur universalia ; res enim omnes secundùm exemplaria divina sunt creatæ ; sed in intellectu nostro, qui ad *imaginem* Dei factus est, eadem universalia non existunt nisi tantùm in potentiâ. Item, in statu vitæ præsentis, intellectus noster universalia non conspiciens in Deo, sese convertit ad sensûs cognitionem, et, per diversos abstractionis gradus, omnes individui qualitates removet, suasque notitias concipit. Ideoque universalia concipiuntur intellectûs virtute, cum fundamento in rebus ipsis singularibus, ut dictum est in Logicâ ; videlicet, per sensum individua tantùm percipimus, ex. gr. unum et alterum animal, hominem et alia similia ; intellectus autem abstrahit et removet quidquid ad rationem individui spectat, universalemque notitiam animalis et hominis concipit.

Primariò, intellectus apprehendit id quod est magis

universale et magis commune. Eapropter, *idea generalis*, quæ, post abstractionem simplicissimam, immediatè, intuitivè et necessariò cadit in intellectu, et prima cognoscitur, est idea *entis*, cujus fundamentum reperitur in rebus individuis; quippè, το *esse* convenit iis omnibus, quæ per sensum percipiuntur. Quùm autem negatio entis sit *non ens*, intellectus illicò judicat oppositionem absolutam existere inter ens et non ens, *primumque principium* enuntiat; nempè : *quod est, est;* aut : *idem non potest esse simul et non esse.* Deindè, alia universalia comparantur, et ope ratiocinii nonnulla principia quæ vocantur semina seu « seminaria » scientiarum, innotescunt (1). Posteà, notiones *modi* et *substantiæ*, *generis* et *speciei*, *effectûs* et *causæ*, aliaque similia comparamus « ex contemplatione rerum temporalium et mutabilium, » ut ait Sanseverino. Mens autem humana, physicis rebus inspectis, variisque notitiis universalibus per abstractionem acquisitis, suprà seipsam reflectitur ut actus suos, facultates et propriam substantiam agnoscat (q. 85, a. 2).

4°, Illo ordine anima, in statu præsenti, res *infrà* seipsam et *in se* cognoscit. Quæritur autem quomodò notiones

(1) « L'homme commençant à connaître par les idées universelles, n'entre pas immédiatement en possession de toute la science dont il est capable. En vertu de ses premières idées, il prononce seulement des jugements d'évidence immédiate, qui se nomment *premiers principes*, parce qu'ils viennent d'une simple analyse et d'une comparaison d'idées, et non d'une déduction tirée de jugements antérieurs. Ainsi la notion d'être une fois acquise et confrontée avec son contraire, l'intellect voit l'absolue répugnance de l'un avec l'autre, et prononce : L'être et le néant sont inconciliables. Pareillement, la notion de substance et de cause une fois acquise et comparée avec l'idée d'accident et d'effet, l'intellect affirme que la substance est présupposée à l'accident, et la cause à l'effet qu'elle produit. » R. P. Liberatore, *Du composé humain*, c. v, a. 3, n. 216.

Entis Infiniti, Necessarii et Absoluti et tandem existentiam Dei, seu primæ veritatis *objectivæ*, comparare possit.

Ut dictum est, Deus omnia condidit secundùm ideas exemplares, quæ non distinguuntur ab Ipsius intellectu et essentiâ; quapropter, modo quidem finito sed reali, *vestigium* Entis summè Perfecti in rebus physicis, et *imaginem* in mente humanâ conspicimus. Undè, juxtà Thomistas, vestigium et imaginem Entis Infiniti primò speculamur in rebus finitis et contingentibus; deindè verò, per abstractionem omnium *limitum* aut imperfectionum, ad notiones ipsas Infiniti, Necessarii et Absoluti gradatim assurgimus. Prætereà, intellectus detegit relationes inter finitum et infinitum, contingens et absolutum, effectum et causam, causas secundas et primam causam. Itemque veritas, bonitas, pulchritudo, quæ percipiuntur in rebus finitis, de Ente absoluto, per analogiam et omni imperfectione remotâ, prædicantur.

Quoad *existentiam* primæ veritatis objectivæ, nempè *Dei*, ecce Thomistarum sententia : « Hæc propositio, *Deus est*, quantùm *in se* est, *per se* nota est, quià prædicatum est idem cum subjecto : Deus enim est suum *esse*..... Sed quià nos non scimus de Deo quid est, non est *nobis per se nota*, sed indiget demonstrari per ea quæ sunt magis nota quoad nos, et minùs nota quoad naturam, scilicet per effectus (*Sum. Theol.*, p. I, q. 2, a. 1). » — Intellectus igitur, quùm semel agnovit veritates de quibus dictum est suprà, Dei existentiam ope ratiocinii demonstrat, et hoc multiplici modo; v. gr., sic ratiocinari possumus : quidquid existit in mundo est finitum et contingens; sed, ens finitum et contingens, supponit *existentiam* Entis infiniti et absoluti; ergò, *existit* Ens infinitum et absolutum, nempè Deus. Elementa, quibus argumentum hujusmodi coalescit, per abstractionem innotescunt, ut

vidimus; sed conclusio syllogismi, Dei scilicet existentia, nonnisi *mediatè*, ope ratiocinii, probari potest; idem a fortiori dicendum est de divinis attributis, quæ per *analogiam* solùm seu quasi « per speculum in ænigmate » conspiciuntur.

VII. Quomodo cognitiones formantur in animâ?

46. Ultimò tandem quæritur quomodò mens humana cognitiones suas in seipsam recipiat et perficiat, seu *quomodò* cognitiones formari possint in animâ, quæ, secundùm statum vitæ præsentis, est tantùm in potentiâ respectu veritatis.

Distinximus objectum intellectûs *proportionatum*, nempè « quidditatem » seu essentiam rerum materialium, et objectum *adæquatum* seu quidquid intellectus cognoscere potest, modo ei ritè proponatur; nunc breviter dicendum est quomodò per facultates suas anima cognitionem aut imaginem sive objecti proportionati, sive objecti adæquati, comparare possit et *verbum* internum concipere; undè, duplex quæstio maximi momenti.

Quær. — Quomodò anima concipiat in seipsâ cognitionem *rerum materialium*.

Resp. — Objecta materialia in organa sensuum agunt, ità ut, organo physico, v. gr. oculo deficiente, perceptio fiat impossibilis. — Organo mediante, *imagines* seu *similitudines* qualitatum materialium in sensus nostros imprimuntur *partim passivè* seu « *receptivè*. » — Imagines hujusmodi repræsentant objecta materialia, sed quatenùs in sensu recipiuntur, sunt *immateriales*. — Iis imaginibus receptis, determinatur sensatio, et anima per eum facultatis actum, quem recentes appellant « *reactionem activam*, » directè *percipit* qualitates sensibiles in rebus ipsis exterioribus existentes. — Illa perceptio perficit conceptum seu *cognitionem sensuum*.

Talis conceptus sensationis meritò dicitur cognitio; nam, per eum, anima verè ac realiter percipit rerum exteriorum proprietates, ut colorem, gustum, rotunditatem et alia similia. — Organorum impressiones, et imagines in sensibus receptæ ad perceptionem sunt necessariæ; anima verò eas non percipit immediatè, sed illis mediantibus objectum ipsum directè attingit.

Imaginatio seu phantasia retinet imagines in sensus impressas, et ità præbet intellectui fundamentum seu materiam idearum universalium. — Postcà, intellectus *agens*, eas imagines elaborans et exuens a qualibet proprietate individuali, illas *intelligibiles* efficit. — Imagines easdem sic intelligibiles effectas recipit intellectus possibilis, et, his mediantibus, essentias rerum materialium, modo quidem universali, percipit. — Per istam perceptionem concipit *ideam* seu *verbum* internum, quod est similitudo rerum ipsarum. — Eapropter imagines intelligibiles non sunt *id quod* directè percipitur, sed medium *quo* intellectus noster essentias rerum apprehendit (S. Thom., q. 85, a. 2).

Sit ut exemplum *idea corporis*. Hæc idea non est nisi fundamentaliter in hoc et in illo corpore; nempè, corpus unumquodque complectitur in seipso, sed modo singulari, quidquid ad essentiam corporis respicit in genere; nam, lapis, ferrum, ignis, sunt verè corpora. Per sensum imagines qualitatum exteriorum unius aut alterius corporis accipimus, ut experientiâ constat; easdem imagines elaborat intellectus agens et exuit ab omni proprietate individuali; deindè, intellectus possibilis apprehendit, mediantibus ipsis imaginibus, quid sit corpus in genere (1).

(1) Cf. Sanseverino, *Dynamil.*; Tongiorgi, *Psycholog.* — Ad rem

Quær. — Quomodò concipiantur in nobis ea, quæ superant objectum intellectûs humani proportionatum, nec nisi ad objectum adæquatum pertinent?

Resp. — Suprà physicum orbem existunt substantiæ immateriales et « separatæ, » scilicet Angeli, qui per revelationem innotescunt, et Ens Infinitum, nempè Deus, qui per rationem simul et revelationem cognoscitur. Philosophus de Deo, quatenùs lumine rationis humanæ cognosci potest, solummodò disserit.

Intellectus noster Deum immediatè seu facie ad faciem cernere nequit in statu vitæ præsentis; attamen ideam aut imaginem imperfectam et finitam *attributorum* Dei quodammodò concipere possumus, et in mente nostrâ imprimere. Deus enim mundum condidit secundùm ideas exemplares, quæ sunt ipsamet essentia divina; *quatenùs* est a Deo ipso « *cognita* » et « *participabilis* » a creaturis; undè, splendent in creaturis vestigia et imagines attributorum Entis Infiniti; v. gr., veritas, bonitas, vita, activitas, gradu quidem finito, comperiuntur in rebus creatis. Intellectus, ut dictum est, earum perfectionum imagines aut ideas concipit abstractionis ope; deindè verò perfectiones easdem absque limite fingimus, in quantùm fieri potest, et illas de Deo prædicamus; itaque, attributa divina in ideis nostris tanquam in speculo contemplari possumus, secundùm Apostoli verba : « Videmus nunc per speculum in ænigmate; » satiabimur autem quum apparuerit gloria Dei; tunc enim videbimus Eum « facie ad faciem, » et omnia in Ipso conspiciemus

appositè scripsit Battaglinius : « Sic, ex. gr., in individuo Petro, qui sub nostros sensus cadit, habetur quidditas entis, habetur quidditas substantiæ, habetur quidditas viventis, habetur quidditas animalis, habetur quidditas hominis, etc., quæ sunt totidem quidditates universales communes, verificabiles vel omnes singulæ, vel partim in aliis individuis præter Petrum. » *Metaphys.* Tract. quartus, XII.

(Cf. L. C. Bourquard, *Doctrine de la connaissance d'après saint Thomas d'Aquin*).

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

Systema scholasticum propugnatur.

VIII. **Quomodo systema scholasticum propugnari potest?**

47. Systema scholasticum de idearum origine tùm *directè*, tùm *indirectè* probari potest; argumenta verò indirecta ex aliorum systematum falsitate deprompta exponuntur in articulo sequenti; sit igitur solummodò de argumentis directis critice philosophica.

De argumentis *directis* critice philosophica.

Argumentum generale. — Ut *verum* illud habendum est systema, — quod aliis *auctoritate* præstat, — maximè congruit *humanæ naturæ*, — universali probatur *experientiâ*, — et tutius est in *consectariis;* atqui, tale est systema scholasticum de idearum origine; ergò, systema scholasticum de idearum origine habendum est ut *verum*. Constat major. Minor probatur per partes.

(A.) Systema scholasticum de idearum origine, *aliis auctoritate præstat.* — Nam, inter præcipuas philosophorum sententias, quæ circà præsentem quæstionem prodierunt, theoria scholasticorum, a priscis philosophiæ seculis ad ætatem usque nostram, emicuit sibique nominatorum virorum adhæsionem aut saltem reverentiam commendavit; ità ut nec jocosæ recentiorum facetiæ, nec idealismi somnia, nec experimenta sensismi, hujus systematis auctoritatem « elidere aut etiam infirmare » potuerint.

Imprimis, Aristoteles ejusque celeberrimi successores, v. gr., Theophrastes, Strato, Lyco, Aristo, Critolaüs et Diodorus; deindè, operibus Aristotelis Romæ translatis,

Andronicus Rhodius, Cratippes, Alexander OEgœus, Adrastes, Alexander Aphrodiseus et alii; plures inter sanctos Patres Ecclesiæ tùm græcæ tùm latinæ, ipse S. Augustinus, ut mox videbitur; apud Arabes, Alkendi, Alfarabi, Avicennes, Algazel cum aliis nonnullis; posteà tandem Alexander Alesius, seu doctor irrefragabilis, Michael Scotus, Albertus Magnus, S. Bonaventura, S. Thomas et ceteri scholastici, sive philosophi, sive theologi, scientiâ et ingenio conspicui, doctrinam expositam de origine idearum unâ mente propugnârunt. Sed cætera systemata, nempè sensismus, inditismus, ontologismus et traditionalismus eamdem auctoritatem sibi vindicare non possunt, ut ex historiâ constat; ergò, systema scholasticum, de origine idearum, auctoritate præstat aliis.

(B.) Systema scholasticum de idearum origine *maximè congruit humanæ naturæ*. — *Modus* enim *cognoscendi* fit secundum *naturam cognoscentis;* sed, hominis natura poscit ut cognitio nostra per sensum incipiat et ab intellectu perficiatur; ergò, cognitio nostra per sensum incipit et perficitur ab intellectu.

Major patet. — Minor probatur. In statu vitæ præsentis, ope sensuum et intellectûs, anima veritatem assequitur; sensus percipit singularia et intellectus apprehendit universalia; sed universalia, relativè ad nos, non existunt nisi tantùm in rebus ipsis singularibus, in quibus non sunt formaliter, sed fundamentaliter seu materialiter; ergò, necesse est ut primariò per sensum res singulares percipiamus, et deindè per vim abstractivam intellectûs ad notitiam universalium deveniamus. Undè, cognitiones nostræ, quoad ordinem, per sensum incipiunt et ab intellectu perficiuntur (1).

(1) « Operatio proportionatur virtuti et essentiæ, ait S. Thomas :

Idem est dicendum de *modo*, secundùm quem cognitiones formantur in animâ; nam, in homine facultates cognoscitivæ referuntur ad objectum cognoscibile ut effectus ad causam; nempè, res non sunt quià percipimus eas, sed illas percipimus quià sunt; eapropter, humana cognitio fieri nequit sine quadam actione rerum in facultates nostras. Undè, sic argumentari licet : vel per se *immediatè*, vel *mediatè* per imagines seu « species, » objectum cognitum cum facultate cognoscente jungi debet, aliter enim anima versaretur in scepticismo universali; sed, unio immediata est impossibilis; ergò, requiritur ut facultas cum objecto, mediantibus imaginibus, aliquo modo conjungatur. Major patet. — Minor probatur. Res singulares, nempè lapides, plantæ, animalia, non irrumpunt in sensum percipientem; cognitio igitur in homine fieri nequit per immediatam unionem rerum cum facultate. Undè, dicendum est ad humanam cognitionem requiri « species » seu imagines, quæ rem ipsam in mente repræsentant.

(* Partem illam theoriæ scholasticorum propugnaverunt S. Augustinus, S. Anselmus, et S. Bonaventura; v. gr., S. Augustinus apertè docuit imagines seu species requiri ut cognitio perficiatur, tam in his quæ per aciem intellectûs innotescunt, quam in his quæ per sensum directè percipiuntur : « A *specie* corporis, quod cernimus, ait, exoritur *ea* quæ fit in *sensu* cernentis, et ab hac *ea* quæ fit in *memoriâ*, et ab hac *ea* quæ fit in *acie* cogitantis. Quapropter voluntas quasi parentem cum prole ter copulat, primò *speciem* corporis cum eâ, quam

intellectivum autem hominis est in sensitivo; et ideò propria operatio ejus est intelligere intelligibilia in phantasmatibus. » *De memoriâ et reminiscentiâ*, lect. 2. — « (Requiritur virtus animæ) quæ faciat phantasmata, a sensibus accepta, intelligibilia actu per modum abstractionis cujusdam. » *Sum. TheoI.*, q. 84, a. 6.

gignit in sensu, et ipsam rursus cum eâ, quæ fit ex illâ in memoriâ, et istam quoque tertiò quæ ex illâ paritur in cogitantis intuitu (1). » *)

(C.) Systema scholasticum, de idearum origine, *probatur experientiâ*. — In systemate scholasticorum, duo sunt distinguenda : *ordo*, quo procedit intellectus, et *modus*, quo ideæ formantur; sed, hæc duo experientiâ demonstrantur; ergò, systema schoslasticum experientiâ constat. Major patet ex dictis. Probatur minor. Infans ad usum rationis nondùm provectus, multas cognitiones singulares ope sensuum acquirit; deindè verò per intellectum notitias universales comparat. Ex. gr., patrem et fratrem, hunc aut illum hominem primariò quidem confusè, posteà verò distinctè cognoscit, secundùm illa Sancti Doctoris : « Pueri a principio appellant omnes viros *patres*, posterius autem determinant unumquemque. » Ultimò tandem ad ideam universalem hominis et humanitatis assurgit (q. 85, a. 3).

Itemque, scientiarum naturalium cultores experimenta capiunt in rebus singularibus, ut earum naturam et essentiam agnoscant; imò, philosophus in veritate comparandâ procedit e singularibus ad universalia, e finito ad infinitum, e contingenti ad absolutum, e creaturis ad Deum : « Ad res incorporeas nonnisi e consideratione rerum corporearum ascendimus, ait R. P. Liberatore; ità ut ipsum Deum non aliter concipiamus, quam veluti primam mundi causam, ejusque perfectiones per varias

(1) *De Trinit.*, lib. XI, c. IX. Alibi dixit, aciem oculi corporalis currere per species corporales..., et species intelligibiles, mentem nostram intelligendo conspicere; *De civit. Dei*, lib. XII, c. VII. Et etiam asseruit hominem justa sentire per speciem intelligibilem, et injusta per ejus privationem; *Ibidem*, lib. XI, c. XXVII.

analogias, a rebus creatis desumptas, determinemus (*Psychol.*, c. IV, a. 6, n. 144). »

Prætereà, conscii sumus nullam innatam aut sopitam inesse nobis ideam, sed intellectum esse tantùm in potentiâ respectu veritatis; alioquin, ut conscientia testatur, in hac vitâ nequaquam immediatâ Dei visione fruimur, nec ideæ foris existentes, ut formæ separatæ, mentem invadunt; nec a solis sensibus oritur cognitio intellectiva; nam « anima per intellectum cognoscit corpora cognitione immateriali, universali et necessaria. » Sed, ut ait S. Thomas cum Aristotele, cognitio nostra procedit « partim ab extrinseco, partim ab intrinseco, » partim a sensibus et partim ab intellectu; nempè, quoad *ordinem*, sensus primariò percipit hunc et illum hominem, deindè verò intellectus propriâ virtute ad agnitionem humanitatis in genere conscendit.

Non solùm de *ordine*, quo procedimus in veritate comparandâ, experientiæ consonat theoria scholastica; sed etiam de *modo*, secundùm quem ideæ formantur in animâ, scientiis physicis omninò congruit. Re quidem verâ, juxtà physicos omnes, corpora non agunt in organa materialia, nisi mediantibus tenuissimis imaginibus (1). Ea etiam imago, secundùm eosdem auctores, non est id *quod* videt oculus, sed id *quo* res externæ conspiciuntur (2). Eapropter, juxtà scientias naturales, oculus,

(1) Sic se habet Langlebert : « L'œil ressemble assez exactement à l'instrument d'optique connu sous le nom de *chambre noire*. La pupille est l'ouverture par laquelle pénètrent les rayons lumineux; la cornée transparente et le cristallin représentent la lentille qui produit *l'image;* la rétine forme l'écran qui la reçoit. Les objets extérieurs viennent en effet se *peindre* en petit sur la rétine,..... et dans une position renversée. »

(2) « Nous avons vu que *l'image* des objets se peint renversée sur la

mediante tantùm imagine, videre potest; undè, per inductionem legitimam, inferre possumus sensum et intellectum objecta sibi propria non assequi, nisi per imaginem seu similitudinem rei perceptæ. Natura autem illius imaginis naturæ visionis proportionatur : imago, quæ pingitur in oculis, est *materialis*, ut experientiâ constat; imago, quæ pingitur in facultate sensitivâ, jam omnem materialitatem exuit, sed debet esse *sensibilis;* imago, quæ per virtutem intellectùs agentis omni proprietate seu (conditione) individuali exuitur, vocari solet *intelligibilis*. Ità, per triplicem ascensum, e visione oculi ad perceptionem sensibilitatis, et tandem e perceptione sensibilitatis ad apprehensionem intellectùs gradatim assurgimus; et hoc modo philosophia scholastica cum ratione et experientiâ ex omni parte congruit (1).

rétine, ait iterùm Langlebert. Plusieurs hypothèses ont été émises pour expliquer comment, malgré ce renversement de *l'image*, nous voyons les objets droits..... (Des) physiologistes ont soutenu que la vision droite dépend de ce que nous voyons, *non pas l'image* de la rétine, mais la direction des rayons lumineux qui la produisent, ou, en d'autres termes, de ce que la rétine agit *en dehors* et qu'elle transmet au cerveau l'impression des *objets* dont elle porte *l'image :* cette dernière explication nous paraît être la plus satisfaisante (Langlebert). »

(1) Ad rem scitissimè scripsit S. Franciscus Salesius : « Quand nous regardons quelque chose, quoyqu'elle nous soit présente, elle ne s'unyt pas à nos yeux elle-mesme; ains seulement leur envoye une certaine représentation ou imaige d'elle-mesme, que l'on appelle espèce sensible, par le moyen de laquelle nous voyons. Et quand nous contemplons ou entendons quelque chose, ce que nous entendons ne s'unyt pas non plus à nostre entendement, sinon par le moyen d'une autre représentation et imaige très-délicate et spirituelle, que l'on nomme espèce intelligible. Mais encore, ces espèces, par combien de destours et de changements viennent-elles à nostre entendement? Elles abordent au sens extérieur, et de là passent à l'intérieur, puis à la phantaysie, de là à l'entendement actif, et viennent enfin au passif; à ce que passant par tant d'estamines et sous tant de limes, elles soyent par ce

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

(D). Systema scholasticum de idearum origine, *tutius est in consectariis.* — Etenim sensismi, idealismi, scepticismi fugit errores : sensismum evitat, admittendo vim abstractivam, et virtutem activam intellectûs humani; visionem immediatam Entis Infiniti, necnon et ideas innatas idealistarum, aut intuitiones a priori respuit; scepticismi quoque gurgitem effugit, nam, ex unâ parte, capacitatem intellectûs, et, ex alterâ parte, realitatem objectivam idearum propugnat. Item, quoad notiones universales, systema scholasticum nominalismi, realismi et conceptualismi falsa consectaria devitat; nam, juxtà scholasticos, universalia concipiuntur *intellectûs virtute, cum fundamento in rebus ipsis singularibus*, ut dictum est in Logicâ (n. 114).

Undè, sic breviùs et in formâ : systema scholasticum de idearum origine, cæteris *auctoritate* præstat, — maximè *congruit humanæ naturæ*, — universali probatur *experientiâ*, — et tutius est in *consectariis;* sed, systema hujusmodi habendum est ut verum ; ergò, systema scholasticum, de idearum origine, est verum.

IX. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 48. Obj. I. Systema scholasticum horret vocabulis, quæ nec intelligi nec etiam aliis terminis exprimi possunt, ut *phantasmata*, species *impressæ* aut *expressæ*. Ergò, systema scholasticum est rejiciendum.

Resp. *Nego antecedens* et *consequens*. Scholastici enim per *phantasma* intelligunt *imaginem* rerum sensibilium, quatenùs

moyen purifiées, subtilisées, et affinées, et que, de sensibles, elles soient renduës intelligibles. Nous voyons et entendons ainsi, Théotime, tout ce que nous voyons ou entendons en ceste vie mortelle, ouy mesme les choses de la foy. » *Traité de l'amour de Dieu*, l. III, c. XI.

servatur ab imaginatione seu phantasiâ. *Species impressa* est *imago* rerum intelligibilium, quatenùs elaboratur ab intellectu agente et ab intellectu possibili recipitur. *Species* autem *expressa* nihil est nisi *verbum* mentis, seu *idea* quatenùs ab intellectu possibili concepta est (Cf. Signoriello, *Lexicon peripateticum*).

Obj. II. Idearum origo faciliùs explicatur in aliis philosophorum systematibus; ergò, systema scholasticum est rejiciendum.

Resp. *Nego antecedens* et *consequens*. Alia quidem systemata sunt falsa, ut videndum est in articulo sequenti. *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De aliis systematibus.

I. Quæ sunt varia philosophorum systemata, de origine idearum?

(* 49. De notionibus universalibus *objectivè* sumptis, quatuor sententiæ prodierunt, nominalismus, realismus, conceptualismus et realismus mitigatus: *nominalistæ* contendunt universalia nihil esse nisi nomina, seu flatus vocis; juxtà *realistas* autem, universalia formaliter vel in se, vel in rebus existunt; *conceptualistæ* verò docent universalia esse meros animæ conceptus; sed, juxtà realismum mitigatum, notiones universales fundamentum habent in rebus et actualiter existunt in intellectu. De illâ objectivitate Logica disserit (n. 113).

De ideis autem *subjectivè* spectatis, nempè quatenùs in mente ipsâ concipiuntur, non magis inter se philosophi consentiunt; nam, circà præsentem quæstionem, præsertim apud recentes philosophos, tot ferè prodierunt sententiæ quot fuerunt auctores. Verumtamen, ad nonnullas classes revocari queunt. Nempè, *mundus, anima et Deus* diverso modo concurrere possunt ad formandas ideas : juxtà scholasticos, Deus animæ largitur facultatem seu potentiam et lumen requisitum ad veritatem assequendam; mundus seu res externæ primum cognitionis elementum suppeditant; intellectus autem elementum a

sensibus acceptum elaborat et ideam seu verbum internum concipit. Philosophi verò non pauci *mundo* seu rebus externis maximam partem tribuunt in ideis acquirendis ; eapropter illorum systema nomine communi vocatur *Empirismus*. Alii verò contendunt ideas originem *ab animâ* deducere, sive sint innatæ, sive prodeant e rationis viribus ; tale systema dici potest *Inditismus*. Nonnulli tandem asserunt ideas *immediatè* per visionem intuitivam exordium *a Deo* sumere, vel ab ipso creari ; et hic est *Ontologismus*. Undè quatuor systemata, *Theoria scholastica*, *Empirismus, Inditismus* et *Ontologismus*. Quoad objectivitatem, Empirismus nominalismo, Inditismus conceptualismo, Ontologismus realismo favet ; attamen inditistæ nonnulli realismum propugnant, et inter ontologistas non desunt, qui nihil aut parùm a scholasticis dissentiant de universalium objectivitate.

Quatuor istis philosophorum sententiis accessit *Traditionalismus,* qui semel ac iterùm, sæculo XVII° et sæculo XIX°, tanquam somnium apparuit, et mox evanuit ut umbra. Mentem exhibet ut meram capacitatem, quæ ideas suas accipit ab hominibus, mediante sermone, vel aliis signis exterioribus.

II. Empirismum expone et confuta.

50. Apud antiquos, Democritus et Epicurus, inter recentes autem, Hobbes, Volney, Helvetius, d'Holbach, Cabanis, Büchner, omnesque materialismi et positivismi fautores, idearum originem per solas impressiones organicas et materiales explicare voluerunt. Sic, in suis operibus, Broussais et Taine facta sensationis materialis, cùm externa tùm interna, primariò describunt, et deindè propugnant omnem ideam esse « repræsentationem, typum, seu imaginem » ad cerebrum per sensationem hujusmodi transmissam, aut « excitationem substantiæ cerebri (1). »

(1) « Toute *idée* est une représentation. La puissance de représenter est si véritable, qu'elle est la puissance même de penser. » Taine, *Les philosophes en France*. — « La sensation n'est pas seulement un effet, un résultat de l'excitation de la substance cérébrale, mais elle est cette

Ea autem imago, merè quidem materialis, non est id *per quod* objecta percipiuntur, sed id *quod* tantummodò cognoscimus; idcircò, tale systema non solùm ad materialismum absolutum, verùm etiam ad scepticismum universalem necessariò propellit.

Sensistæ, rejectis materialismi commentis, animam e medio tollere nolunt; sed exclusivam nimiamve partem sensibus et rebus corporeis largiuntur, in origine cognitionum nostrarum. Imprimis, Lockius asseruit ideas omnes originem ducere vel ab *observatione* rerum sensibilium, vel a *consideratione* sensationum ipsarum; hinc, duo sunt fontes idearum, *sensatio* scilicet atque *reflexio* seu conscientia : per sensationem, ideas simplices, et, per reflectionem, ideas complexas acquirimus (*Essai sur l'entend.*).

Condillac, qui « Sensismi auctor et parens meritò habetur, » unicum ideæ fontem, nempè *sensationem,* admittit; eapropter, attentio, comparatio, judicium, reflexio, imaginatio, ratiocinium, nihil aliud esse possunt quam ipsa sensatio « transformata (*Essai sur l'orig. de nos conn.*). »

Laromiguière hanc theoriam emendare conatus est; et idcircò, præter sensationem, agnovit quamdam *activitatem,* quæ sese per attentionem, comparationem et ratiocinium exerit. Sic, juxtà eum, omnes ideæ sumunt originem in sensibus, et perficiuntur per attentionem, comparationem et ratiocinium : « Les idées des objets sensibles ont leur origine dans le sentiment-sensation, et leur cause dans l'attention; les idées des facultés de l'âme ont leur origine dans le sentiment de l'action de ces facultés, et leur cause aussi dans l'attention. Les idées de rapport ont leur origine dans le sentiment de rapport, et leur cause dans la comparaison et le raisonnement. Les idées morales ont leur origine

excitation elle-même dans un de ses modes, et l'*idée* aussi ne saurait être autre chose. » Broussais, *De l'irritation et de la folie.* — Hinc Positivistæ sic definiunt ideam : « Une idée est le produit d'une combinaison analogue à celle de l'acide formique; la pensée dépend du phosphore contenu dans la substance cérébrale. » *Revue médicale,* 1866, p. 134.

dans le sentiment moral, et leur cause dans l'action séparée ou réunie de l'attention, de la comparaison et du raisonnement (*Leç. de philos.*). »

PROPOSITIO.

Empirismus est falsus.

Empirismus, quocumque modo propugnetur, est falsus et rejiciendus. Nam : illud systema rejiciendum est ut falsum, quod originem idearum universalium exhibere nequit; atqui, talis est empirismus omnis; ergò, rejiciendus est empirismus, quocumque modo propugnetur. Major patet. Probatur minor. Sensismus etiam mitigatus, v. gr., qualis a Lockio propugnatur, vim intellectûs activam et abstractivam, cujus ope cognitio fit intelligibilis, non admittit (1); undè, nihil nisi res singulares apprehendere possumus, et universalia, fatentibus ipsis empirismi fautoribus, sunt mera nomina. Cæteroqui, reflexio Lockii facilè revocatur ad sensum intimum, ut ait Condillac, et judicium atque ratiocinium, quæ passim asseruntur apud Laromiguière, non discrepant ab æstimativâ sensuum. Ergò, juxtà sensismum, etiam mitigatum, nulla reperitur in homine facultas per quam universalia, præcipuè notiones causæ, substantiæ, in-

(1) « Locke sans doute n'a pas confondu la sensation et les facultés de l'âme; il les distingue très-expressément; mais il fait jouer à nos facultés un rôle secondaire et insignifiant, et il concentre leur action sur les données sensibles. De là à les confondre avec la sensibilité elle-même il n'y avait qu'un pas, et de là le germe faible encore de la future théorie de la sensation, comme le principe unique de toutes les opérations de l'âme. C'est Locke, qui sans le savoir, et sans le vouloir, a frayé la route à cette doctrine exclusive, en n'ajoutant à la sensation que des facultés, dont tout l'emploi est de s'exercer sur elle sans *aucune vertu propre* et originale. » V. Cousin, *Hist. de la phil. du* XVIII*e siècle*, leç. 18. — Recentes nonnulli Lockium inter spiritualistas enumerare voluerunt; v. gr., Jouffroy, *Mélanges philosophiques*, Du Spiritualisme : « Descartes, Locke et Leibnitz sont les représentants du spiritualisme moderne. »

finiti, boni, pulchritudinis, comparari possint; et consequenter, omnis empirismus est rejiciendus ut impar ad exhibendam originem idearum universalium.

Aliundè, theoria Lockii scepticismo viam pandit; nam per reflexionem, ait ille philosophus, anima non attingit objectum cognitionis, sed tantùm imagines illius objecti; quapropter, ut concludit Humius, quis posset affirmare veritatem aut realitatem eorum, quæ per reflexionem innotescunt? Insuper, de facultatibus cognoscitivis sensismus disserit; sed vix loquitur de modo secundùm quem ideæ formantur in animâ.

III. Inditismum expone et confuta.

51. « Nobiliores philosophi, ait R. P. Liberatore, melius de præstantiâ animi sentientes, empirismo contrarium callem inierunt, idearumque principium ex ratione ipsâ repetendum esse duxêre (*Psychol.*). » Illorum systema nomine communi vocatum est *Inditismus;* inter se verò minimè consentiunt; nam, alii, duce Cartesio, ad normam Aristotelis et scholasticorum proximè accedunt; alii verò post Kantium abeunt ad idealismum transcendentalem.

Inter veteres, divus Plato docuit animas olim in astris exstitisse, et ibi contemplasse res æternas et immutabiles, per species aut ideas ipsis inditas a « summâ mente; » posteà verò, propter scelera detrusæ sunt in corpora, necnon in his veluti carceribus inclusæ. In illo statu miserrimo, cognitiones anteactæ non amittuntur, sed sopitæ sunt et occasione sensuum evigilant; nam, dicente Platone, res sensibiles præ se ferunt imaginem earumdem idearum. Ideoque cognitiones hominis nihil aliud sunt nisi *reminiscentiæ*.

Juxtà multos, Cartesius sententiam Platonis recoxit et emendavit; nempè, distinxit ideas *adventitias, factitias* et *innatas*. Sed non semel ambiguus est, et facultatem solam ut innatam admittere videtur (1). Plerique tamen illius discipuli idearum inneitatem admisêre.

(1) « Illas (ideas), inquit, innatas vocari, eodem sensu quo dicimus

Leibnitzius et Wolfius docuerunt animam ex essentiâ suâ ideam ingenitam totius universi, seu *schema* rerum omnium in se habere. Illa mundi repræsentatio priùs est confusa et quasi implicita, deindè verò per virtutem nativam animæ fit explicita et distincta. Quid sit autem ea cognitio naturalis et innata, non liquet; nam, ut ait ipse Leibnitzius, non est *actualis*, sed *virtualis* (1).

Rosminius universalissimam et simplicissimam, id est *entis possibilis* ideam, nobis ingenitam esse voluit, ex quâ deinceps omnes aliæ, sive generis sive speciei, formantur ideæ; ens enim est lumen intellectûs et quasi forma rationis (*Nuovo Saggio*).

Ad inditismum aliquatenùs referri debet *Rationalismus transcendentalis* Germanorum et Gallorum, cujus præcipui duces fuêre Kant, Schelling, Hegel et Cousin. Ideæ universales et a priori, juxtà Kantium, concipiuntur animi *virtute* naturali, et ipsa mens non solùm ideas hujusmodi, sed etiam cognitionum objecta procreat.

Fichte asseruit ideas a subjecto cogitante, aut a *conscientiâ* liberâ, sine sensuum auxilio, exordium sumere; Schelling autem principium quoddam superius, nempè rationem individualem in *absolutam* conversam, admisit ut fontem omnium co-

generositatem esse quibusdam familiis innatam, aliis verò quosdam morbos, ut podagram vel calculum; non quod ideò istarum familiarum infantes morbis istis in utero matris laborent, sed quod nascuntur cum quadam dispositione sive *facultate* ad illos contrahendos. » Epist. xxx. — « Vel forte etiam omnes (ideas) esse adventitias possum putare, vel omnes factas; nondùm enim veram illarum originem *clarè* perspexi. » *Meditationes*. — « Lorsque j'ai dit que l'idée de Dieu est innée, je n'ai jamais entendu autre chose que ce que mon adversaire entend, savoir que la nature a mis en nous une *faculté*, par laquelle nous pouvons connaître Dieu. » *Lettres*, t. II, n. 477.

(1) « Les propositions d'arithmétique et de géométrie sont toutes des vérités innées dans notre âme. Leur connaissance *actuelle* ne l'est pas, mais bien ce que l'on peut appeler la connaissance *virtuelle*, comme la figure tracée par les veines du marbre est dans le marbre avant qu'on les découvre en travaillant. » *Nouv. Essais sur l'entend. hum.*, l. I, c. I.

gnitionum; Hegel verò propugnavit cogitationem puram, logicam, subjectivam et demùm objectivam, esse principium omnis scientiæ.

Juxtà Victorem Cousin, ad idearum evolutionem existit ratio communis seu *impersonalis*, quæ semen cognitionum in se continet nobisque omnia spontaneè manifestat; ità, per revelationem hujus rationis, absque sensationis adjumento, mentem nostram, Deum et mundum, finitum, infinitum et inter utrumque relationes a priori dignoscimus.

PROPOSITIO.

Inditismus est rejiciendus.

De reminiscentiâ Platonis disserere foret otiosum; sententiæ verò Germanorum, præterquam idealismum absolutum gignunt et necessariò propellunt ad pantheismum universalem, nullo fundamento nituntur, experientiæ contradicunt, et mera sunt somnia (1).

Inditistæ verò mitigati, nempè Cartesius, Leibnitzius et Wolfius, qui proximè quidem ad verum accedunt, vel facultatem tantùm ingenitam, vel ideas etiam innatas admittunt; si *prius*, eorum systema difficultatem de idearum origine non solvit, sed eludit, ut constat; si *posterius*, sic argumentari licet : rejicienda est hypothesis *gratuita*, *inutilis* et *periculosa;* sed talis est hypothesis de idearum inneitate; ergò, rejicienda est hypothesis de idearum inneitate. Major patet. — Probatur minor. — Inneitas idearum *gratis* asseritur; quis enim est conscius se tales ideas

(1) Ex idealismo nata sunt portenta sive pantheismi sive nihilismi : « L'être n'est pas, ait Fichte. Moi-même, je ne suis pas. Autour de moi la réalité s'est transformée en un songe bizarre, sans qu'il y ait une vie réelle à rêver, une esprit pour en rêver, où ce songe lui-même se trouve être rêvé. Et en effet ce songe c'est l'intuition. Et la *pensée*, la pensée que je considérais comme un attribut le plus noble, comme le but de ma vie, où je croyais trouver la source même de toute réalité, la pensée, c'est le songe de ce songe. » *Destination de l'homme.*

habuisse? Quis dicit : studiis incumbo, ut ideas in me sopitas e gravi somno excitem? Quare in infantibus et idiotis ideæ sopitæ nunquam evigilant? Et cur, « deficiente aliquo sensu, deficit scientia eorum, quæ apprehenduntur secundùm illum sensum (q. 84, a. 3)? » « Si ces notions ne sont pas naturellement imprimées dans l'âme, ait Lockius, comment peuvent-elles être *innées?* Et si elles y sont imprimées, comment peuvent-elles lui être *inconnues* (1)? » Ex his aliisque similibus constat hypothesim inneitatis esse merè gratuitam.

Est *inutilis,* et hoc duplici modo : primò, sola facultas activa seu vis abstractiva sufficit ad acquirendas notiones universales, ut ratione et experientiâ demonstratur; secundò, inneitas non explicat quid sit idea et quomodò in mente repræsentet objectorum realitatem. Aliundè, quid intelligant inditistæ per notionem ingenitam, non actualem, sed virtualem tantùm aut « habitualem, » sane non liquet. Talis igitur sententia prorsùs est inutilis, imò dici potest « inintelligibilis. »

Vocatur tandem *periculosa;* nam, illud systema meritò periculosum dicitur, quod falsis *interpretationibus* obnoxium est, atque scepticismo necnon idealismo viam aperit; sed, talis est Inditismus, quocumque modo propugnetur; ergò, Inditismus omnis haberi debet ut valdè periculosus. Probatur minor. — Inditismus variis *interpretationibus* obnoxius est; non solùm enim quærere possumus cur Deus notiones primitivas in statu dormitionis, potiùs quam in statu vigiliæ creaverit, sed etiam quot et quasnam ideas hujusmodi indiderit animæ; alii enim plures ideas ingenitas, alii pauciores admittunt. Inditismus quoque *scepticismo* favere videtur; nam, hujus systematis patroni non dicunt notiones universales e rebus ipsis per virtutem intellectûs abstrahi et ab ipsâ mente concipi, sed asserunt ideas innatas in

(1) *Essai.* — « Les idées d'infini, d'ordre providentiel, de causalité première, de raison universelle et divine..., ont été compromises dans le platonisme par l'hypothèse des réminiscences, elles l'ont été dans le cartésianisme par l'hypothèse de l'innéité, doctrine *vague* et *équivoque,* qui ne devient précise qu'en devenant manifestement contraire à l'expérience. » A. de Margerie, *Philos. contemp.*, p. 355-356.

mente a priori existere; quapropter, affirmare nequeunt utrùm conformitas et relatio inter ideam et objecta realiter habeantur. Idcircò, de rebus in se sumptis veram certitudinem comparare non potest inditista.

Talis opinio latissimam *idealismo* viam aperit; etenim, inditistæ rebus physicis nullam partem largiuntur in idearum innataram origine; corpora sunt solùm *occasio*, quâ datâ, ideæ priùs habituales aut virtuales fiunt actu existentes. Imò, Cartesius ipse corporum existentiam in dubium revocavit, et posteà Malebranchius, Berkeleius, Humius, Fichteus, idealismum mitigatum vel absolutum apertè professi sunt.

Brevius, omnis Inditismus est hypothesis gratuita, inutilis et periculosa; ergò, rejiciendus est omnis Inditismus.

IV. **Ontologismum expone et confuta.**

52. Illi, qui contendunt ideas a Deo *immediatè* oriri, in duas classes dividi possunt, videlicet in *occasionalistas* et *ontologistas* propriè dictos.

De *Occasionalismo*. — Jansenistæ nonnulli, post Arnaldum, docuerunt ideas, *occasione* sensuum, voluntatis nostræ, vel commotionis in cerebro receptæ, a Deo immediatè produci et in mentem humanam infundi; quapropter, anima non est nisi causa tantum *occasionalis* idearum, Deusque solus haberi potest ut earum causa efficiens et immediata : « Mens nostra non potest esse idearum nostrarum causa efficiens, ait J. Valla...; quemadmodùm enim voluntas non potest rem ignotam amore prosequi, ità nequit intellectus sibi illius objecti ideam formare cujus nullam habet cognitionem (*Instit. Theol.*). »

Tale portentum seriâ confutatione non indiget, nam experientiæ et rationi evidenter contradicit; intellectus enim propriâ virtute ideas suas concipit, ut conscientia testatur, et insulsum est habere Deum ut causam immediatam et totalem idearum nostrarum. Aliundè, philosophi theologique asserunt nec ideas nec volitiones nostras immediatè et solùm a Deo produci; Deus enim auctor erroris et peccati jurè diceretur, si tanquam causa

totalis, efficiens et immediata cognitiones et appetitiones nostras perficeret.

De Ontologismo proprie dicto. — Ontologismus, quæcumque sit illius forma (1), duobus innititur principiis : primò, *mens humana*, etiam in statu *vitæ præsentis, Deum immediatè percipit;* secundò, ex illâ Dei *intuitione* cognitionum, saltem *necessariarum, originem repetere* debemus. Et quisquis ea rejiceret principia, non esset Ontologismi germanus.

Duplex concipi potest Ontologismus, videlicet *absolutus* et *mitigatus :* juxtà Ontologismum absolutum, omnes cognitiones, etiam rerum singularium et materialium, in *Essentiâ* divinâ, seu in « rationibus » æternis, ut aiunt, aut in ipso *lumine* infinito, mentem nostram illuminante, sumunt originem. Secundùm Ontologistas mitigatos, ut docet unus ex eis celeberrimus, anima notiones *necessarias* et absolutas, potissimùm ideam Infiniti, contemplatur in *attributis* divinis; cætera verò, nempè *contingentia*, per abstractionem intellectûs, vel ope sensuum innotescunt.

Ontologismi parentes dicuntur Malebranchius et Giobertius. Juxtà Malebranchium, anima *attributorum* divinorum visione, imperfectâ quidem, sed *immediatâ*, fruitur; — Deus autem, ità perceptus, est lumen rationis; omniaque per Ipsum fiunt intelligibilia, et in Ipso conspiciuntur (2); — res ipsas contin-

(1) Auctor opusculi, cui titulus, *Discussion amicale sur l'Ontologisme*, par Jean-sans-Fiel, 1865, quatuor formas Ontologismi secernit : « Il y a quatre espèces principales d'Ontologisme : l'Ontologisme panthéiste, l'Ontologisme rationaliste, l'Ontologisme de Malebrauche et l'Ontologisme de Fénelon et de Bossuet. » Idem philosophus S. Augustinum, S. Anselmum et S. Bonaventuram inter Ontologistas enumerat : sed, ni fallimur, Jean-sans-Fiel Infitismum et præcipuè rationalismum transcendentalem, nec non theoriam scholasticam cum Ontologismo non semel confundere videtur. Aliundè, præfatus auctor ad doctrinam scholasticam sese laudabiliter convertit.

(2) « Il faut savoir que Dieu est très-étroitement uni à nos âmes par sa présence; de sorte qu'on peut dire qu'il est le lieu des esprits, de même que les espaces sont en un sens le lieu des corps. Ces choses

gentes in ideis divinis, tanquam in *exemplaribus* æternis, directè percipimus.

Giobertius asserit Deum ipsum, quatenùs in *se* est, aut in *essentiâ*, immediatè ab animâ cognosci; — sed, quùm Deus sit creans omnia, mens, Deum intuendo, actionem *creatricem* et terminum hujus actionis, nempè mundum ipsum, dignoscit; — undè principium omnis cognitionis est : *Ens creat existentias*, seu, *Deus creat mundum* (1).

Doctor Ubaghs Ontologismum mitigatum propugnavit; hunc juxtà philosophum, nuper e vivis sublatum, ideæ necessariæ et absolutæ sumunt originem ex immediatâ visione non essentiæ Dei, sed Ejus attributorum : ideæ verò rerum contingentium ope sensuum et abstractionis intellectûs formantur.

Ontologismus, sive absolutus, sive mitigatus, quæcumque sit forma illius, falso nititur fundamento; nam, ut *sensu* communi, *ratione* individuâ et *auctoritate* universali probatur, nec essentiam, nec attributa Dei intuetur homo, in statu vitæ præsentis. Eapropter, lumen intellectûs non est ipsum lumen divinum, et notiones absolutas ac necessarias, et a fortiori res finitas atque contingentes in Deo conspicere nequimus.

De distinctione inter visionem attributorum et intuitionem essentiæ divinæ, nihil dicemus; nam, quùm attributa in Deo non distinguantur ab essentiâ, subtilis et inutilis videtur illa distinctio. Sit igitur, adversùs omnem formam Ontologismi, una

étant supposées, il est certain que l'esprit peut voir ce qu'il y a dans Dieu qui représente les êtres créés, puisque ceci est très-présent à l'esprit. Ainsi l'esprit peut voir en Dieu les ouvrages de Dieu, supposé que Dieu veuille bien lui découvrir ce qu'il y a dans lui qui les représente. » *Recherche de la Vérité.*

(1) Hæc passim inveniuntur apud Giobertium : « Non già come dedotte, ait, ma come rivelate, communicate; e questa communicazione *è l'atto stesso creativo*, per cui l'ente chiamandoci dal nulla all'esistenza, ci rivela l'atto stesso creativo, e il *mondo* delle cose contingenti, di cui *noi* siamo una parte. » *Introd.*, vol. II, c. 1. Et iterùm : « Conciossachè l'idea essendo l'intelligibilità stessa delle cose; irraggia sè medesima e l'universo col proprio fulgore. » *Introd.*, vol. I. Cf. *Traduct.*, 1847, auctoribus V. Tourneur et P. Defournes.

PROPOSITIO.

Intuitiva Dei visio, quocumque sensu accipiatur, hominibus in statu vitæ præsentis competere nequit; eâ de re falsus est omnis Ontologismus, sive sit absolutus, sive mitigatus.

Hæc propositio demonstrari potest *directè* et *indirectè* : directè, scilicet e sensu communi, ratione et auctoritate : indirectè, videlicet e falsis Ontologismi consequentiis; ergò, certa est et ab omnibus admittenda. Probatur antecedens per partes.

1°, Ex hominum *sensu communi*. — Secundùm Ontologistas, intuitiva Dei visio est fons cognitionum, saltem necessariarum et absolutarum; ideò, conscientia testari debet unicuique nostrùm hujusmodi visionem realiter existere; sed econtrà, nullus asserit se intuitione Dei gaudere, omniaque vel in Essentiâ, vel in Attributis divinis a se directè conspici; visio igitur ontologica non solùm gratis asseritur, sed etiam hominum conscientiæ palam contradicit.

2°, Ex *ratione*. — Nulla creatura, *vi suæ rationis*, seu *naturaliter*, ut aiunt, Deum immediatè cernere potest; Ens enim infinitum intellectûs creati objectum proportionatum et directum esse nequit. Sed, illud a fortiori dicendum est de homine, quandiù vitam præsentem degit; etenim, ut sæpè diximus, objectum intellectûs humani proportionatum non potest esse, nisi rerum materialium essentia. Ad rem Sanctus Thomas : « Naturalis mentis humanæ intuitus, ait, pondere corruptibilis corporis aggravatus, in primâ veritate, ex quâ omnia sunt facilè cognoscibilia, defigi non potest; undè oportet quod secundùm naturalis cognitionis progressum ratio a posterioribus in priora deveniat et a creaturis in Deum (*Opuscul.*, Super Boet.). »

3°, Ex *auctoritate*. — Omnes philosophi, paucis tantùm exceptis, Ontologismum, seu visionem rerum « in rationibus æternis, » apertè rejiciunt, Sanctus Augustinus, Sanctus Anselmus, Sanctus Bonaventura, et probabilius ipse Cardinalis Gerdilius, quos Ontologismi defensores salutant ut duces et patronos, hanc visionem immediatam non semel impugnaverunt.

Ecce verba Sancti Doctoris adversùs intuitionem rerum in Deo : « Aliquid in aliquo dicitur cognosci dupliciter. Uno modo sicut in objecto cognito; sicut aliquis videt in speculo ea quorum imagines in speculo resultant. Et hoc modo anima in statu præsentis vitæ non potest videre omnia in rationibus æternis, sed sic in rationibus æternis cognoscunt omnia Beati, *qui Deum vident,* et *omnia in ipso.* Alio modo dicitur aliquid cognosci in aliquo sicut in cognitionis principio; sicut si dicamus, quod in sole videntur ea, quæ videntur per solem. Et sic necesse est dicere quod anima humana omnia cognoscat in rationibus æternis, per quarum participationem omnia cognoscimus (q. 84, a. 5). »

Hæc sententia confirmatur Ecclesiæ decretis; imprimis, Concilium Viennense profligavit errorem Beguardorum asserentium lumen supernaturale non esse necessarium ad Dei visionem, et eam damnavit propositionem : « Anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante, ad *videndum Deum.* » Undè, juxtà Concilium Viennense, lumen naturale non sufficit ad videndum Deum; sed ad hujusmodi visionem indigemus lumine supernaturali.

Concilium Vaticanum hanc theoriam unà cum Traditionalismi sententiâ *indirectè* damnavit. Etenim, in decreto solemni, Venerabiles Patres explicitè docent : « Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, *per ea quæ facta sunt,* naturali rationis humanæ lumine certò cognosci posse. » Ergò, res creatæ non percipiuntur in Deo; econtrà, mens ad Deum ascendit e rebus creatis. EE. ac RR. Cardinales, Xystus Riario Sforza, archiepiscopus Neapolitanus, et Joachim Pecci, episcopus Perusinus, qui postulaverunt ut « pernicies » Ontologismi a catholico grege per Vaticanum Concilium averteretur, visionem naturalem immediatam et directam, quocumque sensu acceptam, indiscriminatim et enixè respuerunt. Etenim, « non posset mens intueri attributa Dei, quin ejus etiam essentiam intueretur, » eò quod in Deo attributa non discrepant ab essentiâ; quapropter, Ontologismus mitigatus sicut et absolutus rationi contradicit. Postulatum EE. Cardinalium his rationibus innititur : « Ontologismus viam latè sternit *rationalismo*... Viam sternit et *pan-*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

theismo... Ex Ontologismo sequitur et Eclecticismus... Etiam in ordine practico, qui in theoretico fundatur, pessimæ consequentiæ ex eadem doctrinâ inferuntur. » Posteà, Ill. ac RR. Pictaviensis Episcopus Concilii decretum explicans, ait : « La raison (n'a) pas de Dieu une vue *directe :* la pensée du Concile à cet égard ne peut être méconnue : c'est pourquoi, encore qu'ils soient atteints *indirectement*, l'*Ontologisme* d'une part, ni le traditionalisme et surtout le fidéisme de l'autre, ne sauraient tenir contre elle (*Instruct. synod.*, t. VII, p. 215). »

Aliundè, sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis Congregatio decrevit sequentem propositionem *tuto* tradi non posse : « *Immediata Dei cognitio*, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ità ut sine eâ nihil cognoscere possit; siquidem est *ipsum lumen intellectuale* (1861). »

Non videtur quo calle Ontologismi defensores fugam arripere possint, aut quomodò, post illa Ecclesiæ decreta, docere præsumant hanc duplicem propositionem, in quâ eorum systema reponitur : Immediata Dei visio naturalis est hominibus etiam in statu vitæ præsentis; et : Fontem cognitionum nostrarum ex illâ visione repetere debemus, sicque lumen divinum est ipsum lumen intellectuale.

4°, Ex Ontologismi *consectariis*. — Juxtà plerosque philosophos, Ontologismus ad lugenda consectaria saltem incautos propellere potest. Nempè, destruit facultates nostras, præsertim activitatem intellectûs, et animam in meram capacitatem convertit. Latam rationalismo necnon pantheismo viam sternit : rationalismo, nam, si semel intuitio Dei tanquam naturalis asseratur, jam ordo supernaturalis fit ad minùs inutilis, et distinctio specifica inter visionem gloriæ et intuitionem naturalem corruit : pantheismo præbet ansam; nam, ex unâ parte, lumen intellectûs est lumen divinum, et ex alterâ parte omnia videntur in Deo; tale igitur systema pantheismi scopulos legit. Alioquin, Ontologistæ non possunt existentiam Dei naturalistæ vel atheo, visionem immediatam respuenti, demonstrare; atheus enim sequens argumentum non admitteret : « Deum existentem percipimus; ergò, existit Deus. » Undè,

Tùm *indirectè* tùm *directè* probatur intuitivam Dei visionem, quocumque sensu accipiatur, hominibus in statu vitæ præsentis competere non posse; eâ de re, falsus est omnis Ontologismus, sive sit absolutus, sive mitigatus. « Deum igitur in similitudine suâ quæramus, in imagine suâ Creatorem agnoscamus (S. Aug.). »

V. Traditionalismum expone et confuta.

53. A fronte rationalismo Traditionalismus opponitur. Est enim systema eorum, qui originem cognitionum, saltem universalium, a magisterio externo et a traditione repetunt. Imprimis, de Bonald, mentis imbecillitatem exaggerans, docuit ideas omnes, præsertim universales et abstractas, non esse conceptus rationis humanæ, verùm ab extrinseco per magisterium et ope sermonis in mentem irrepere. Tales ideæ protoparentibus revelatæ fuerunt et in decursu sæculorum transmissæ sunt auxilio sermonis, qui pariter a Deo fuit revelatus, et, instar *vehiculi*, veritatem subvectat.

Nonnulli, duce Bonnetty, Traditionalismum rigidiorem emendare tentaverunt; nempè, juxtà eos, traditio solùm necessaria videtur ad acquirendas veritates *necessarias*, quæ ad dogmata religionis naturalis et ordinem moralem pertinent (1); ideas verò necessarias semel cognitas ratio demonstrat, aliasque detegit.

P. Ventura, Traditionalismi theoriam iterùm mitigare volens, asseruit ideas claras Dei, spiritualitatis et immortalitatis animæ nonnisi per traditionem innotescere; sed ratio, propriâ virtute, notiones universales, etiam dogmata religionis naturalis et præcepta moralia dignoscere potest; imò, Dei existentiam, animæ

(1) « Quand nous avons dit que la philosophie ne doit pas rechercher la vérité; par le mot vérité, nous avons entendu seulement les vérités de dogme et de morale nécessaires à croire et à pratiquer, enseignées en philosophie.....; mais nous n'avons nullement voulu comprendre le grand nombre de vérités, qui sont en dehors du dogme et de la morale obligatoires pour l'homme, ou qui en dérivent par voie de conséquence. » Bonnetty, *Annales de philosophie chrétienne*, vol. VIII.

spiritualitatem et immortalitatem, quùm eas per traditionem didicimus, demonstrare possumus et aliis comprobare.

PROPOSITIO.

Traditionalismus est falsus.

Traditionalismus originem idearum explicare nequit; nam, mentis evolutio non solùm a sermone vel a traditione non pendet, sed etiam sermo mentis evolutionem supponit, et magisterium non habendum est nisi tanquam instrumentum seu medium, per quod multas veritates viâ *breviori, communiori* et *tutiori* comparamus; ideoque, Traditionalismus, sive rigidus, sive benignus, rejici debet ut falsus.

Argumentum ex ipsâ *traditione* desumptum. — Traditionalistæ, rationem humanam deprimentes, traditionem extrà modum extollunt; sed, traditio Traditionalismum rejicit; ergò, Traditionalismus est rejiciendus. Major constat ex dictis. — Minor probatur. — Omnes philosophi, ducibus sanctis Patribus et theologis, paucis tantùm exceptis, unâ voce Traditionalistarum errorem directè vel indirectè profligârunt. Insignitè, diebus istis, sacra Indicis Congregatio romana et præcipuè Vaticanum Concilium docuerunt hominem, lumine rationis et intellectûs virtute, Dei existentiam, animæ spiritualitatem et immortalitatem certò cognoscere, et, saltem *implicitè*, Traditionalismi sententiam de origine idearum damnârunt. Aliundè, Traditionalismus experientiæ simul et rationi contradicit; sermo enim est idearum expressio; easque logicè non præcedit, sed consequitur. Voces ipsæ, quibus sermo coalescit, dicuntur idearum signa; sed, ratione originis, signum rem expressam antecedere nequit; ergò, ratione originis, voces subsequuntur ideas (1).

(1) « Il est des hommes qui sont tombés dans l'erreur en voulant trop défendre les droits de la révélation. D'après eux, la raison ne peut nous donner aucune certitude, et il n'y a pour nous qu'une source pure de vérité qui est la révélation. De là les systèmes de fidéisme et

Ex his omnibus infertur Sensismum, Inditismum, Ontologismum et Traditionalismum esse rejiciendos; eâ de re, systema scholasticum, de origine idearum, indirectè confirmatur. *)

ARTICULUS TERTIUS.

De sermone, quatenùs est idearum expressio.

I. Quid dicendum de origine sermonis?

(* 54. Psychologiæ prima pars esset incompleta, nisi præstantissimam de sermonis origine quæstionem, per modum coronidis, exponere tentaremus; sermo enim est signum et expressio cogitationis.

In eâ quæstione non agitur de scientiâ philologicâ seu linguisticâ, nec etiam de organis materialibus ad vocis prolationem necessariis; hæc enim ad philologiam et physiologiam pertinent. Tria solùm inquirere juvat : nempè, quid sit sermo *in se* sumptus, relativè ad *cogitationem*, et relativè ad *originem;* undè tria puncta : primum de *naturâ* sermonis, secundum de *relatione* sermonis ad ideas, et tertium de *origine* sermonis.

II. Loquere de naturâ sermonis in se sumpti.

55. Sermo in genere est *signum quodlibet*, aut *complexio signorum*, quibus utimur, ut cogitationes nostras et volitiones aliis manifestemus; undè, *signis* tanquam elementis sermo constituitur.

Signum distinguitur in *naturale* et *arbitrarium;* unum *naturale* appellatur, quià vi naturæ rem significatam designat, ut

de traditionalisme. On peut aussi ranger dans la même classe le consentement universel de M. de La Mennais, qui refuse toute certitude à la raison individuelle. De là le canon suivant : « Si quelqu'un dit que le seul Dieu véritable, notre Créateur et Seigneur, ne peut être connu avec certitude à la vue des choses créées, par la lumière de la raison humaine, qu'il soit anathème. » *Histoire du Concile œcuménique et général du Vatican*, 1869-1870, R. P. Sambin, S. J.; Cf. Concil. Vatic., *Const. dogmat.*, II, De revelatione; Proposit. 1855, proposit. II, III.

sunt clamores, lacrymæ, motus corporis, vocis modulationes; alterum autem *arbitrarium* dicitur, eò quod ex hominum placito et instituto pendet, sic laurus victoriam significat.

Sermo, qui signis naturalibus coalescit, dicitur *nativus* et omnibus competit hominibus, etenim, homo est « animal naturaliter politicum et sociale (*I Poster.*, lect. III), » necnon constat animâ et corpore; suas igitur cogitationes aliis communicare debet ope signorum sensibilium. De hujusmodi sermone non agitur in præsenti quæstione.

Sermo, qui conflatur signis arbitrariis, dici solet *acquisitus*, eò quod homines illum ediscere consuescunt, et per educationem accipere. Dividitur in *gesticulatum*, *articulatum* et *scriptum*, prout gestibus, vocibus articulatis, vel scripturâ coalescit. Sermo gesticulatus, in quantùm est acquisitus et arbitrarius, complectitur varios motus corporis, præcipuè manuum, et ex hominum conventione fuit institutus ad surdos-mutos erudiendos (1). Sermo articulatus, de quo philologi uberrimè disserunt, multò præstantior est sermone gesticulato et ab omnibus hominibus cùm doctis tùm indoctis adhibetur. Est complexio sonorum, quibus homines utuntur, ut suas cogitationes et affectiones sibi invicem manifestent. Sermo scriptus, qui dicitur etiam ultima sermonis forma, est collectio characterum, qui, ex hominum placito, ideas exprimunt : Quandò scriptura ideas directè et immediatè repræsentat, vocatur *ideographica;* talis est Sinensium scriptura. Dicitur *alphabetica* seu *phonetica*, quandò directè sonos, ideas verò indirectè significat; ex. gr., Gallorum aliorumque populorum Europæ scriptura. Ea nuncupari solet *hieroglyphica*, quæ, juxtà probabiliorem sententiam, est partim

(1) Illius sermonis inventor fuit abbas de Lépée, 1712-1789. « Touché du sort de deux jeunes filles sourdes et muettes (l'abbé de Lépée), tenta de faire entrer par leurs yeux, dans leur esprit, au moyen du dessin et de l'alphabet manuel, ce qui est entré dans le nôtre par les oreilles... Il parvint en 1755 à fonder une institution de sourds-muets, la première qui ait existé. » Bouillet, *Diction. univ.* — Cf. *Véritable manière d'instruire les sourds-muets*, par l'abbé de Lépée; *Vie de l'abbé de Lépée*, par F. Berthier.

ideographica et partim phonetica; fuit apud Ægyptios olim usitata, ut constat e monumentis adhuc exstantibus.

III. Loquere de relatione sermonis ad ideas.

56. Traditionalistæ omnes, de quibus dictum est suprà, necessitatem sermonis diverso sensu propugnârunt : de Bonald apertè docuit sermonem esse necessarium ad acquirendas notiones ad minùs abstractas et generales (1); posteà, traditionalistæ mitigati docuerunt ideas metaphysicas et morales, aut saltem ideam distinctam et claram Dei, spiritualitatis et immortalitatis animæ, sine sermonis auxilio, comparari non posse. Rosminius tandem, Giobertius, R. P. Romanus et quidam alii docent auxilium sermonis, subsidiumve societatis esse necessarium, ut mens nostra suprà seipsam sese reflectere possit. Adversùs hos omnes philosophos, sit una

PROPOSITIO.

Utilitas sermonis in dubium revocari non potest, illius verò necessitas, quocumque sensu accepta, propugnari nequit.

Prima pars propositionis, de utilitate sermonis, ab omnibus philosophis admittitur, et jurè loquela dicitur vinculum societatis, viaque *brevior, communior* et *tutior* ad verum assequendum.

Pars altera propositionis probatur. — Sermo non requiritur, sed sufficit intellectus ad adipiscendas notiones, sive abstractas et generales, sive metaphysicas et morales, sive claras, distinctas et reflexas.

Primò quidem, sermo non est necessarius ad veritates ab-

(1) « Nous ne pouvons penser sans paroles... L'homme ne pourrait même mentalement dire : je pense, sans paroles intérieurement prononcées..... Sans cette première instruction, que l'homme ne s'est certainement pas donnée à lui-même, il ne pourrait pas plus que l'animal, dire : je pense; etc. » *Sur un dernier ouvrage de M. de La Mennais.* — *Item,* Aug. Nicolas, *Etudes philosophiques sur le Christianisme.*

stractas et generales acquirendas; etenim, sine sermonis auxilio, ut jam multoties probatum est, objecta exteriora sensus immediatè percipit, et intellectus virtute suâ naturali essentiam eorumdem objectorum abstrahit, eamque cognoscit modo universali et immateriali.

Secundò, sermo non est necessarius ut veritates metaphysicas et morales assequi possimus; nam, e veritatibus abstractis et generalibus ad alias veritates, ope judicii et ratiocinii, mens assurgit; ex. gr., notionibus causæ et effectûs cognitis, judicamus nullum effectum esse sine causâ, et exindè per ratiocinium ad existentiam Dei pervenimus; posteaque, relationes inter Deum et hominem perspicere possumus, nec non juris et officii notiones comparare.

Tertiò tandem, notitiæ rerum *directè* per abstractionem cognitæ, actualiter existunt in intellectu; sufficit igitur ut suprà seipsam anima sese reflectat, ad easdem notitias clarè, distinctè et *reflexè* dignoscendas.

Propositio confirmatur experientiâ; nam, sæpè concipiuntur ideæ, licet ad eas exprimendas termini deficiant. Item, surdomuti, sine sermonis auxilio non paucas adipiscuntur ideas generales, claras et morales : « Sciendum est, ait Sanseverino, omnes hodiernos institutores surdo-mutorum in eo convenire, quod surdo-muti, si satis ætatis habeant, et nullo vitio organico corporis laborent, non mediocri copiâ conceptuum et cognitionum instructos inveniri, cum domos educationis ingrediuntur (*Ideol.*, n. 83). »

Aliundè, vocabula, quibus sermo coalescit, ab hominum placito pendent, et non sunt ideæ signum naturale, sed *conventionale;* sic, e naturâ suâ vox *homo* non magis animal rationale, quam equum aut avem designat. Ergò, ex his aliisque similibus probatur ea propositio : licet *utilitas* sermonis in dubium revocari non possit, illius tamen *necessitas*, quocumque sensu accepta, propugnari nequit.

IV. Loquere de origine sermonis.

57. Circà præsentem quæstionem tres sententiæ prodierunt.

Traditionalistæ, sermonis necessitatem asserentes, autumant sermonem *articulatum* a Deo fuisse de *facto* revelatum; imò, secundùm illos auctores, homo sermonem articulatum nunquam invenire *potuisset*, sine revelationis auxilio.

Alii verò, præsertim Epicurei veteres, deistæ seculi proximè elapsi, philosophi deismo faventes, omnesque præsentis ævi naturalistæ et rationalistæ, contendunt homines non solùm invenire *potuisse*, verùm etiam de *facto* sermonem articulatum invenisse.

Non pauci tandem, mediam sententiam propugnantes, dicunt sermonem de *facto* fuisse protoparentibus a Deo revelatum; illum verò, juxtà eosdem philosophos, homo, lapsu temporis, invenire potuisset : « Licet ad *factum* quod pertinet, ait R. P. Liberatore, sermo infusus primo homini fuerit, tamen ad *possibilitatem* quod spectat, homo, ratione utens et sermocinandi virtute donatus, sermonem per se reperire potuisset (*Psychol.*, IV, 135). »

Ad solutionem hujus difficultatis, tria proponimus : (A.) Certum est sermonis articulati cognitionem a Deo fuisse de *facto* protoparentibus infusam, ut constat e libro Genesi et antiquorum populorum traditionibus, necnon comparatione linguarum.

(B.) Probabilius est omnia populorum idiomata, cùm apud antiquos, tùm apud recentes, a *linguâ primigeniâ*, quæ *voces radicales* cæterarum linguarum capiebat, originem duxisse : « Les philosophes allemands sont parvenus à démontrer l'*identité* de toutes les langues comprises sous le titre de langues indo-européennes (Delatre). »

(C.) Homines de *facto* sermonem *articulatum*, quem Deus protoparentes edocuit, in varia idiomata, populorum moribus et ingeniis accommodata, transmutârunt; prætereà, *scripturam* et sermonem *gesticulatum* invenêre. Potuissent etiam invenire sermonem quemdam articulatum; nam, idea non pendet a sermone, et connaturale est hominibus ut sibimetipsis invicem cogitationes suas et volitiones manifestent (1). *)

(1) Hic philosophi non pauci comprobant loquelam solis hominibus

SECUNDA PARS PSYCHOLOGIÆ

DE

ANIMA.

I. Quomodo dividitur secunda pars, De anima?

58. In secundâ parte, tria quærenda sunt; nempè : *quid sit* anima; *undè* sit; et utrùm futura sit *immortalis*. Proindè, tria sint capita : I, De *essentiâ* animæ; II, De *origine* animæ; III, De *immortalitate* animæ.

CAPUT PRIMUM.

DE ESSENTIA ANIMÆ.

II. Quomodo dividitur caput primum, De essentiâ animæ?

59. In hoc capite duo sunt dicenda; primò, mens humana est *simplex* seu *immaterialis;* secundò, mens humana est *spiritualis*, id est e naturâ suâ non *pendet* a materiâ. Undè, duo sint articuli : 1^us^, De *simplicitate* animæ, 2^us^, De *spiritualitate* animæ.

inter animantia competere : « L'Orang-outang et les autres singes plus rapprochés de l'homme par la conformation de la tête et du cerveau, sont tout à fait incapables d'articuler une parole, parce qu'ils ont le larynx percé de manière que l'air en descendant dans la trachée-artère, entre et se perd dans les cavités membraneuses intérieures. Nouvelle preuve plus évidente que la parole est le privilége exclusif de l'homme. » R. P. Liberatore, *Le Composé humain*, c. II; Cuvier, *Le règne animal, Mammifères.*

ARTICULUS PRIMUS.

De simplicitate animæ.

III. Quid est anima?

60. *Anima est, substantia simplex et spiritualis, corporis forma.* Dicitur *substantia*, quià non est, ut quidam opinati sunt, peculiaris *modus* essendi corporis, nec facultatum *collectio*. Vocatur *simplex*, et hoc duplici sensu : non constat *duobus* pluribusve *principiis;* et non habet *partes extensas :* seu, ut aiunt scholastici non componitur *materiâ* et *formâ;* meritoque dicitur prorsùs *immaterialis*. Anima est substantia *spiritualis*, et hac voce distinguitur ab animâ belluinâ, quæ spiritualitate non gaudet. Est *corporis forma*, sicque differt a substantiis separatis, videlicet a Deo et ab Angelis; Deus enim et Angeli sunt substantiæ simplices atque spirituales, et insuper corpus materiale non informant (1).

(1) (* Nota : Sanctus Thomas, duplex principium operationum animæ secernens, nempè *proximum* et *remotum*, facultatem vocat « *principium proximum* operationis animæ; » mentem verò definit « *primum principium vitæ* (*Sum. Theol.*, I, 75, a. 1 et 78, a. 4), » seu principium remotum quo, mediantibus potentiis, actus vitales exeruntur. Animam non aliter definit Aristoteles, dicens : « Anima est id quo vivimus, et sentimus, et intelligimus *primo* (*De animâ*, l. II, c. II); » videlicet est primum principium quo vivimus, et sentimus, et intelligimus. Voces autem anima, animus, mens, spiritus, *univocè* sonant in decursu *Psychologiæ;* verumtamen, anima stricto sensu designat substantiam quâ vivimus; animus exprimit activitatem illius substantiæ; mens et spiritus ordinariè significant substantiam, non solùm simplicitate, sed etiam intellectu et voluntate præditam. — Ad rem sanctus Augustinus : « Dicitur anima, inquit, dùm vegetat; spiritus, dùm contemplatur; sensus, dùm sentit; animus, dùm sapit; mens, dùm intelligit; dùm discernit, ratio; dùm recordatur, memoria. » *De Spiritu et Animâ*, c. XIII. *)

IV. Utrum anima est simplex?

61. Alibi dicendum est de *spiritualitate* animæ, necnon de illius *relatione* ad *corpus* nostrum; hìc igitur solummodò dicere oportet de *simplicitate* et *immaterialitate* mentis humanæ. Undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Anima est substantia simplex.

Probatur argumento generali. — Quatuor hypotheses fingi possunt : vel *dubium* est animam existere; vel anima non est substantia, sed mera *facultatum* nostrarum *complexio;* vel est *substantia materialis;* vel est *substantia simplex*. Sed prima, secunda et tertia hypothesis est falsa; ergò, quarta est vera. — De facto, circà præsentem quæstionem quatuor sententiæ prodierunt : *dubium* scepticorum, opinio quorumdam *sensistarum*, portentum *materialismi*, et doctrina *sanæ* philosophiæ. Sceptici nonnulli dixerunt animæ simplicitatem in *dubium* esse revocandam; sensistæ decreverunt animam nihil aliud esse, nisi fasciculum et *complexionem* affectionum vel potentiarum, sine substantiâ ab his facultatibus distinctâ; materialistæ contenderunt animam a *corpore*, et facultates nostras a proprietatibus materiæ nullo modo differre. Sanæ verò philosophiæ cultores unà voce docuerunt et docent animam esse *substantiam simplicem*, a materià distinctam; et reverâ scepticorum, sensistarum et materialistarum sententiæ rationi contradicunt; undè, vera est et ab omnibus admittenda sanæ philosophiæ doctrina de immaterialitate mentis humanæ.

1°, Exponitur et rejicitur *scepticorum* opinio.

Quidam philosophi, existentiam animæ palam rejicere nolentes, argumenta, quibus ea demonstratur, inficere

conati sunt. Imprimis, Theodorus Jouffroy contendit immaterialitatem animæ esse meram hypothesim, nullâ probatione scientificâ suffultam, quæ habenda est ut incerta, nisi progressus novo lumine Psychologiam illustret (*Esquisse de Philos.*).

Dubium autem scepticorum de mentis existentiâ rationi contradicit. Enimverò, tria certa sunt, in præsenti quæstione : videlicet, homo sentit, vult et cogitat; sensatio, cogitatio et volitio non existunt sine subjecto, seu ratione sufficiente; sola ratio sufficiens et intrinseca sensationis, cogitationis ac volitionis, ut infrà videbitur, est anima, nempè substantia simplex, a materiâ distincta; ergò, certum est animam existere.

2°, Exponitur et rejicitur *sensistarum* opinio.

Nonnulli, duce Protagorâ cum veteribus sensistis (Laert., l. IX), animam a corpore quidem distinguendam esse dixerunt; sed eam a sensibus ipsis, vel a collectione facultatum, aut etiam a complexione affectionum, non secernendam esse putârunt. Hujus erroris patroni, imprimis Locke, Hume, Condillac, Volney, de Tracy, « substantialitatem » animæ rejicientes, ad materialismum accedunt; imò, si Lockium audire velimus, tanta est Dei virtus, ut facultatem cogitandi materiæ tribuere possit.

Adversùs illos, sic argumentari licet : vel facultates sunt *proprietates* cujusdam substantiæ, vel ipsæ sunt *substantiæ;* nam, ens omne vel est accidens, vel substantia. Si prius, ea substantia, cui facultates adhærent, non potest esse corpus materiale, juxtà sensistas ipsos; ergò, in hac hypothesi, existit substantia simplex, cui facultates inhærent, scilicet anima. Si posterius, jam non una, sed tot sunt animæ quot facultates, quod ipsi sensistæ non admittunt; undè, sensismus, quocumque

modo propugnetur, falsò concludit, solaque anima potest haberi tanquam subjectum, cui facultates adhærent.

Aliundè, Lockius et sensistæ nonnulli animam definiunt, « complexionem qualitatum, quas sensu percipimus, ignotâ ratione coexistentium; » sed qualitatum complexio seu fasciculum effici nequit, nisi mediante vinculo communi, nempè substantiâ; ergò, facultates necessariò requirunt substantiam, cui tanquam subjecto hæreant. Idcircò, sensismus omnis est rejiciendus, quià principium *primarium* et rationem *sufficientem* operationum nostrarum non exhibet.

3°, Exponitur et rejicitur *materialismi* portentum.

Materialistæ omnes simplicitatem animæ rejiciunt; sed varia moliti sunt systemata, cùm apud veteres, tùm apud recentiores. Democritus, Epicurus, plerique stoici docuerunt animam esse corpoream, licet ab ipso corpore distinctam (Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 84, a. 2). *Physiologi* non pauci, ducibus Aristoxeno et Galeno, non secernunt animam ab *organismo* physico; quarè, materialismus eorum dici potest physiologicus, seu *mechanicus*. Præ cæteris Helvetius, d'Holbach, Cabanis, Broussais, et alii saltem inter medicos, facta psychologica, deindè facultates nostras ad sensationem revocare conantur, et ipsam sensationem ab *organismo* physico pendere contendunt. Eapropter, anima non est substantia immaterialis a corpore distincta, et cognitiones vel affectiones ab excitatione nervorum prodeunt; undè, cogitatio dici debet *secretio* naturalis cerebri, quemadmodùm in nutritione alimentorum digestio vocatur secretio stomachi.

Alii autem, præsertim inter materialistas Germanos, et positivistas in Gallià vel in Anglià vigentes, omnia vitæ phænomena, sensibilitatem, intelligentiam et affectiones tribuunt activitati viribusque physicis, quibus

corpora sunt prædita; quapropter anima est complexio functionum, quæ non solùm ex organismo, sed etiam e viribus istis resultant. Tale systema, quod dicunt *materialismum dynamicum*, propugnant Büchner, Moleschott, Littré, Tyndall, Hebert-Spencer, aliique nonnulli scientiis chimicis et physicis addicti.

Materialismus autem sive veterum sive recentiorum, sive *mechanicus*, sive *dynamicus*, falsus est; reverà, nec a materiæ viribus, nec ab organismo, nec a qualibet aliâ corporum proprietate, sed a substantiâ simplici cogitationes et volitiones procedere possunt, ut ex *ratione*, ex *auctoritate* et ex materialismi *consectariis* demonstratur.

1°, Simplicitas animæ demonstratur ex *ratione*.

Ex naturâ *cognitionis* et *volitionis*. — Principium a quo procedunt cogitationes et volitiones non potest esse substantia duabus pluribusve substantiis etiam simplicibus *composita;* a fortiori nequit esse subjectum quoad partes suas integrantes *extensum*, seu *quantitate* præditum. Undè, anima dicitur simplex et in essentiâ et in partibus suis integrantibus (1).

Probatur. — Inter actum et agens proportio requiritur; aut etiam, « *operari sequitur esse*, » ut aiunt scholastici. Sed, cognitio et volitio *sunt simplices*, ut evidenter apparet. Ergò, anima, seu principium cognitionis et volitionis, est omnimodò *simplex*. — *Major* patet et in dubium revocari nequit. Nam, omnis causa secundùm naturam viresque sibi proprias operatur; et sic inter essentiam, potentias et operationes agentis proportio necessaria requiritur : « Cum virtus sit media inter essen-

(1) Ecce verba Tullii : « In animi cognitione dubitare non possumus, nisi *planè in physicis plumbei* sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. » *Tuscul.*, lib. 1, n. 29.

tiam et operationem, ait Sanctus Doctor, oportet quod virtus et operatio cujuslibet rei proportionetur essentiæ ejus (*Quodlib.* VI, a. 2). » *Minor* probatur; id est, in cognitionibus nostris et volitionibus nil compositum et extensum reperitur.

(A.) Cognitio dicitur expers omnis compositionis et extensionis; nam, ope perceptionis, judicii et ratiocinii, veritatem *universalem*, *immaterialem*, *absolutam* assequimur; præterita recordari, quinimò futura quodam modo prævidere possumus; ideas virtutis, Dei, æternitatis, substantiæ spiritualis acquirimus. Cognitiones autem hujusmodi, non solùm omnis quantitatis, sed etiam omnis compositionis expertes esse constat; reverà, quænam sit extensio, quantitas aut compositio hujus axiomatis : non est effectus sine causa? vel illius : omne bonum est amandum? Ad rem D. Receveur : « La pensée, le jugement, les actes volontaires, sont des modifications simples, immatérielles, qui ne présentent aucune forme sensible, et qui n'ont absolument rien de commun avec les propriétés des corps; leur caractère distinctif, c'est l'*unité absolue*, la conscience les saisit et les embrasse dans leur ensemble par une perception indécomposable et qui exclut toute idée de fraction et d'étendue (*Encycl.*). »

(B.) Item, in volitione qualitates a materiâ prorsùs alienæ inveniuntur : reverà, spontaneitas, electio, libertas competunt hominibus ratione pollentibus; unusquisque ad bonum cognitum fertur activitate propriâ, et legibus mechanicis non regitur, imò sæpiùs eis obsistit (1). Volitiones istæ compositionis et extensionis sunt

(1) Fontenelle ad rem scitissimè scripsit : « On sait que, dans l'action des forces mécaniques, l'effet se proportionne toujours exactement à sa cause; mais, dans nos mouvements volontaires, ce principe n'a

expertes; proindè dici non possunt corporum proprietates; et sanè actus quo justitiam diligimus, amor veritatis, et spes æternæ felicitatis a materiâ produci nequeunt. Stat igitur conclusio, nempè : principium, a quo procedunt cognitiones et volitiones, non est quoad essentiam compositum, nec extensum quoad partes suas integrantes; scilicet anima est *simplex* et *immaterialis :* « Quomodò, ait Eusebius, quod magnitudo quædam est, id quod magnitudine careat, et quod dividuum est rem percipiat individuam (*Præp. Evang.*, l. XV, c. XXII). »

Ex *vitâ.* — Additur adversùs materialistas hodiernos : homo vivit; sed, materia non potest esse principium vitæ; ergò, principium vitæ est substantia immaterialis, videlicet anima. — Major est evidens. Minor probatur. — Materia e naturâ suâ non est principium vitæ, aliter enim omne corpus esset vivens, eò quod *esse materiale* est aliquid *commune omnibus* corporibus : « Manifestum est, ait Sanctus Thomas, quod esse principium vitæ vel vivens, non convenit corpori ex hoc quod est corpus; alioquin

plus lieu. Une boule, par exemple, que j'aurai jetée ne communique à une seconde boule qu'un mouvement proportionnel à celui que ma main aura imprimé à la première; mais que je dise à quelqu'un à l'oreille : Il y a des archers qui vous guettent au coin de la rue pour vous prendre; aussitôt mon homme se met à courir à toutes jambes. On voit bien qu'il n'y a aucune proportion entre ce peu de paroles dites à l'oreille, ou, si l'on veut, entre l'ébranlement qu'elles causent au cerveau de cet homme, et l'impétuosité de la course qui en est l'effet. Qu'est-ce donc qui s'interpose entre ces deux choses? Une idée de danger et ensuite une volonté de fuir, laquelle imprime aux jambes ce mouvement violent. Or, cette idée, qu'une faible impression de l'air vient d'exciter, cet acte de vouloir qui fait à son tour sur le corps des impressions si puissantes, démontrent dans l'âme un principe interne d'action auquel le corps obéit. » Et concludit : « Donc notre âme est immatérielle. »

omne corpus esset vivens aut principium vitæ (*Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 13). » Huic argumento respondent hodierni materialistæ : fatemur materiam inorganicam non esse cogitationis capacem ; sed vim cogitandi sortitur per aptissimam organorum, præcipuè cerebri, dispositionem. — Illud physiologorum vel dynamistarum systema triplici vitio laborat. Primò, corporum organisatio, licet perfectissima, materiæ naturam mutare nequit. Secundò, talis organisatio non est ipsius vitæ principium, sed effectus qui producitur ab ipso vitæ principio ; undè, materialismus nihil aliud est, nisi *circulus vitiosus*. Tertiò tandem, si rerum materialium organisatio vitam gigneret, caput aut quodlibet organum a chimicis artificiosè confectum, viveret ; porrò, adversarii tale prodigium in gratiam materialismi nondùm afferre potuerunt. Ergò, concludere licet animam, seu substantiam immaterialem, esse vitæ principium : « Anima igitur quæ est primum principium vitæ, inquit S. Doctor, non est corpus, sed corporis actus (*Loc. cit.*). »

Ex *unitate subjecti* operationum nostrarum. — Ut conscientia testatur, unum et idem est subjectum affectionum et operationum nostrarum, etiamsi affectiones et operationes hujusmodi sint diversæ, imò *oppositæ ;* v. gr., eodem instanti, pedes frigoris et manus caloris phænomena experiri possunt ; attamen idem subjectum dicit : frigus et calorem *experior*. Porrò, illud dici non potest, nisi subjectum, in quo recipiuntur illa phænomena, sit simplex et inextensum ; nempè, si frigus in subjecto A, calor autem in subjecto B recipiuntur, unum et idem subjectum dicere nequit : frigore et calore afficior. Ergò, simplicitas animæ demonstratur ex *unitate* subjecti operationum nostrarum.

2°, Simplicitas animæ demonstratur *ex auctoritate*. —

Simplicitas animæ est una earum veritatum, de quibus homines errare non possunt; nisi enim anima sit immaterialis, libertas, jus, officium, omnis moralitas, spes vitæ futuræ et cetera hujusmodi concipi nequeunt, ut evidens est. Sed, omnes homines omnium temporum et omnium gentium, sive exculti sive sylvestres, crediderunt nobis inesse principium a materiâ distinctum; fides enim illa constans et universalis probatur et ex *idiomatibus* populorum, in quibus anima designat principium a materiâ distinctum, et ex *historiâ*, quæ testatur dogma spiritualitatis animæ fuisse receptum apud omnes populos, et ex *erroribus* paganorum, qui animam non solùm homini, sed plantis et sideribus inditam esse decreverunt. Ergò, ex hominum consensu, saltem implicitè, probatur existentia principii a materiâ distincti, videlicet animæ simplicis et immaterialis.

3°, Simplicitas animæ probatur e *lugendis* materialismi *consectariis*. — Illud systema est falsum, quod propellit ad nefanda consectaria; sed, materialismus propellit ad nefanda consectaria; ima enim *scientiæ*, *artis* et *moralitatis* fundamenta diruit; ergò, falsum est.

(A.) Materialismus fundamenta *scientiarum* evertit; et verò, fautores hujus systematis nil nisi materiam admittunt; sed, materia est contingens, mutabilis, finita, dùm prima scientiarum principia sunt æterna, necessaria, immutabilia. Materialismus etiam, nobiliora cognitionum objecta, nempè Deum, animam, substantias omnes extrà scientiam ablegans, factis tantùm et phænomenis studere præsumit. Ergò, materialismus evertit scientiarum fundamenta.

(B.) Materialismus *artis* fundamenta diruit, quià veram pulchri notionem attingere nequit, et, inspirationem præfocans, peritiam in imitatione servili naturæ reponit;

eâ de re, naturalismum abjectum crassumque sensualismum redolent hodierna materialistarum opera. Quod materialismus artis fundamenta evertat, nihil est evidentiùs; nam, ut vidimus in *Ontologiâ* (n. 55), fons et origo pulchritudinis, quæ arte exprimitur, est in Deo, perfectissima autem hujus pulchritudinis *imago* est in mente humanâ, quam materialistæ e medio tollere nituntur.

(C.) Materialismus tandem *moralitatis* fundamenta destruit; etenim, existentiâ animæ semel rejectâ, libertati fatalismus seu « determinismus, » ut aiunt, charitati « altruismus, » virtutibus et vitiis complexio functionum organismi physici substituuntur; homo quidem est machina et automaton. Exindè moralitas, religio et societas funditùs corruunt, nefandumque *socialismi* commentum gignitur, ut experientiâ constat.

Ex his omnibus sequens illatio legitimè infertur : ea propositio est certissima, quæ probatur ex *ratione*, ex *consensu* populorum et philosophorum, necnon ex *lugendis* consectariis sententiæ oppositæ; atqui, talis est propositio de simplicitate animæ; ergò, certissima est; videlicet : operationes nostræ seu facta psychologica existentiam substantiæ simplicis et immaterialis, animæ scilicet humanæ, comprobant.

Undè cum egregio philosopho dicere fas est : « Pour moi, je ne me suis jamais senti l'âme plus sereine dans la possession de la vérité qu'en achevant cette étude sur une doctrine qui se présente avec une confiance si hautaine au nom de l'esprit moderne, et qui, même abstraction faite de ses conséquences, fortifie le spiritualisme de toute l'impuissance de ses attaques contre lui. Au fond, le matérialisme n'est pas plus redoutable chez M. Büchner que chez Broussais, ni que chez Cabanis, ni que chez La Mettrie, ni que chez Hobbes, ni que chez

Épicure ; et ce serait un grand signe de décadence intellectuelle si jamais, ce dont Dieu nous préserve ! il venait à compter dans la philosophie. Sa vraie place est dans la sophistique ; il y restera (Am. de Margerie, *Philos. contemp.*, p. 226). »

V. Quomodo solvuntur difficultates ?

(* 62. Obj. I. Proprietates simplices inveniuntur in rebus corporeis, ut attractio, affinitas ; sed, proprietates illæ a materiâ dimanant ; ergò, a pari, cogitationes, volitiones ceteraque vitæ phænomena materiæ tribui possunt (1).

(1) « Peut-être ne serons-nous jamais capables de connaître si un être purement matériel pense ou non, par la raison qu'il nous est impossible de découvrir par la contemplation de nos propres idées, sans révélation, si Dieu n'a point donné à quelque amas de matière disposée comme il le trouve à propos, la puissance d'apercevoir et de penser. » Locke, *Essai sur l'entendement humain*, l. IV, c. III, 6. Lockius confutatur a doctore Stillingfleet. — « La conscience est un fait d'innervation intra-cranienne. » « Le sentir ne peut être considéré que comme une fonction du cerveau. » Broussais, *De l'irritation et de la folie*. Juxtà eum, anima definiri potest : « L'ensemble des organes externes.... et des viscères internes..., à l'aide desquels nous recevons les excitations ou les stimulations... des milieux. » — Cf. A. de Margerie, *Philosophie contemporaine*, p. 178. — Littré, *Dictionnaire des sciences médicales*. — « L'âme est l'ensemble des fonctions morales et intellectuelles dévolues au cerveau. » — « L'âme est une fonction du système nerveux. » *Ibidem*. — « C'est la *materia* organisée qui vit ; nulle materia organisée sans vie, nulle vie sans materia organisée. Poursuivant l'analyse, une certaine partie de materia organisée, materia *nerveuse*, qui, aux propriétés du monde inorganisé, en joint une dernière ; nulle materia nerveuse sans cette propriété, nulle qualité nerveuse sans cette materia. » *De la matière, de la vie et de l'esprit*, par André Nuyter, 1874. — « Les chapeliers savent très-bien que les classes cultivées ont besoin de plus grands chapeaux que les classes du bas peuple. » Büchner, *Force et matière*. — Respondet R. P. Caussette : « Le bon sens populaire s'est rappelé la place occupée par les perruques et les toupets dans les chapeaux des classes cultivées, et a

Resp. *Concedo majorem ; nego minorem.* Nam, ut vidimus in Cosmologiâ (n. 36), vires physicæ, ut sunt attractio et affinitas, supponunt principium a materiâ distinctum. Aliundè, *nego paritatem ;* ideoque, *nego consequens ;* phænomena enim, quæ viribus physicis produci solent, ordinem materialem non transcendunt, ut, v. gr. motus siderum et cohæsio partium, quibus idem corpus coalescit; sed, objectum cogitationis et volitionis est aliquid spirituale, absolutum, necessarium et immutabile; utputà, Deus, verum, bonum in genere.

Obj. II. Anima gerit vices corporis; ex. gr. augetur, minuitur, debilitatur cum ipso corpore. Ergò, anima non differt a corpore.

Resp. *Distinguo antecedens :* anima gerit vices corporis, quoad *naturam* suam seu *essentialiter, nego ;* quoad *exercitium* suum seu *per accidens, subdistinguo :* in iis operationibus, quæ ad partem *sensitivam* referuntur, *concedo ;* ità, deficiente oculo, deficit sensatio visûs : in iis, quæ referuntur ad partem *rationalem, nego ;* sæpè enim, ut constat, labentibus annis et corpore debilitato, *scientia* et virtus augentur. Ecce verba sancti Thomæ : « Si autem aliqua virtus animæ debilitetur, debilitato corpore, hoc non est nisi per accidens, in quantùm scilicet virtus animæ indiget organo corporali, sicut visus debilitatur, debilitato organo, per accidens tamen. Si enim ipsi virtuti per se accideret aliqua debilitas, nunquàm restauraretur organo reparato. Videmus autem quòd, quantumcumque visiva vis videatur debilitata, si organum reparetur, vis visiva restauratur : undè dicit Aristoteles quòd si senex accipiat oculum juvenis, videbit utique sicut juvenis (*Cont. Gent.*, l. II, c. 79). »

Obj. III. Antè Cartesium, vix unus fuit sive apud Judæos, sive apud Christianos, sive apud Philosophos aut ceteros homines, qui simplicitatem animæ cognoverit. Ergò, simplicitas animæ demonstrari nequit ex *auctoritate.*

tourné le dos sans répondre. » *Bon sens de la foi.* — Addit Gratiolet : « Quel dommage que cette méthode soit si incertaine ! nous aurions des intelligences de 1,000 grammes, de 1,500 grammes, de 1,800 grammes. Mais ce n'est pas tout à fait aussi simple. »

Resp. *Nego antecedens* et *consequens*. Simplicitas quidem animæ demonstratur *ex auctoritate generis humani, philosophorum et Ecclesiæ*.

(A.) Ex auctoritate *generis humanis*. — Etsi genus humanum non habuerit ideas explicitas ac propriè philosophicas, de naturâ corporum et spiritualitate animæ, constat homines omnium temporum et omnium gentium, tùm excultos, tùm sylvestres, firmiter et constanter tenuisse nobis inesse spiritum, a materiâ distinctum, quo vivimus, sentimus, cogitamus, et qui, dissoluto corpore, futurus est immortalis. Sed, genus humanum circà veritatem hujus momenti errare non potuit, ut probatum est in logicâ; quapropter, ex hominum consensu probatur existentia principii a materiâ distincti, videlicet animæ. — Constat major ex *idiomatibus* populorum; nam, apud omnes populos, voces anima et spiritus, ut testatur ipse d'Holbach, designant principium operandi, a quo procedunt actus sensationis, cogitationis et volitionis; dùm, econtrà, voces materia et corpus aliquid passivum et extensum significant. Constat ex *historiâ* universali; nempè, dogma spiritualitatis animæ fuit receptum apud Hebræos, Ægyptios, Persas, Indos, Sinenses, Græcos, Romanos, Scythas, Germanos, Gallos aliosque veteres et recentes populos; ità ut Bergier argutè scripserit : « Il aurait été plus court de citer une nation qui eût professé une croyance contraire; jusqu'à présent, l'on n'en a connu aucune. » Constat ex *erroribus* paganorum; enimverò, talis fuit populorum fides immaterialitati animæ, illiusque a corpore distinctioni, ut non pauci in errores materialismo prorsùs oppositos lapsi fuerint; ex gr., pagani plerique spiritum, seu quoddam genium esse motùs principium, etiam in plantis et sideribus, autumarunt; item, Ægyptii Gallique putaverunt animam esse divinitatis emanationem, vel particulam.

(B.) Ex auctoritate *philosophorum*. — Non parvi refert thesim nostram comprobare testimonio philosophorum, et præcipuè veterum; non desunt enim hujus sæculi materialistæ, qui contendant doctrinam immaterialitatis animæ esse recentem et a Cartesio primùm edoctam fuisse. Adversùs eos asserere fas est

illustrissimos et quamplurimos tùm apud veteres, tùm apud recentes philosophos immaterialitatem animæ palam esse professos, ut indubium est iis omnibus, qui philosophiæ historiæ studuerunt.

Imprimis apud veteres, illud dogma magnificant inter alios Pythagoras, Plato, Aristoteles, Plutarchus, Xenocrates, Cicero, Longinus, Plotinus, et plerique sive Platonis sive Aristotelis discipuli. Quorum nonnulla testimonia referre juvabit. Plato dixit : « Animadverte, o Libes, ipsi *divino*, immortali, intelligibili, uniformi, *indissolubili*, semper eodem modo et secundùm eadem se habenti, animum esse simillimum (*Phædo*). » Aristoteles asserit animam ex elementis minimè conflari, neque vocari posse meram harmoniam, et ait : « Anima est id quo vivimus, et sentimus, et intelligimus primò; quocircà est *ratio* quædam et *forma*, non ut *materia* et subjectum (*De animâ*, l. II, c. VII, 16-19). »

Eamdem doctrinam eloquentia sublimi Tullius expressit, dicens : « Animorum nulla in terris origo inveniri potest; nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terrâ natum atque fictum esse videatur. Nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod et præterita teneat, et futura provideat, et complecti possit præsentia : quæ sola divina sunt (*Tuscul.*, l. I, n. 27). »

Ævo præsenti, fatentibus ipsis materialismi fautoribus, philosophi ferè omnes animæ spiritualitatem professi sunt. Idem sanè dicendum est de scholasticis Ævi-Medii, et futilis est assertio quorumdam materialistarum, juxtà quos simplicitas animæ penitùs ignota fuit antè Cartesium. Omnia recentiorum testimonia compendiosè resumit Bossuetius, dicens : « L'âme est une chose faite à l'image et à la ressemblance de Dieu; c'est là sa nature, c'est là sa substance... Ce n'est ni un souffle, ni une vapeur, ni un feu subtil et continuellement mouvant. Ni l'air, ni le vent, ni la flamme, quelque déliée qu'on l'imagine, ne portent l'empreinte de Dieu. L'âme n'est point composée; elle n'a ni étendue, ni figure; car Dieu dont elle est l'image, et

à qui elle doit être éternellement unie, n'en a point non plus. Qui verrait une âme croirait en quelque sorte voir Dieu; comme on voit en quelque sorte un second soleil dans un beau cristal, où il entre pour ainsi dire avec ses rayons (*Lettres de piété*, XXV). »

(C.) Ex auctoritate *Ecclesiæ*. — Auctoritas Ecclesiæ, quæ non solùm omnem catholicum, sed etiam philosophum verè sapientem convincere debet in rebus hujus momenti, thesim nostram lucidissimè demonstrat, ut videre est e testimoniis, quæ passim in Scripturâ Sacrâ, vel apud sanctos Patres, necnon in decretis Conciliorum leguntur.

E *Scripturâ Sacrâ* : « Deus formavit hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ (*Genes.*, II, 7). » Elias sic oravit ad Dominum : « Deus meus, revertatur, obsecro, *anima* pueri hujus in viscera ejus; et reversa est anima pueri intrà eum et revixit (III *Reg.*, XVII, 21-22); » ait quoque Psalmista : « Caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques *animam* meam in inferno (*Psal.*, XV, 19-20); » et addit Ecclesiastes : « Revertatur pulvis in terram undè erat, et *spiritus* redeat ad Deum qui dedit illum (*Eccles.*, XII, 7). » Ergò, juxtà Scripturam Sacram, duplex est in homine substantia, una materialis, altera spiritualis, illa mortalis, hæc immortalis.

Ex sanctis *Patribus* : « Anima est spiritus intellectualis, » aiente sancto Augustino (*De Spirit.* et *Animâ*, XIII); juxtà sanctum Ambrosium, « unaquæque anima, videns se corpore isto clausam gurgustio, ingemiscit gravata corporis hujus conjunctione; » — anima est « substantia incorporalis (S. Anton.); » — « quidam spiritus conjunctus corpori (Ven. Bed.), » — « res incorporea (S. Bern.), » — « simplex (Evagr.), » — « corpore vacans (*Id.*); » — « incompositus spiritus (Iren.). » Quæque sanctus Augustinus nervosè expressit, dicens : « Creata est anima a Deo, vita a vitâ, *simplex* a simplici, immortalis ab immortali, magna a magno, recta a recto : eo magna, quo capax æternorum : eo recta, quo appetens supernorum : eo beata, quo Deo unita (*Loc. cit.*, 36). »

Ex decretis *Conciliorum*. Sic se habet Concilium Latera-

nense IV : « Firmiter credimus et simpliciter confitemur quod unus est solus verus Deus, creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium et corporalium, qui suâ omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deindè humanam quasi communem, ex *spiritu* et *corpore* constitutam. » Nostris tandem diebus, Vaticanum Concilium anathemate plexit eos omnes, qui nihil præter materiam existere contendunt : « Si quis præter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit. » Corruit igitur materialistarum objectio adversùs argumentum ex *auctoritate*. *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De spiritualitate animæ.

I. Quot sunt dicenda de spiritualitate animæ?

63. Hactenùs probatum est, adversùs scepticos, animam *existere*, contrà sensistas, animam esse *substantiam*, et, adversùs materialistas, eam esse *simplicem* et *immaterialem*, videlicet omnis compositionis expertem; nunc verò quærendum est quænam sit *essentia* mentis humanæ, seu quomodò anima *specificè* differat a qualibet aliâ substantiâ simplici et immateriali; alio modo, anima quoad *genus* est substantia simplex, sed quænam sit illius *differentia specifica*? Ad solutionem hujus difficultatis, tria recensere debemus : primò, mens humana non est solùm *immaterialis* et *simplex*, seu quantitatis et compositionis expers, sed etiam verâ *spiritualitate* gaudet; secundò, propter hujusmodi spiritualitatem, anima complectitur potentias et exerit actus, qui a materiâ non pendent, ideoque possidet *vitam rationalem*, quâ belluæ carent; tertiò tandem, ex illâ notione spiritualitatis eruitur illatio gravis momenti de animi essentiâ, quam recentes non pauci, Cartesio duce, falsò reponunt *in facto cogitationis*.

II. Utrum et quo sensu anima est spiritualis?

64. Non pauci e recentibus philosophis, post Cartesium et Reidium, simplicitatem et spiritualitatem minimè secernunt, undè prolapsi sunt in errorem; alii quidem, ut animam humanam a principio vitali belluarum discriminent, asserunt bruta animantia esse meras machinas (Cartesius); alii verò nullam assignant differentiam specificam inter homines et bestias (Damiron). Juxtà eos, asinus, bos et homo gradu tantùm differunt.

Sed, ut vera notio spiritualitatis concipiatur, his attendere oportet : substantiæ simplices in triplicem classem dividi possunt; aliæ ità *pendent* a materiâ, ut nequeant ab illâ separari, quin esse desinant, ut principium vitale plantarum et anima belluina; substantiæ hujusmodi dicuntur *merè simplices*. Aliæ verò, licet informent corpus materiale, ab eo tamen *non pendent*, et, corpore soluto, possunt *esse* et *vivere;* tales substantiæ *spirituales* vocantur, seu spiritus materiæ uniti. Aliæ tandem, non solùm e naturâ suâ non pendent a materiâ, sed etiam nullum corpus *informant;* hi sunt *spiritus puri*, nempè Deus et Angeli (1).

Propterea, *spiritus* dicitur omnis *substantia simplex*, quæ ità est *a materiâ* « *independens* », ut sine illâ et *esse* possit, et *vivere*, et *operari* (S. Thom., IV *Sent.*, dist. XLV, q. 1, a. 1). In eo sensu animæ humanæ spiritualitatem asserere debemus; undè sit

(1) Sæpè scholastici substantias merè simplices ex. gr. animam belluinam, *materiales* vocant; substantias spirituales corporibus unitas appellant *immateriales;* spiritus puros nominant *substantias separatas*. — « Dicere animam *spiritualem* esse, idem est quod esse *immaterialem*. » Suarez, *De animâ*, c. X, n. 18. Hæc memoriæ mandari debent ad intelligentiam theologiæ scholasticæ.

PROPOSITIO.

Mens humana, etsi corpori sit unita ut forma substantialis, vera tamen spiritualitate gaudet.

Probatur. Ad demonstrandam hujus propositionis veritatem illud affertur argumentum fundamentale : inter *operationem*, potentiam et *substantiam* proportio datur, ut jam multoties diximus ; sed, operationes intellectûs et voluntatis *in se* non pendent a corpore ; ergò, anima, ex quâ *intellectûs* et *voluntatis* actus procedunt, pendere nequit a corpore materiali et organico, seu verâ spiritualitate gaudet (1).

Major constat ex dictis. Probatur minor. — In statu vitæ præsentis, anima organis corporeis et auxilio sensuum utitur in acquisitione veritatis ; sed, sensatione semel acceptâ, intellectus comparat notitias universales, de illarum convenientiâ judicat, et, ope ratiocinii, e judiciis magis notis ad alia minùs nota conscendit. Actus autem hujusmodi aliique similes a materiâ et corpore organico pendere nequeunt non solùm in se, sed etiam in objecto circà quod versantur ; nam, « anima per intellectum cognoscit (ipsa) corpora, cognitione immateriali, universali et necessariâ (S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 84, a. 1, ad 1^um^). » Idem est dicendum de actibus voluntatis ; etenim, appetimus bonum immateriale et infinitum, virtutem et scientiam amore prosequimur ;

(1) In eo sensu scripsit sanctus Thomas : « Ipsum intellectuale principium, quod dicitur mens vel intellectus, habet *operationem* per se, cui non communicat corpus. Nihil autem potest per se operari, nisi quod per se subsistit... Relinquitur igitur animam humanam, quæ dicitur intellectus vel mens, esse aliquid incorporeum et *subsistens*. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 2.

sed, actus voluntatis', quibus ea spiritualia diligimus, a materiâ non pendent, quià inter objectum et actum quædam proportio requiritur. Ergò, substantia quæ *vult* et *cogitat*, non pendet a corpore materiali. Undè, stat propositio; nempè, mens humana, etsi corpori sit unita ut forma substantialis, verâ tamen spiritualitate gaudet, seu « *transcendit* » materiam, ut aiunt, et vocari potest ex se « *subsistens.* »

Spiritualitas animæ probatur etiam e *desiderio* rerum *spiritualium.* — Quippè, natura alicujus entis innotescit ex ejus inclinatione seu desiderio; nullum enim ens desiderat ea, quæ naturam suam *essentialiter* transcendunt; nempè, juxtà scholasticos, « lapis non appetit esse asinum et asinus non appetit esse hominem. » Porrò, anima ex innato desiderio fertur ad *spiritualia*, ut sunt scientia, virtus, beatitudo æterna. Ergò, necesse est ut anima sit *spiritualis;* secùs enim appeteret ea, quæ naturam suam essentialiter transcenderent.

III. Quid ex dictis inferre licet?

65. Ex verâ notione spiritualitatis quatuor inferuntur illationes, quarum utilitas neminem fugiet.

(A.) Mens humana, in quantùm est spiritualis, producit seriem operationum, nempè cogitationum ac volitionum, quæ vitam rationalem absolvunt. Quùm autem inter animantia homo solus hac vitâ rationali sit præditus, constituit regnum speciale, quod vocare possumus *regnum intellectuale;* quapropter homo complectitur eminenti modo perfectiones regni mineralis, vegetalis et animalis, meritoque dicitur mundus abbreviatus : « In suâ ipsius naturâ omnium rerum creatarum speciem gerit, quâ de causâ parvus mundus dictus est (S. August., *De natur. homin.*, c. I). »

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

(B.) Mens humana *specificè* differt ab animâ belluinâ, in eo quod est *principium intellectivum*, seu intelligendi capax; etenim anima, quatenùs est substantia simplex, non discriminatur essentialiter ab animâ brutorum, quæ inter substantias simplices annumerari debet; bruta verò animantia carent omni intellectu, et sine corpore organico nec existere nec operari possunt; ideoque mens humana specificè differt ab eis, in quantùm est principium intellectivum (1).

(C.) Anima autem ab angelis, seu substantiis separatis, non distinguitur in quantùm est principium intellectivum; quippè, homo non secùs ac angelus intellectu præditus est. A substantiis verò separatis anima specificè differt, eò quod nata sit ad *informandum* corpus organicum; ideoque superior est aliis rebus mundanis, sed paulò minus ab angelo minuitur (*Psalm.*, VIII, 6, 7), et illo imperfectior est tùm in suâ naturâ, tùm in suis operationibus (S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 97, a. 2). Anima igitur est media inter corpus et angelum, secundùm illa Bossuetii : « Comme (l'âme) est dans le der-

(1) Ad rem sanctus Thomas appositè scripsit : « Quædam viventia sunt, in quibus est tantùm *vegetativum*, sicut in plantis. Quædam verò, in quibus cum vegetativo, est etiam *sensitivum*, non tamen motivum secundùm locum, sicut sunt immobilia animalia, ut conchylia. Quædam verò sunt, quæ suprà hoc habent *motivum* secundùm locum, ut perfecta animalia, quæ multis indigent ad suam vitam, et ideò indigent motu, ut vitæ necessaria procul posita quærere possint. Quædam verò viventia sunt, in quibus cum his est *intellectivum*, scilicet in hominibus (*Sum. Theol.*, p. I, q. 78, a. 1). » Et etiam : « Relinquitur quod, cum animæ brutorum animalium per se non operentur, non sint subsistentes : similiter enim unumquodque habet esse et operationem. » S. Thomas, *Sum Theol.*, p. I, q. 75, a. 3. — Addit sanctus Doctor : « Homo, etsi conveniat in genere cum aliis animalibus, *specie* tamen differt. » *Ibidem*, ad 1^um.

nier ordre des substances intelligentes, c'est en elle que se fera l'union entre les esprits et les corps (*Sermon*). »

(D.) Ex his facilè apparet in quo reponenda sit animæ *essentia;* mens enim quoad *genus* remotum est *substantia*, quoad genus proximum est substantia *simplex*, quoad *differentiam* specificam est principium *intellectivum* et *forma* substantialis corporis organici; dicitur principium intellectivum seu spirituale, et ità secernitur a bestiis animantibus; nuncupari debet forma substantialis corporis organici, ut ab angelis discriminari possit.

Undè, si per essentiam intelligimus id, per quod ens a quolibet alio specificè distinguitur, essentia mentis humanæ consistit in eo, quod sit *principium intellectivum*, et *forma substantialis* corporis organici. Talis est doctrina scholasticorum, præsertim Aristotelis (*De animâ*) et sancti Thomæ (*De animâ*).

IV. Quid dicendum de Cartesianorum sententiâ circà mentis essentiam?

66. Cartesiani plerique corporum essentiam in *extensione*, mentis autem essentiam in *cogitatione* reponunt; undè, juxtà eos, attributum primarium animi est ipsa *cogitatio* (Cartesius, *Epistol.*, II, 4). Alii verò, Leibnitzii vestigia sequentes, docent essentiam animæ constitui per *vim cogitandi*, nobis naturaliter insitam. De naturâ autem illius vis cogitandi non consentiunt inter se defensores hujus sententiæ; juxtà Leibnitzium, est monas totius universi repræsentativa; eam verò spontaneitatem quamdam, ab inertià materiæ distinctam, appellat Maine de Biran.

At procul dubio Cartesianorum et Leibnitzianorum opinio falsa est; nam, actus et potentia differunt ab essentiâ; sed, *cogitatio* est actus et *vis cogitandi* est qualitas

animæ; ergò, ipsa cogitatio et vis cogitandi non constituunt essentiam animæ. Ceteroqui, mens humana non semper cogitat, ut experientiâ demonstratur; illius igitur essentia consistere nequit in actu cogitationis. Vis autem cogitandi nihil esse videtur, nisi *conatus* ille, per quem intellectus ad agendum impellitur; sed talis conatus, singulis animæ potentiis inditus, non est sane mentis essentia, sed mera qualitas.

Insuper, animus per essentiam in suâ specie constituitur; sed, actus cogitationis et vis cogitandi mentem humanam a Deo vel ab angelis nequaquam discriminare possunt; Deus enim et angelus actu cogitant et « vim cogitandi actuatam » eminenti modo possident. Ergò, ut evidens est, essentia mentis *integra*, nec in facto cogitationis, nec in vi cogitandi solummodò reponitur. Undè, iterùm anima specie differt ab aliis animantibus eò quod est simul *principium intellectivum* et *forma corporis*.

CAPUT SECUNDUM.

DE ORIGINE ANIMÆ.

I. Quomodo dividitur caput secundum, De origine animæ?

67. Anima est *spiritualis*, ut vidimus; undè igitur *originem* habeat? Ad solutionem hujus quæstionis, duo dicenda sunt; nempè, quo modo mens humana originem habeat, et quo tempore corpori suo copuletur. Proindè, duo sint articuli : 1^us^, De *modo* originis animæ; 2^ns^, De *tempore* originis animæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De modo originis animæ.

II. Quid docent scholastici de modo originis animæ?

68. Philosophi scholastici docent cum Ecclesiâ catholicâ, « mundum, resque omnes quæ in eo continentur, et *spirituales* et *materiales*, secundùm totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas. » Jam verò, creatione semel effectâ, res mundanæ diversis mutationibus obnoxiæ sunt; imò, plantæ et animalia producunt sibi similia vi generationis; undè, quùm animal vel planta gignitur, non adest nova creatio. Substantiæ autem *spirituales*, et idcircò mens humana, ortum habere nequeunt, nisi per *creationem immediatam a Deo;* quapropter, anima nostra secundùm totam substantiam suam immediatè procedit a Deo per creationem e nihilo. Ad hanc sententiam propugnandam, sit sequens

PROPOSITIO.

Mens humana, quùm sit substantia spiritualis, nonnisi per creationem immediatam a Deo sumit originem.

Ea propositio tribus argumentis probatur, quorum unum sumitur ex *ratione*, aliud ex *auctoritate*, ultimum ex *falsitate* cujuslibet hypothesis adversæ; ergò, certa est et ab omnibus admittenda.

1°, Ex *ratione*. — Ad unum revocari possunt omnia argumenta; videlicet : anima est substantia spiritualis, ordinem materialem transcendens; sed, in rebus contingentibus, substantia hujusmodi ortum habere nequit nisi a Deo, per *creationem immediatam;* ergò, Deus animam immediatè producit e nihilo. Major constat; etenim, ut

vidimus, anima, quatenùs est intellectionis et volitionis principium, omnem materiam transcendit meritoque spiritualis dicitur. Minor probatur. — Substantia spiritualis, licet contingens et finita, cœlestem originem arguit, secundùm ea sancti Doctoris : « Anima est de genere substantiarum intellectualium, quæ non possunt aliter intelligi prodire in esse, nisi per viam creationis (*Sum. contrà Gent.*, l. II, XCVII). » Et sane, substantia spiritualis e potentiâ materiæ non potest educi; secùs enim « effectus (esset) immaterialior suâ causâ (II *Sent.*), » et ad ordinem altiorem pertineret. Aliundè, substantia spiritualis ex aliâ substantiâ ejusdem generis oriri nequit per emanationem, vel generationem; nam, quod est simplex dividi non potest, nec e suâ substantiâ quidpiam aliud producere. Superest igitur ut anima per viam creationis originem ducat; sed, creatio est actus Dei proprius; ergò, mens humana sumit exordium a Deo per creationem immediatam (*Sum. contrà Gent.*, loc. cit.).

Eadem veritas *suadetur* his verbis sancti Thomæ : « Finis rei respondet principio ejus » seu origini, et quo perfectior est finis, eo perfectior esse debet origo. Sed, « finis animæ humanæ et ultima ejus perfectio est quòd per cognitionem et amorem transcendat totum ordinem creaturarum et pertingat ad primum principium, quod Deus est. » Convenit igitur ut anima humana originem immediatè habeat a Deo. Quùm autem Deus non possit aliquid immediatè extrà seipsum producere, nisi per creationem e nihilo, logicè infertur animam humanam ad imaginem Dei conditam esse per *creationem immediatam* (*Contrà Gent.*, l. II, c. LXXXVII).

2°, Ex *auctoritate*. — Dogma creationis animæ, in præfato sensu acceptum, a theologis et philosophis cujusdam notæ propugnatum est, ità ut Estius dicere

potuerit : « Nunc, post tot gravissimas hac de re theologorum scholasticorum disputationes, re diligenter excussâ, omnibusque in unam sententiam indubitanter euntibus, non poterit profectò maximæ temeritatis notam effugere, si quis deinceps vel diversam opinionem elegerit, vel adhuc dubitandum putaverit (1). » Imò, juxtà Melchiorem Canum, « cum theologorum fideliumque omnium consensu firmatum sit animam non per generationem, sed per creationem existere, sine dubio ad *fidem* illa quæstio pertinet (*De loc. Theol.*, l. XII, c. XIII). »

(* Inter alios audi Sanctum Thomam, Divum Augustinum et Ciceronem : « Omne quod in esse producitur, ait S. Thomas, vel generatur per se aut per accidens, vel creatur. Anima autem humana non generatur per se, quùm non sit composita ex materiâ et formâ; neque generatur per accidens, quùm enim sit forma corporis, generaretur per corporis generationem quæ est ex virtute activâ seminis. Quùm ergò anima humana de novo esse incipiat, non enim est æterna nec præexistit corpori, relinquitur quod exeat in esse per creationem. Ostensum est autem suprà quod solus Deus potest creare. Solus igitur ipse animam humanam in esse producit (*Loc. cit.*). » Addit Sanctus Augustinus : « Anima est substantia rationalis, intellectualis, a Deo *facta ;* spiritualis, non ex Dei naturâ, sed potiùs *creatura, ex nihilo* facta (*De Spiritu et animâ*, VIII). » Item, non pauci inter paganos, etsi non habuerint explicitam notionem creatio-

(1) II *Sent.*, dist. XVII. — Cf. Sanseverino, *Anthropologia* et *Compendium.* — « Hoc etiam innuere videtur Sacra Scriptura. Quùm enim, de institutione aliorum animalium loquens, eorum animas aliis causis adscribat, utpote cum dicit : Producant aquæ reptile animæ viventis, et similiter de aliis, ad hominem veniens, animam ejus a Deo creari ostendit, dicens : Formavit Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. » S. Thomas, *Sum. cont. Gent.*, lib. II, c. LXXXVII. *Genes.* I. 20; II, 7. — Cf. Bossuet, *Lettres de piété*, lettre 179, *Sur l'excellence de l'âme.*

nis e nihilo, mira tamen docuerunt circà mentis originem; ex. gr. sic se habet Tullius : « Animorum nulla in terris origo inveniri potest; nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terrâ natum atque fictum esse videatur. Nihil ne aut humidum quidem aut flabile aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod et præterita teneat, et futura provideat, et complecti possit præsentia : quæ sola *divina* sunt. Nec invenietur unquam undè ad hominem venire possent, nisi a *Deo* (*Tuscul.*, l. 1, c. 27). » Et ibidem apertè dicit mentem humanam non quidem « *nasci,* » sed « creari (c. 33 et 49). » *)

3°, Ex *falsitate* cujuslibet hypothesis adversæ. — Si mens humana non sumit originem a Deo per creationem immediatam, vel est *a se*, vel educitur *a substantiâ divinâ*, vel propagatur a *parentibus per generationem* aliove modo; sed, tria hæc admitti non possunt; constat igitur et ex *ratione*, et ex *auctoritate*, et ex *falsitate* cujuslibet hypothesis adversæ, mentem humanam ortum a Deo sumere per *creationem immediatam* seu eductionem e nihilo (1).

III. Expone et confuta philosophorum errores, præsertim Emanatismum et Traducianismum.

69. 1°, Mens humana non est *a se*, aut ab *æterno*.

(1) Concionator verbi divini creationem animæ fideles edocere potest, et deinde hujus veritatis consequentias evolvere. Adeat Bossuetium, *Lettres de piété et de direction.* « Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ : Notre âme n'est sortie de Dieu que pour y rentrer, il ne l'a respirée que pour l'aspirer de nouveau..... O si nous savions ce que notre âme est au cœur de Dieu! Elle ne saurait vivre sans lui, et il n'est pas content sans elle. C'est plus incomparablement que la respiration n'est à notre cœur. Qui m'empêcherait la respiration ferait étouffer mon cœur : ne puis-je pas croire que je fais violence au cœur de Dieu, quand mon âme ne suit pas les divines inspirations qui l'attirent amoureusement à lui pour se reposer dans son sein. » Lettre 179.

Quidam philosophi decreverunt animam non esse creatam e nihilo, nec e substantiâ divinâ constitui, nec a parentibus traduci per generationem aliudve medium, sed *a se* quidem existere; undè, non incipit cum ipso corpore, neque solùm immortalitate gaudet, verùm etiam meritò dicitur *æterna*. Sic fortè Aristoteles docuit intellectum esse « perpetuum (*De animâ*, III, 29); » item Averrhoes propugnavit intellectum fuisse ab æterno (*Metaphys.*, XII. Cf. S. Thom. *Contrà Gent.*, l. II, c. 83).

Talis sententia rejicitur triplici de causâ. Primò, repugnat *experientiæ;* quis enim unquam conscius fuit quod exstiterit ab æterno, et a se existentiam habuerit? Secundò, *rationi* palam contradicit; mens enim est contingens et finita, proindè non potuit existentiam habere ex vi suæ naturæ. Tertiò, constans et universalis fuit *consensio* philosophorum, omniumque populorum, asserens animam non fuisse ab æterno, sed incepisse cum ipso corpore.

2°, Anima non est *emanatio substantiæ divinæ*.

Nonnulli philosophi veteres, post Pythagoram, Stoicos, et Neoplatonicos, itemque inter hæreticos, Manichæi et Priscillianistæ, cum plerisque pantheistis, asseruerunt animam esse vel *particulam* e substantiâ Dei decerptam, vel *emanationem* quamdam e substantiâ Dei divulsam, vel etiam *evolutionem* ipsius Entis Infiniti. Eorum systema dicitur *Emanatismus* (Cf. Cicer., S. Aug., S. Hieron., Poiret, etc.).

Hoc *Emanatismi* « deliramentum » rationi evidenter contradicit; quippè, substantia Dei, quùm sit simplex, dividi nequit; quùm sit immutabilis, mutationi non est obnoxia; quùm sit infinita, in modos contingentes aut in substantias finitas evolvi non potest; sed, in systemate

evolutionis, omnia hæc acciderent, ut constat ex dictis; falsum est igitur evolutionis systema.

Probatur per partes. — Substantia Dei, quùm sit simplex et una, dividi nequit in partes diversas, quòd accideret in hypothesi evolutionis; etenim, aientibus patronis hujus systematis, anima non est nisi pars quædam substantiæ Dei. « Quùm substantia divina sit omninò *impartibilis*, inquit Sanctus Thomas, non potest aliquid substantiæ ejus esse anima, nisi sit tota substantia ejus (*Contrà Gent.*, l. II, c. LXXXV). »

Quùm substantia Dei sit immutabilis, non est mutationibus obnoxia; sed, in animis mutationes quamplurimas invenimus, ut ait Sanctus Doctor : « In animâ manifestè apparet variatio secundùm scientiam et virtutem et eorum opposita. Deus autem est omninò invariabilis et per se et per accidens. Non igitur anima potest esse de substantiâ divinâ (*Ibidem*). »

Substantia Dei, quùm sit infinita, in modos contingentes, aut in substantias finitas evolvi non potest; porrò, juxtà sectatores Emanatismi, mens humana est evolutio intelligentiæ divinæ, vel ipse Deus, qui « sub formâ spiritûs se explicat et evolvit. » Ergò, anima non est emanatio substantiæ Dei (1).

3°, Mens humana *propagari* nequit a parentibus.

Philosophi, qui mentem humanam a parentibus propagari volunt, in quatuor classes dividuntur : Apollinaris

(1) S. Augustinus Manichæos sic arguebat : « Non est pars Dei anima. Quod si esset, nec deficeret in deterius, nec perficeret in melius, nec aliquid in semetipsâ vel inciperet habere quod non habebat, vel desineret habere quod habebat, quantùm ad ipsius affectiones pertinet. Quam verò aliter se habeat, non opus est extrinsecùs testimonio : quisquis semetipsum advertit, agnoscit. » *De origine animæ hominis, Epist.* CLXVI, c. II, n. 3.

et probabilius ipse Tertullianus, quos secuti sunt recentes nonnulli, tenuerunt animam a parentibus gigni semine *materiali;* alii verò, teste S. Augustino, dixerunt hanc generationem effici mediante quodam semine *spirituali;* Frohschammer autem posuit animam a parentibus produci per *creationem* e nihilo; Rosminius tandem ait animam *sensitivam* a parentibus oriri, posteaque fieri *intellectivam* per manifestationem ideæ Entis (1). Eorum philosophorum opinio dicitur nomine communi *Traducianismus.*

Sed contrà : mens humana gigni nequit a parentibus, mediante semine materiali; nam, quidquid educitur e materiâ, vel est materiale, vel a materiâ pendet; mens autem humana non solùm *simplicitate*, sed etiam *spiritualitate* gaudet, ut vidimus; non potest igitur e materiâ per generationem educi.

Mens humana traduci non potest ex animâ parentum, generatione spirituali; nam, semen illud immateriale, per quod efficeretur ea generatio, supponit animæ divisibilitatem; sed, illa divisio rationi contradicit, eò quod substantia simplex dividi nequit.

Quod anima non producitur a parentibus per creationem e nihilo, evidens est; etenim, creatio soli Deo tribuitur, meritoque solet haberi ut actus Entis omnipotentis. Aliundè, quis conscius est se donari hac virtute

(1) *Psychologia*, lib. IV, c. XXIII. *Dell' origine dell' anima intellettiva.* Rosminii sententia vigebat tempore Sancti Doctoris : « Alii dicunt quod illa eadem anima, quæ primò fuit vegetativa tantùm, postmodùm per actionem virtutis, quæ est in semine, perducitur ad hoc ut ipsa eadem fiat sensitiva, et tandem ipsa eadem perducitur ad hoc ut fiat intellectiva, non quidem per virtutem activam seminis, sed per virtutem superioris agentis, scilicet Dei, de foris illustrantem. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 118, a. 2, ad 2um.

summâ creandi, seu educendi substantiam e nihilo (Cf. S. Thom., *Contrà Gent.*, l. II, c. LXXXVI)?

Insuper, anima quatenùs est sensitiva non potest a parentibus vi generationis propagari, et deindè intellectiva evadere per manifestationem ideæ entis; nam, anima recipere nequit manifestationem hujusmodi, nisi sit capax assequendi notiones metaphysicas; anima verò sensitiva caret eâ facultate. Repugnat etiam ut substantia merè sensitiva fiat intellectiva per illustrationem « de foris » advenientem; talis enim illustratio perficit substantiam jam existentem, eamque allicit ad actum, sed illius essentiam aut naturam mutare nequit (S. Thom., *loc. cit.*).

Ex his omnibus licet inferre mentem humanam non esse substantiam *a parentibus* generatione vel creatione traductam; aliundè, non est *a se* aut ab æterno, neque dici potest *emanatio* substantiæ Dei; superest igitur ut anima sit a Deo producta, per *creationem immediatam*.

IV. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 70. Adversùs hanc propositionem duo solent objici:

Obj. I. Anima belluina per generationem traducitur; ergò, et anima humana generari debet a parentibus.

Resp. *Concedo antecedens; nego consequens.* Non est enim paritas inter hominem et belluam, quià mens nostra, quùm sit *spiritualis*, a materià non pendet; quod de bestiis animantibus dici non potest: « Anima in bruto, ait S. Thomas, habet id quod est sensitivum tantùm; et per consequens nec esse nec ejus operatio suprà corpus elevatur. Undè, oportet quod simul cum generatione corporis generetur, et cum corruptione corporis corrumpatur. Anima autem sensitiva in homine, cum habeat suprà sensitivam naturam vim intellectivam, ex quâ oportet quod ipsa substantia animæ sit secundùm esse et operationem suprà corpus elevata; neque per generationem corporis generatur, ne-

que per ejus corruptionem corrumpitur (*Contrà Gent.*, l. II, c. LXXXIX). »

Obj. II. Filii parentibus in multis similes sunt; ergò, sumunt originem ab eis per generationem corpoream vel incorpoream.

Resp. *Distinguo antecedens :* filii similes sunt parentibus, *quandoque, concedo; semper, nego.* — *Distinguo* pariter *consequens :* filii sumunt originem a parentibus, quoad *corpus, concedo;* quoad *animam, nego.* — Ut hujus similitudinis, quæ inter parentes et liberos nonnunquam existit, ratio exhiberi possit, ea tantùm in memoriam revocare oportet : vita vegetativa et sensitiva pendent ab organismo physico; et etiam intellectus, licet independens a corpore, organis tamen physicis utitur ut objectum sibi proportionatum scilicet essentiam rerum materialium assequi valeat; prætereà, corpus traducitur vi generationis; non est igitur mirandum quod indoles filiorum aliquid mutuari possit a parentibus. *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De tempore creationis animæ.

I. Quot sunt sententiæ de tempore creationis animæ?

(* 71. Quoad *modum* originis, indubium est animam ortum a Deo sumere per creationem *e nihilo;* de *tempore* verò creationis hujusmodi tria prodiêre systemata.

1°, Origenes, Platonis et Pythagoræ somnia renovans, ut testatur S. Hieronymus, autumavit animam olim in astris exstitisse; sed propter scelus immane, de quo memores esse nequimus, detrusa est in corpus, donec ad pristinam beatitudinem, crimine per pœnitentiam exsoluto, revertatur. 2°, Apud recentes, Leibnitzius, Origenis theoriam emendans, præexistentiam animarum in hoc sensu propugnavit : Deus ab initio animas omnes creavit et eas inclusit in corpuscula, quibus mediantibus transeunt in singulos homines, quandò corpus organicum generatur. 3°, Juxtà communem philosophorum doctrinam, anima

creatur eo tempore, quo infundi debet in corpus humanum, ut illud informet et vivificet : « Animæ non sunt creatæ antè corpora, inquit S. Thomas, sed simul creantur cum corporibus infunduntur (*Sum. Theol.*, p. I, q. 118, a. 3). » Hæc doctrina propugnatur in propositione sequenti.

PROPOSITIO.

Anima non præexistit corpori; sed conditur a Deo, quum in corpus infunditur.

Probatur *indirectè*. — Opinio *gratuita*, *singularis* et *auctoritati* opposita, rejici debet. Sed, opinio præexistentiæ animarum *gratis* asseritur; nullo enim innititur fundamento. Est *singularis;* reverà, quis admitteret animam suam olim in astris vitam felicem degisse, vel ab initio in corpuscula fuisse inclusam? *Auctoritati* palam contradicit; nam, a paucis philosophis propugnata est. Anima igitur non exstitit antè corpus, sed eo instanti condita fuit, quo in corpus est infusa (1).

Probatur *directè*. — Deus, quùm sit sapientissimus, nihil facit frustrà et nullum ens procreat nisi eo tempore, quo *finem* suum attingere potest. Sed, anima quidem nata est ad informandum corpus humanum; ideoque non convenit ut Deus eam producat, nisi quùm necessaria est ad suum *finem* assequendum. Id est, mens hominis, e naturâ suâ, creari debet cum in corpus infunditur; nam, cum eo unam personam, unamque naturam efficit : « Natura animæ hoc habet, ait S. Thomas, ut esse non incipiat nisi in corpore (*Sum. Theol.*, 1ª 2æ, q. 83, a. 1, ad 3ᵘᵐ). »

II. Quo instanti mens in corpus infunditur?

72. Gravis autem exsurgit difficultas de *instanti*, quo mens in corpus infunditur; Aristoteles autumavit corpus viri quadra-

(1) Opinio de animarum præexistentiâ non semel ab Ecclesiâ damnata fuit; vide Martin, *La vie future*, p. II, c. III. — « Catholica fides constanter prædicat atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere. » S. Leo Magnus, *Epist.* XV.

gesimâ die, et corpus feminæ octogesimâ die post conceptionem, ab animâ informari; multi verò, præsertim inter recentiores, asserunt animam ipso tempore conceptionis in corpus infundi (1).

Sanctus Thomas, ab Aristotelis sententiâ non discedens, posuit animam non creari, nisi quùm corpus ipsum ad debitam organismi formationem pervenerit : « Cum anima, inquit, uniatur corpori ut forma, non unitur nisi corpori, cujus est propriè actus. Est autem anima actus corporis organici. Non est igitur antè organisationem corporis (*Contrà Gent.*, l. II, c. LXXXIX; *Sum. Theol.*, p. I, q. 118, a. 2). »

Doctor Frédault illam S. Thomæ sententiam impugnavit dicens : « Il faut dire que l'âme arrive dès le moment de la conception, et qu'elle arrive tout entière; mais qu'elle déploie d'abord ses facultés végétatives, puis ses facultés animales, et enfin ses facultés intellectuelles, selon les lois de développement de l'être dans son évolution vitale. La question philosophique est tellement nette, que la solution est à peu près unanime aujourd'hui; ce serait oiseux d'insister (*Traité d'Anthropologie*, p. 733). »

Ea recentiorum solutio quibusdam probabilior videtur. Nam, juxtà eos 1°, *auctoritatem* medicorum sibi vindicat; 2°, necnon aliquatenùs ab Ecclesiâ convincitur, tùm propter pœnas irrogatas iis omnibus, qui statim post conceptionem abortum procurant, tùm ex eo quod Immaculata Virgo Maria, Beata Dei Genitrix, a primo *instanti* suæ Conceptionis, ab omni labe

(1) « Platon a pensé que l'âme ne s'unit au corps qu'au moment de la naissance. Aristote fixe le terme de cette union à quarante jours pour les garçons, et à quatre-vingts ou quatre-vingt-dix jours pour les filles. Zacchias pense qu'elle s'effectue à l'instant même de la conception. Ce dernier sentiment est le plus probable et le plus sûr incontestablement. Il a été adopté par les facultés de médecine de Vienne et de Prague, par les universités de Reims et de Salamanque, par la plupart des facultés de théologie. La Sorbonne l'a qualifié de *indubia doctrina*. Plusieurs conciles et un grand nombre d'évêques ont enjoint aux prêtres de s'y conformer dans la pratique, et cela sous les peines les plus sévères. » Dr Kergeradec, *Mémoire à l'Académie*, 1860.

peccati fuerit immunis. Attamen, ut sedulò notandum est, Ecclesia litem inter philosophos agitatam, de instanti creationis animæ, dirimere noluit; ità ut, nostris etiam diebus, R. P. Liberatore scribere potuerit : « Etsi probabile sit animam humanam conjunctam esse corpori jam tùm, cùm fetus aliqua opera vitæ peragit; nihilominùs probabilior videtur S. Thomæ sententia *Psychol.*, c. III, n. 109). » 3°, Solutio recentiorum a nonnulis etiam propugnatur, quià difficilè admittunt tria principia, quæ sibi succedunt in hominis formatione; ut voluit S. Thomas, dicens : « In generatione animalis et hominis, in quibus est forma perfectissima, sunt plurimæ formæ, et generationes intermediæ, et per consequens corruptiones, quià generatio unius est corruptio alterius. Anima igitur vegetalis, quæ primò inest quùm embryo vivit vità plantæ, corrumpitur, et succedit anima perfectior, quæ est nutritiva, et sensitiva simul, et tunc embryo vivit vità animalis : hac autem corruptâ, succedit anima rationalis ab *extrinseco* immissa; licet præcedentes fuerint virtute seminis (*Contrà Gent.*, l. II, c. LXXXIX). » Cæterùm, quidquid sit de tali difficultate, Aristoteles et S. Thomas, Zacchias et doctor Frédault, cum plerisque philosophis ac theologis, unà voce docent, adversùs Platonem, Origenem et Leibnitzium, *animam a Deo creari, quùm in corpus infunditur.* *)

CAPUT TERTIUM.

DE IMMORTALITATE ANIMÆ (1).

I. Quomodo dividitur caput tertium, de immortalitate animæ?

73. Substantia *spiritualis*, immediatè a Deo *creata*, est

(1) S. Augustinus, *De vitâ beatâ, De Spiritu et Animâ;* S. Cyprianus, *De mortalitate;* S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 89, et passim; Suarez, *De Animâ separatâ; Comment.* Collegii Conimbricensis, S. J., *De Animâ Aristotelis;* Massillon, *Vérité d'un avenir;* La Luzerne, *Dissertations sur la loi naturelle*, c. III; Frayssinous, *Conférence sur l'Immortalité de*

a materiâ prorsùs independens, et, corpore soluto, superest et vivit; undè, postquam inspeximus *naturam* et *originem* animæ, futuram ejus *destinationem* inquirere debemus. De illâ mentis destinatione, tria potissimùm recensentur : in propositione generali, demonstratur *immortalitas* animæ; corollaria, de *statu* animi a corpore sejuncti, et præsertim de æternitate pœnarum, deducuntur ex illâ propositione; confutantur *errores* philosophorum, præcipuè *metempsychosis*. Undè, tres sint articuli : 1^us^, de *certitudine* immortalitatis animæ; 2^us^, de *statu* alterius vitæ; 3^us^, de *erroribus* philosophorum.

ARTICULUS PRIMUS.

De certitudine immortalitatis animæ.

II. **Utrum et quo sensu anima futura est immortalis?**

74. Triplex immortalitas distingui solet : una quidem *absoluta*, competens Enti supremo; alia *naturalis*, seu per *naturam* impertita; tertia verò *supernaturalis*, ex dono *gratiæ* concessa. Deus, et ipse solus, immortalitate absolutâ fruitur; immortalitas naturalis omni substantiæ spirituali competit; immortalitas verò supernaturalis non

l'âme; Th.-H. Martin, *La vie future suivant la foi et la raison;* F.-L. Poisson, *Entretiens sur la vie future;* D. Barbe, *De l'Immortalité de l'âme.* — Apud paganos, Aristot., *Ethic.*, lib. IX; Plato, *Phædo;* Cicero, *Epist. ad Atticum*, lib. X, *De Finibus*, lib. II, *De Senectute, Tuscul.* V; Seneca, *De vitâ beatâ.* — Consule Sanseverino, *Anthropol.*, Liberatore, *Psychol.*, Zigliara, *Psychol.* — « L'immortalité de l'âme est une chose qui nous importe si fort, et qui nous touche de si près, qu'il faut avoir perdu tout sentiment pour être dans l'indifférence de savoir ce qui en est. » *Pensées de Pascal.*

solùm animæ, sed etiam corpori concedi potest ex dono Dei gratuito.

In præsenti quæstione, agitur de immortalitate in secundo sensu acceptâ; videlicet, animus e naturâ suâ futurus est immortalis, etsi materialistæ aliter sentiant; eaque immortalitas non est mera tantùm existentia, neque transformatio quædam, ut volunt pantheistæ Germani et fautores progressûs infiniti; sed jurè dicitur *vita perennis* et *individua*. Eo sensu animæ immortalitas, adversùs materialismi, pantheismi et progressûs infiniti defensores, in propositione sequenti vindicatur.

PROPOSITIO.

Anima est immortalis.

Argumentum generale. — Dogma fundamentale immortalitatis animæ tùm ex *ratione*, tùm ex *auctoritate*, tùm ex innato *desiderio* evidentissimè demonstratur; ergò, illud dogma non est solùm *de fide* credendum, sed etiam meritò dicitur una ex his veritatibus, quæ rationis lumine comparari possunt. — Probatur antecedens per partes.

1°, Ex ratione. — Vel anima *intrinsecè*, videlicet e naturâ suâ mortalis est; vel *extrinsecè*, nempè vi quadam externâ destruitur; vel est *immortalis;* sed, duo priora contradicunt rationi; certum est igitur animam esse immortalem.

(A.) Anima *intrinsecè*, seu e naturâ suâ, perire nequit. Etenim, substantia perire potest *per se*, vel *per accidens;* per se, quùm separatur a principio suo formali et constitutivo, ità corpus ab animâ sejunctum dissolvitur; per accidens, quandò spoliatur *subjecto*, sine quo vitam exercere non potest, ut anima belluina, quæ organis

corporeis indiget ad vitam vegetativam et sensitivam. Mens autem humana nec per se, nec per accidens interire potest; non per se, quià est substantia *simplex*, quæ corrumpi et dissolvi non potest; non per accidens, quià *spiritualitate* gaudet et non eget organis materialibus ad exercitium vitæ sibi propriæ. Id est, anima tùm in *esse*, tùm in *vivere*, a corpore non pendet; habet igitur in seipsâ quidquid requiritur, ut a corpore sejuncta et esse et vivere pergat (Cf. S. Thomas, *De Animâ*, XIV; item, *De Generatione et Corruptione*). Idem argumentum sic iterùm evolvitur. Ut animus, corpore soluto, pereat, duo requiruntur : 1°, ut, a corpore sejunctus, *esse* nequeat; 2°, ut, sine corporis auxilio, *vivere* non possit; atqui, neutrum est verum; animus igitur, corpore soluto, *esse* et *vivere* non cessat. — Animus, a corpore separatus, *esse* non amittit; nam, ut vidimus, est subsistentia, seu substantia spiritualis, quæ a materiâ non pendet. Animus, corpore dissoluto, *vivere* pergit; nam, actus suos, non utique vegetativos et sensitivos, benè verò spirituales exerit; sed, operationes hujusmodi constituunt exercitium vitæ rationalis. Animus igitur, a corpore separatus, et *esse* et *vivere* non desinit meritoque dicitur *intrinsecè immortalis* (1). Confirmatur etiam exemplo : spiritus, ex. gr. angelus *existit* et *vivit* a materiâ separatus; sed animus ex naturâ suâ est spiritus, videlicet ens in se *subsistens* et *principium vitæ*

(1) « Proprium perfectivum hominis secundùm animam est aliquid incorruptibile, propria enim operatio hominis, inquantùm hujusmodi, est intelligere; per hanc enim differt a brutis et plantis et inanimatis; intelligere enim est universalium et incorruptibilium, inquantùm hujusmodi. Perfectiones autem oportet esse perfectibilibus proportionatas. Ergò anima humana est *incorruptibilis*. » S. Thom., *Sum. Contrà Gent.*, lib. II, c. LXXIX.

intellectu et *voluntate* præditum, quod res *immateriales* cognoscit et appetit; ergò, nihil impedit quin animus ex *naturâ suâ* sit immortalis.

(B.) *Intrinsecè* spectatus, animus perire nequit, pereunte corpore; imò, sejunctus a materiâ, liberior est ad operationes suas spirituales obeundas (1). Sed ut verâ et *perenni* gaudeat immortalitate, requiritur ut nullâ vi *extrinsecâ* possit annihilari. Undè sic argumentari licet : vel animus destruitur vi cujusdam *substantiæ creatæ*, vel annihilatur a *Dei potentiâ*, vel est *immortalis;* sed, neutrum e duobus prioribus dici potest; ergò, animus verâ perennique gaudet immortalitate. — Nulla vis creata mentem humanam interimere potest; nam substantia interimi nequit, nisi ab ente sub cujus potestate redigitur et a quo pendet. Sed, animus a Deo solùm, immediatè et necessariò pendet; ab eo enim originem immediatè accipit, illius concursu solùm indiget ex naturâ suâ ut intelligere et velle possit, necnon ad eum ordinatur ut ad finem ultimum. Prætereà, creare et annihilare eamdem requirunt potentiam; sed, creare est actus virtutis infinitæ; nulla igitur vis creata potest annihilare, secundùm ea sancti Doctoris : « In nullâ creaturâ est virtus, quæ possit vel de nihilo aliquid facere, vel aliquid in nihilum redigere (*Qq. disp. de Pot.*, q. 5, a. 3, ad 15). » Deus quidem ex suâ virtute absolutâ mentem humanam annihilare posset (S. Thom., *Sum. Theol.*, I, q. 104, n. 3); illius autem attributa, præcipuè *justitia, sapientia, bonitas,* huic obsistunt annihilationi; Deus igitur animam in nihilum non rediget, eaque futura est immortalis.

(1) « Anima separata est quidem imperfectior, si consideretur natura corporis; sed tamen quodammodò est liberior ad intelligendum, in quantùm non ampliùs per gravedinem et occupationem corporis a puritate intelligentiæ impeditur. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 89, a. 2, ad 1^{um}.

Justitia postulat ut Deus unicuique reddat secundùm opera ejus. Sæpè autem in hac vitâ justus non solùm mercedem non accipit, verùm etiam persecutionem patitur, ut martyr qui morte acerbissimâ necatur; econtrà, nonnunquam impius abundat divitiis honoribusque cumulatur, ut constat experientiâ quotidianâ, et etiam evenit ut nonnulli, post vitam longævam omni criminum genere fœdatam, judicia Dei contemnant et mortis tempore nulla pœnitentiæ indicia præbeant. Necesse est igitur ut existat altera vita, in quâ Deus obeat munia remuneratoris et ultoris (1).

Sapientia Conditoris requirit ut mens humana sit immortalis; nam, sapiens artifex opus suum non destruit sine motivo sufficienti; secùs enim esset architecton, qui ædificat ut destruat, aut agricola, qui plantat ut eradicet. Porrò, mens humana, ut vidimus, est immortalis ex naturâ suâ. Ergò, repugnat sapientiæ divinæ ut mens humana in nihilum redigatur. Prætereà, non videtur cur Deus, qui materiam ipsam non annihilat, substantias ex se « perpetuas, » « incorruptibiles » et spirituales interimeret (S. Thomas, *Contrà Gent.*, l. II, c. LV).

Bonitas exigit ut animus sit immortalis et perenni vitâ gaudeat. Nempè, qui summum bonum summamque felicitatem appetit, nullâ beatitudine frui posset, si Deum, quem diligit, et vitam, cui pro suis viribus adhærere nititur, amittere deberet : « Si amitti vita beata potest, ait Tullius, beata esse non potest. Quis enim

(1) « Quand je n'aurais d'autre preuve de l'immortalité de l'âme que le triomphe du méchant et l'oppression du juste, cela seul m'empêcherait d'en douter. Une si choquante dissonance dans l'harmonie universelle me ferait chercher à la résoudre; je me dirais : Tout ne finit pas pour nous avec la vie, tout rentre dans l'ordre à la mort. » J.-J. Rousseau.

confidit sibi semper illud stabile et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit? Qui autem diffidit perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est ne aliquandò, amissis illis, sit miser. Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest (*De Finibus*, l. II, c. XXVII). » Sed, anima, ex unâ parte, summum bonum summamque felicitatem appetit; iis autem, ex alterâ parte, frui non potest in vitâ præsenti. Ergò, bonitas divina exigit ut sit vita futura, in quâ mens perenni felicitate gaudeat.

Anima igitur *vi* quadam *extrinsecâ perimi* non debet; cæterùm, *intrinsecè* habet ut a corpore separata *esse* possit et *vivere;* ergò, *ratione* constat animam esse *immortalem.*

2°, Ex AUCTORITATE. — Dogma immortalitatis animæ probatur auctoritate *generis humani*, *philosophorum* et *Ecclesiæ;* ergò, certum est et ab omnibus admittendum. — Quippè, circà veritatem hujus momenti, ad mores instruendos necessariam, et sine quâ lex divina sanctionem sufficientem non haberet, omninò repugnat quod genus humanum, ferè omnes philosophi et ipsamet Ecclesia in errorem invincibilem versari possint; dicendum est igitur animam esse immortalem; id est, vitâ perenni sibique propriâ fruitur.

(A.) Ex *consensu generis humani.* — Omnes populi, tùm sylvestres tùm exculti, semper et ubique fide unanimi constantique tenuerunt animas non solùm corpori superstites, sed etiam immortales esse : « Uti deos esse naturâ opinamur, ait Tullius, sic permanere animas arbitramur consensu nationum omnium (1). » Ad rem

(1) I. *Tuscul.* — « L'immortalité de l'âme, dogme capital, dont personne, dit Celse, ne doit se départir, fut toujours une croyance uni-

scripsit Bossuetius : « Les histoires anciennes et modernes font foi que cette idée de la vie immortelle se trouve confusément dans toutes les nations qui ne sont pas tout à fait brutes. Mais ceux qui connaissent Dieu, l'ont très-claire et très-distincte ; car ils voient que la créature raisonnable peut vivre éternellement heureuse, en admirant les grandeurs de Dieu, les conseils de sa sagesse et la beauté de ses ouvrages (*Connaissance de Dieu*, c. v, n. 14). »

Ea fides constans et universalis probatur : ex *cultu mortuorum;* ità, quidam mortui numero deorum a paganis adscripti sunt, ob suam eximiam virtutem, ut ait Aristoteles (1) ; — ex *curâ futuri* omnibus insitâ ; nam, aiente Tullio, « maximum argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animarum tacitam judicare, quod omnibus curæ sunt, et maximæ quidem, quæ post mortem futura sint ; » et sane compertum est patresfamilias, principes, poetas « futura etiam cogitare » et « post mortem nobili-

verselle du genre humain, de l'aveu même des plus ardents ennemis du christianisme. Voltaire et Bolingbroke en conviennent... C'était la doctrine des Égyptiens, des Chaldéens, des Perses, des Indiens, des Chinois, des Japonais, des Grecs, des Romains, des habitants de la Thrace, des Gètes, des Gaulois, des Germains, des Sarmates, des Scythes, des Bretons, des Ibères, des peuples de l'Amérique, en un mot, la doctrine de toutes les nations. » Lamennais, *Essai sur l'indifférence,* XXIV, etc.

(1) Ex. gr., Augustus, ut canit Seneca Tragicus :

« Ille qui meruit pia
» Virtute cœlum, divus Augustus. »
Octavia, v. 505, 506.

« Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem et cæteros, ubi lex jubet, indicat *omnium* quidem animas *immortales* esse, sed fortium bonorumque divinas. » Cicero, *De moribus,* l. 8.

tari velle (1); » — ex *modo loquendi* hominum; etenim amicus amico fidem æternam promittit, et voces illæ, immortalitas, æternitas, gaudia sempiterna, felicitas perpetua, communiter ab omnibus usurpantur : « Ecoutez (l'homme) : ses promesses sont immuables, ses douleurs perpétuelles, ses amours éternels, ses gloires séculaires, c'est-à-dire qu'il parle comme il agit, en être immortel (2). »

Consensus ille constans et unanimis non sumpsit originem a præjudiciis, nec a passionibus, nec ab ignorantiâ, nec ab errore communi, sed est expressio naturæ hominis; eapropter, existentiam vitæ futuræ et immortalis demonstrat, secundùm illa Ciceronis : « Quod si omnium consensus naturæ vox est, quod ad eos pertineat, qui vita cesserint; nobis quoque idem existimandum est (*Tuscul.*, c. XV). »

(B.) Ex *auctoritate philosophorum.* — Notum est philosophos ferè omnes in immortalitate animi asserendâ et probandâ consentire. Quis enim ignorat Socratem, Platonem, Aristotelem, Tullium aliosque veteres haud paucos docuisse mentem humanam esse « æternam (*Phædo*), » « incorruptibilem (Aristot.), » « immortalem (Cicer.). » Quis non miraretur Tullium dicentem : « Disjungamus nos a corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc et,

(1) I. *Tuscul.*, XII, XIV, etc. Item Senec. *Epist.* CXII. — Circà præsentem quæstionem egregiè scripsit Montaigne : « Un soing extresme tient l'homme d'alonger son estre, il y a pourveu par toutes ses pièces : pour la conservation du corps sont les sépultures, et pour la conservation des noms, la gloire : il a employé toute son opinion à se rebastir, impatient de sa fortune, et à s'estansonner par ses inventions. » *Essais*, l. II, c. XII.

(2) F. Poisson, *Entretiens sur la vie future.* — « L'éternité est si bien dans la nature de l'amour, qu'il ne saurait rien demander ni rien donner sans promettre l'éternité. » P. Janet, *La famille*, p. 360.

dùm erimus in terris, erit illi cœlesti vitæ simile; et, quùm illùc ex his vinculis emissi feremur, minùs tardabitur cursus animarum... Quo quùm venerimus, tùm denique vivemus. Nam hæc quidem vita, mors; quam lamentari possem, si liberet (1). »

Eamdem veritatem plerique philosophi recentes ingenio conspicui enixè propugnant; inter quos unus minimè suspectus in medium afferri potest : « Non, j'ai trop souffert en cette vie, dit J.-J. Rousseau, pour ne pas en attendre une autre. Toutes les subtilités de la métaphysique ne me feront pas douter un instant de l'immortalité de l'âme (*Lettre*). »

(* (C.) Ex *auctoritate Ecclesiæ*. — Imprimis, « Scriptura sacra, licet non dicat expressè animam esse naturâ suâ immortalem, nihilominùs aperiè docet eam per separationem a corpore non perire, sed manere ac vivere separatam; et illud fieri nec per miraculum, nec per specialem gratiam, sed ex intrinsecâ conditione naturæ animi. Ecclesiastes, ex. gr., sic se habet : « Revertatur pulvis in terram suam undè erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum (Suarez, *De Animâ*, I, x). » Hæc etiam aliaque similia legimus in Veteri et in Novo Testamento : « Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis..... Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est (*Sap.*, III, 1, etc., et V, 16; Cf. DD. Freppel). » — « Ibunt (mali) in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam (*S. Matth.*, XXV, 46). » — « Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, suprà

(1) I. *Tuscul.*, XXXI. — Haud aliter locuti sunt SS. Patres : « Sit quotidianus usus in nobis affectusque moriendi, ut per illam, quam diximus, segregationem a corporeis cupiditatibus, anima nostra se discat extrahere, et quasi in sublimi locata, quo terrenæ adire libidines et eam sibi glutinare non possint, suscipiat mortis imaginem, ne pœnam mortis incurrat. » S. Ambros., *De fide resurrect.*, lib. II, n. 40; Bossuet, *Lettres de piété*, 169.

modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis (II. *ad Corinth.*, IV, 17). » Item, juxtà Sanctos Patres, « creata est anima a Deo, vita a vità, simplex a simplici, immortalis ab immortali, ut non sit longè a Creatore suo, cui appropiare videtur simplicitate essentiæ, et perpetuitate vitæ (S. Aug.). » — « Immortalis est anima, quià carne caret (*Id.*). » — « Anima est substantia et incorporea et immortalis (S. Chrys.). » — « Anima est opus Dei pulcherrimum, secundùm Factoris imaginem, immortale et incorruptibile (S. Cyr. Hier.). » Ea tandem legimus in Ecclesiæ decretis : « Quùm diebus nostris nonnulli ausi sunt dicere de *naturà* animæ rationalis, quod *mortalis* sit, et aliqui temerè philosophantes, secundùm saltem philosophiam verum esse asseverent : Sacro approbante Concilio, damnamus ac reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse; quùm illa non solùm verè, sed per se, et essentialiter humani corporis forma existat, verùm etiam immortalis (Concil. Later. V). » Ex his verbis aliisque similibus, duo inferuntur : anima non solùm ex gratiâ, sed ex *naturà suâ*, est verè ac essentialiter *immortalis;* eo nomine, *immortalis*, designatur vita *propria* et *perennis*. Ergò, propositio demonstratur ex auctoritate Ecclesiæ. *)

3°, Ex innato desiderio. — Nam, omnibus hominibus ingenitum est desiderium futuræ immortalitatis; sed, omne desiderium ex ipsamet naturâ legitimè defluens, finem suum consequi debet; anima igitur futura est immortalis. Etenim illud desiderium ab Auctore naturæ sumpsit exordium, et Deus rem frustrà egisset, imò decepisset hominem, nisi reapsè animus futurus esset immortalis (1). Ad rem egregiè scripsit S. Thomas :

(1) « Le désir d'une telle vie s'élève et se fortifie d'autant plus en nous, que nous méprisons davantage la vie sensuelle, et que nous cultivons avec plus de soins la vie de l'intelligence. Et l'âme qui attend cette vie, et qui la désire, ne peut comprendre que Dieu, qui lui a donné cette idée et lui a inspiré ce désir, l'ait faite pour une autre fin. » Bossuet, *Connaissance de Dieu.*

« Impossibile est naturæ desiderium esse inane; natura enim nihil facit frustrà. Sed quodlibet intelligens naturaliter desiderat esse perpetuum, non solùm ut perpetuetur esse secundùm speciem, sed etiam secundùm individuum..... Ergò impossibile est quod substantiæ intellectuales esse deficiant (*Contrà Gent.*, l. II, c. LV. » Aliundè, cor hominis, quod « vix ad unius milvi refectionem sufficere potest (Hugo a S. Victore, *De animâ*, III, c. XXXI), » sublimia æternaque sapit et appetit; eapropter ad immortalitatem natum est; et cum Sancto Augustino dicere possumus : « Fecisti nos ad te (Deus), et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te (*Confess.* I, c. I). » Secùs enim animus appeteret id, quod naturam suam superaret.

Brevius : Animus e naturâ suâ, id est, *intrinsecè*, et *esse* potest et *vivere* a corpore separatus : cæteroqui, *extrinsecè* nullâ causâ nec finità nec infinità potest annihilari. — Insuper, auctoritate generis humani, philosophorum et Ecclesiæ, — necnon innato desiderio probatur immortalitas animæ. Ergò, mens humana verè dicitur *immortalis*, id est, *vitâ perenni* sibique *propriâ* fruitur.

III. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 75. Obj. Immortalitas animæ nullo argumento probari potest sive ex ipsâ animæ *naturâ*, sive ex Dei *attributis*, sive ex *auctoritate*, sive ex innato *desiderio*. Ergò, dubium est, imò falsum, hominem esse immortalem.

Resp. *Nego antecedens* et *consequens* propter rationes allatas.

Inst. 1°, Ex ipsâ animæ *naturâ*. — Omne ens, suo fine expleto, esse desinit; atqui, mens nata est ad corpus informandum; ergò, corpore soluto, mens esse desinit.

Resp. *Distinguo majorem :* ens esse desinit, fine suo *totali* expleto, *concedo;* fine *partiali*, *nego*. *Distinguo minorem :* mens nata est ad informandum corpus humanum, *transitoriè*,

ut ad finem *partialem, concedo; essentialiter,* ut ad finem *totalem, nego.* Undè, *nego consequens.* Id est, quùm omne ens sit conditum ad finem quemdam sibi proprium, nulla est ratio cur in esse pergeret postquam finem suum expleverit; sed mens humana, quùm sit *spiritualis*, non potest ordinari ad corpus humanum ut ad finem sibi proprium, eò quod essentialiter repugnat superiorem ordinari ad inferiorem. Econtrà, dicendum est corpus ordinari ad animam ut ab eâ recipiat vitam vegetativam et sensitivam, eique porrigat instrumentum, quo utatur in statu præsenti; finis autem animæ est cognoscere et amare Deum, Eoque perpetuò frui.

Inst. 2°, Ex *attributis* Dei. — Argumentum ex attributis Dei depromptum supponit in homine quoddam jus ad immortalitatem; atqui, homo nullum jus habet ad immortalitatem; ergò, nihil probat argumentum ex attributis Dei depromptum.

Rep. *Distinguo majorem :* argumentum ex attributis Dei depromptum supponit in homine jus *latè* sumptum, *concedo;* jus *strictè* sumptum, *nego. Distinguo minorem :* homo non habet ad immortalitatem jus *strictum, concedo;* jus *latè* sumptum, *nego. Nego consequens.* Videlicet, indubium est Deum nullis officiis ergà homines adstringi et nihil eis debere « ex toto rigore justitiæ, » ut aiunt; undè, absolutè Deus animam in nihilum redigere posset. Jus autem aliud minùs strictum et « ex *condignitate* » reperitur in homine; scilicet, in vitâ præsenti, virtus mercedem et vitium pœnam non accipiunt; nam, ex unâ parte, pax conscientiæ in justis, et, ex alterâ parte, stimulus conscientiæ in impiis non possunt haberi ut præmium virtutis et pœna vitii; imò, in quibusdam justis pax conscientiæ multis angoribus turbatur, dùm econtrà stimuli conscientiæ paulatim minuuntur in impiis ex ipsamet habitudine vitii. Propterea, ex condignitate homo jus habet ad immortalitatem.

Inst. 3°, Ex *auctoritate.* — Auctoritas generis humani est infallibilis in veritatibus, quæ captum suum non superant; atqui, dogma immortalitatis animæ captum generis humani superat. Ergò, immortalitas animæ probari non potest ex auctoritate generis humani.

Resp. *Concedo majorem; nego minorem;* undè, *nego consequens.* Genus humanum non cognoscit *explicitè* rationes, quibus immortalitas animæ demonstratur, et etiam non habet notionem claram et scientificam de statu animi a corpore sejuncti; sed homines omnium gentium omniumque temporum duo crediderunt: videlicet *existit* altera vita; et ea est *perennis.* Aliundè, dogma immortalitatis animæ, in eo sensu acceptum, minimè superat captum hominis; prætereà, meritò dicitur una ex his veritatibus, quæ necessariæ sunt ad mores componendos, ut vidimus. Ea igitur populorum fides putanda est lex naturæ mentibus a Deo insita; ideoque mentis immortalitas probatur ex auctoritate generis humani.

Inst. 4°, Ex *innato desiderio.* — Omne animal vitam appetit; atqui, talis appetitus non probat brutum esse immortale; ergò, pariter non probat hominem esse immortalem.

Resp. *Distinguo majorem :* omne animal appetit *conservationem* vitæ, *concedo;* vitam *futuram* et *immortalem, nego. Concedo minorem* et *nego consequens.* Omne animal propter instinctum a naturâ inditum vitæ conservationem appetit, eò quod vita est bonum; sed brutum non potest appetere vitam futuram et immortalem in quâ mens felicitate perpetuâ fruitur, quià desiderium hujusmodi supponit notiones, quæ non inveniuntur in brutis. Eâ de re neganda est omnis paritas inter illum vitæ præsentis appetitum, qui communis est omnibus animantibus, et innatum immortalitatis desiderium, quod a Deo sapientissimo et optimo mentibus nostris insitum est. *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De Statu alterius vitæ.

I. Utrùm anima separata intelligere et velle pergit?

(* 76. 1°, Animus a corpore separatus vitam vegetativam et sensitivam servat *in radice;* nam, ut infrà videbitur, mentis essentia jurè dicitur omnium facultatum *radix* et fundamentum.

2°, Anima separata non solùm in radice, sed etiam in *actu* habet vitam rationalem; id est, *intelligere* et *velle* pergit; scientiam et affectiones præteritas servat, imò novas acquirere potest. Et verò, intellectus et voluntas sunt facultates spirituales, quarum evolutio non pendet a materiâ (S. Thom., *Sum. Theol.*, I, q. 89, a. 6).

3°, Animus a corpore separatus non cognoscit ope sensuum, ut fit in statu vitæ præsentis : « Dicendum, ait S. Thomas, quòd anima separata non intelligit » ope cognitionum quæ per sensus acquiruntur, sed « ex influentiâ divini luminis, » sicut et aliæ substantiæ a materiâ separatæ (*IV Sent.*, dist. L, q. 1, a. 7, ad 3^um^).

4°, *Principium* intrinsecum vitæ rationalis, id est, essentia animæ, *facultates* ad hanc vitam necessariæ, videlicet intellectus et voluntas, ejusdem vitæ *exercitium*, actus scilicet intellectûs et voluntatis, manent integrè post obitum corporis; aliundè, vita hujusmodi perennis esse debet, ut dictum est in propositione præcedenti.

II. Quis est status animæ separatæ?

77. Qualis autem erit animæ *status* in hac vitâ immortali? numquid beatitudine perpetuâ fruetur, pœnasve solvet æternas? — De futurâ beatitudine non est difficultas; de pœnarum autem æternitate, licet major sit inter auctores dissensio, a maximâ parte philosophorum propugnatur sequens

PROPOSITIO.

Non solùm fide creditur, sed etiam ratione suaderi potest pœnarum æternitas.

Probatur tribus argumentis; unum ex parte Dei sumitur, aliud ex parte peccatoris, et ultimum ex traditione generali.

(A.) Ex parte Dei. — Peccatum offendit Deum, nempè Majestatem, Sanctitatem, Justitiam, Bonitatem infinitam; sed, gravitas injuriæ desumitur ex Majestate Dei offensi, secundùm adagium, *offensum est in offenso;* peccatum igitur est injuria

objectivè infinita; porrò convenit injuriam infinitam pœnis æternis expiari; ergò, peccatum pœnis æternis, id est *extensivè* infinitis, expiari convenit.

(B.) Ex parte peccatoris. — Pœna cessare non debet, quandiù non cessat peccatum; sed, peccatum animæ separatæ nunquam cessare debet; ergò, pœna peccati erit æterna. — Minor probatur. Peccator, e vitâ decedens, constituitur in statu perennis inordinationis, quià peccatum eligit ut finem ultimum, et nunquam a Deo veniam est impetraturus, quià ultrà non erit tempus ad pœnitentiam (1).

(C.) Ex traditione populorum. — Olim viguit, et etiam nunc viget apud paganos traditio universalis, quæ horrenda et æterna supplicia peccatorum asseverat, ut testantur historiæ profanæ, necnon ipsæ poetarum descriptiones; sic, audi Virgilium dicentem :

« . . . Sedet, æternumque sedebit
» Infelix Theseus. . . . .
» Discite justitiam moniti, et non temnere divos (2). »

Aliundè æternitas pœnarum est dogma fidei, in symbolo sancti Athanasii expressè definitum : « Qui bona egerunt, ibunt

(1) « Semper defectus, quo subtrahitur principium, irreparabilis est; sicut si corrumpatur principium visivum, non potest fieri visionis reparatio, nisi solà virtute divinà. Et ideò si per peccatum corrumpatur principium ordinis, quo voluntas hominis subditur Deo, erit *inordinatio*, quantùm est de se, irreparabilis, etsi reparari possit virtute divinà. » S. Thom., *Sum. Theol.*, 1ª 2æ, q. 87, a. 3. — Bossuet, *Sermon sur la fête de la Circoncision*.

(2) *Eneid.*, v, 616, 617, 661. — « Le Zend Avesta des Perses dit expressément : « Les âmes pures sont dans le séjour d'Ozmud; le méchant aura après la vie des ténèbres pour demeure. » Dans le Brahmanisme on lit au poëme de Rama : « Le juste, qui par de bonnes œuvres et de pieux sacrifices, sait purifier son âme, monte glorieux au séjour du père des êtres. L'âme dissolue, menteuse, adultère, brûlera dans l'enfer du feu de son péché. » D. Duchesne, *L'Immortalité*, n. 2, c. IX.

in vitam æternam : qui vero mala, in *ignem æternum.* » Ergò, stat propositio.

Obj. Deus est bonitas; atqui, repugnat bonitati ut sontem pœnis æternis afficiat; ergò, pœnarum æternitas bonitati divinæ repugnat.

Resp. *Distinguo majorem :* Deus est bonitas simul et *justitia, concedo;* bonitas *tantùm, nego. Distinguo minorem :* repugnat bonitati ut sontem pœnis æternis afficiat, *non reclamante justitiâ, transeat; reclamante justitiâ, nego,* propter rationes allatas. Dixi : *transeat;* amor enim contemptus pœnam sontibus irrogare intendit, secundùm ea oratoris celeberrimi : « Le Dante a mis sur la porte de son *Enfer* cette fameuse inscription :

« Par moi, l'on va dans l'éternelle douleur,
» Par moi, l'on va dans la cité de la plainte,
» Par moi, l'on va dans la nation perdue.....
» Vous qui entrez, laissez l'espérance. »

Mais pourquoi laisser l'espérance? Pourquoi en un lieu où la bonté divine doit se trouver, puisqu'elle est inséparable de Dieu, faut-il abdiquer toute heureuse perspective, si lointaine qu'elle soit? Le poëte nous l'explique dans un vers que je ne me rappelle jamais sans un tressaillement d'admiration :

C'est l'éternelle justice qui m'a fait, et le premier amour.

Si ce n'était que la justice qui eût creusé l'abîme, il y aurait du remède, mais c'est l'amour aussi, c'est le premier amour qui l'a fait : voilà ce qui ôte toute espérance. Quand on est condamné par la justice, on peut recourir à l'amour; mais quand on est condamné par l'amour, à qui recourra-t-on? Tel est le sort des damnés. L'amour qui a donné son sang pour eux, cet amour-là même, c'est celui qui les maudit. Eh quoi! un Dieu sera venu ici-bas pour vous, il aura pris votre nature, parlé votre langue, touché votre main, guéri vos blessures, ressuscité vos morts; que dis-je? un Dieu se sera livré pour vous aux liens et aux injures de la trahison, il se sera laissé mettre nu sur une place publique entre des prostituées et des voleurs, atta-

cher à un poteau, déchirer de verges, couronner d'épines; il sera mort enfin pour vous sur une croix! Et, après cela, vous pensez qu'il vous sera permis de blasphémer et de rire, et d'aller sans crainte aux noces de toutes vos voluptés! Oh! non, détrompez-vous, l'amour n'est pas un jeu; on n'est pas impunément aimé par un Dieu, on n'est pas impunément aimé jusqu'au gibet. Ce n'est pas la justice qui est sans miséricorde, c'est l'amour. L'amour, nous l'avons trop éprouvé, c'est la vie ou la mort, et s'il s'agit de l'amour d'un Dieu, c'est l'éternelle vie ou l'éternelle mort (Lacordaire, *Confér. de N.-D.*, 72e Confér.). » *)

ARTICULUS TERTIUS.

De erroribus philosophorum.

I. Quot sunt præcipui philosophorum errores?

(* 78. Quidam philosophi, errantes a viâ veritatis, pessimos errores docuerunt circà mentis immortalitatem et vitam futuram. Tria præsertim ex illorum commentis recensere par est : videlicet, hypotheses *materialismi*, *pantheismi* et *palingenesiæ* seu *metempsychoseos* recentiorum.

Juxtà materialistas, anima non est simplex, nec a fortiori spiritualis, licet spiritu gaudeat; quùm autem materia, post corporis obitum, non pereat (1), ea pars materiæ, quæ dicitur anima, in aliud compositum chimicum mutari debet. Illud materialismi commentum jam confutatum est in propositione de animi simplicitate.

Pantheistæ nonnulli, post Plotinum et Stoicos, docent immortalitatem animi eo sensu propugnandam esse : mens humana nihil est nisi emanatio, vel evolutio Entis Infiniti, aut

(1) « La matière est impérissable, la mort n'est qu'une forme de la vie. Quand le corps se disjoint et se dissout dans le grand tout, chacun de ses atomes, dont la cohésion formait l'existence, s'unit par l'affinité aux atomes de même nature dispersés par la mort, cette chimiste de la vie. » *Revue du Progrès*, 1863.

Ideæ-Entis; idcircò, post corruptionem corporis, idem animus resolvitur in substantiam infinitam, et personalitatem suam amittit (1). Tale portentum rationi contradicit; nam, ut vidimus in propositione de origine mentis humanæ, anima non est evolutio nec emanatio substantiæ divinæ, sed ortum sumit a Deo, per creationem e nihilo.

Progressistæ recentes, cum nonnullis transformismi fautoribus, *Metempsychosim* veterum, sub nomine novo *Palingenesiæ*, renovarunt. Metempsychosis, quæ dicitur etiam « transcorporatio seu transanimatio, » viguit olim apud Indos, Sinenses, Ægyptios et alias gentes antiquas; rectè definiri potest : systema eorum qui tenent animas, uno corpore exutas, in aliud corpus migrare. Quod his verbis expressit S. Thomas : « Omnes qui posuerunt animas extrà corpora creari, posuerunt transcorporationem animarum, ut sic anima exuta a corpore uno, alteri corpori uniretur, sicut homo exutus uno vestimento, induit alterum (*Qq. disp. de Pot.*, q. 3, a. 10). »

Palingenesia recentiorum nonnisi nomine discrepat a Metempsychosi veterum; defensores enim hujus theoriæ contendunt animas, ratione progressûs infiniti, ex uno corpore in aliud magis perfectum transire : sic, juxtà Michelet, animus infelicis plebeii migraturus est in corpus divitis opulentissimi. Imò, fraternitatis amore pulsus, omnia animalia parentes suos et propinquos esse dicit (*Le peuple*; item Reynaud, Enfantin).

Tale systema rationi contradicit; etenim, ex unâ parte, nemo conscius est quod olim in alio corpore extiterit, secundùm ea Voltarii : « Pour que la Métempsychose pût être admise, il faudrait que quelqu'un de bonne foi se ressouvînt bien positivement qu'il a été un autre homme; » ex alterâ parte, quoad vitam futuram, assertio migrationis animarum non solùm est merè gratuita, sed etiam omninò jocosa, meritoque dicitur a S. Augustino « ludibrium » quorumdam philosophorum, de

(1) Hegel, *Philos. de l'esprit, Phénoménologie de l'esprit.* « L'idée produit l'âme, Dieu et le monde... L'âme, Dieu et le monde viennent se résoudre dans l'idée. »

quo eorum « posteri erubuerint (*De Genes. ad litt.*, l. VII, c. IX). »

Aliundè, Palingenesia veterum ac recentiorum auctoritate universali philosophorum et theologorum invictè rejicitur. Fidei etiam catholicæ contradicit; nam Ecclesia prædicat « animam in resurrectione idem corpus resumere, quod deponit (S. Thomas, *Contrà Gent.*, l. II, c. LIV). »

Undè, dogma *immortalitatis* animæ tùm sanâ philosophiâ, tùm auctoritate Ecclesiæ propugnatur; quod utique verum est de animi *spiritualitate*, necnon de illius *origine* divinâ. Idem quoque dicendum est de *unione* mentis et corporis, ut videre est in secundâ parte. *)

TERTIA PARS PSYCHOLOGIÆ

DE

HOMINE.

I. Quomodo dividitur tertia pars, De homine seu de unione mentis et corporis.

79. *Homo* non est anima sola, neque solum corpus, sed absolvitur unione *naturali* et *personali* mentis et corporis; ità ut anima sit *verè, per se, immediatè* et *substantialiter* corporis *forma*. Undè, postquam dictum est de animâ in *se sumptâ*, logicè dicendum est de illius *unione* cum corpore humano. Circà præsentem quæstionem, tria sint capita : I, De unione *substantiali* animæ et corporis; II, De influxu *animæ* in corpus; III, De influxu *corporis* in animam.

CAPUT PRIMUM.

DE UNIONE SUBSTANTIALI ANIMÆ ET CORPORIS.

II. Quomodo dividitur caput primum, De unione substantiali animæ et corporis?

80. Recensere oportet philosophorum sententias, et veram sententiam propugnare; duo igitur erunt articuli :

1^us^, De *variis* philosophorum *sententiis;* 2^us^, De *verâ sententiâ.*

ARTICULUS PRIMUS.

De variis philosophorum sententiis.

III. Expone doctrinam scholasticorum.

81. Anima, ut vidimus in secundâ parte, est substantia simplex et spiritualis, a Deo procedit per creationem immediatam, et futura est immortalis; verumtamen, sola non constituit hominem. A fortiori, corpus solum dici nequit homo completus : « Hominem nec animam solam, nec corpus solum, ait sanctus Augustinus, sed animam simul et corpus esse arbitramur (*De civit. Dei,* XIX). » Sed homo ex animâ et corpore absolvi non potest, quin adsit unio intima inter corpus et animam. *Quænam* autem unio requiratur, ut e duobus principiis una efficiatur substantia, vel quomodò principium spirituale et principium materiale arctissimè conjungi possint, non facile concipitur.

Ad hanc difficultatem solvendam multa prodière systemata. Quidam philosophi, ducibus Platone et Cartesio, unionem tantùm *accidentalem* inter corpus et animam admiserunt; alii autem, post Malebranchium, Leibnitzium, Eulerium et Cudworth, unionem substantialem directè non impugnantes, eam indirectè rejiciunt. Prima sententia negat ipsam *unionem* mentis et corporis; alia verò systemata *rationem* aut fundamentum ejusdem unionis evertunt, aut saltem illius *naturam* et extensionem non exhibent, ut infrà videbitur.

Adversùs errores istos, *existentia naturaque* unionis substantialis animæ et corporis eo modo explicantur a scholasticis : — Homo non est anima sola, neque solum corpus, sed absolvitur unione *naturali* et *personali* men-

tis et corporis ; — ità ut anima sit *verè*, *per se*, *immediatè* et *substantialiter corporis forma*. — Seu fusiùs : — Unio mentis et corporis, per quam homo perficitur, non est quid merè *accidentale*, sed jurè dicitur *naturalis* et *personalis;* ex eâ scilicet unione una *natura*, seu una *substantia completa*, necnon una *persona* constituitur, secundùm illa sancti Doctoris : « Ex animâ et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas, *naturæ et personæ* (*Sum. Theol.*, III, q. 2, a. 1, ad 2^um^). »

Hæc unio substantialis *sic* efficitur : — Corpus habetur ut substantia passiva, *materialis* et perfectibilis ; anima verò est substantia activa, *formalis* et perficiens. — Anima, « eaque rationalis, » aiente Summo Pontifice, *verè*, non *metaphoricè* tantùm ; *per se*, non per aliud, nec ad modum *occasionis*, *harmoniæ*, vel *influxùs physici; immediatè*, nullo scilicet habito unionis vinculo, qualis esset *mediator plasticus*, vel principium *vitale; substantialiter*, ut evenit inter duo principia, quorum unum assumens alterum, ei quidquid recipere potest communicat, et cum illo deinceps unam efficit substantiam completam ; fit corporis *forma*, illud scilicet, non per modum causæ efficientis extrinsecæ, sed tanquam principium intrinsecum informat, et dat ei esse *corpus humanum*, a quolibet alio *specificè* distinctum (1). Hac

(1) « Anima *esse* corpori largitur veluti principium, quo res est id quod est ; undè corpus, antequam ab animâ informetur, non est corpus humanum, et, statim ac anima ab eo separatur, corpus humanum esse desinit. » Sanseverino, *Ibidem*, n. 19. — « Ad hoc ut aliquid sit forma substantialis alterius, duo requiruntur. Quorum unum est, ut forma sit principium essendi substantialiter ei, cujus est forma ; principium autem dico non *effectivum* sed *formale*, quo aliquid est et denominatur ens. Undè sequitur aliud, scilicet quod forma et materia conveniant in uno esse, quod non contingit de principio effectivo cum eo cui dat esse. » S. Thom., *Sum. contrà Gent.*, l. 2, c. LXVIII.

unione perfectâ, corpus et anima proprietates suas non amittunt, et quidquid uni vel alteri competit, de ipso composito asseritur; ex. gr., dicimus hominem habere pedes et manus, intellectum et voluntatem. — Anima rationalis « secundùm essentiam, non tamen secundùm operationem, » suum corpus informat; ità ut, etsi corpus animæ velut instrumentum opituletur, hæc ab illo non pendeat in actibus vitæ intellectualis (S. Thomas, *Qq. disp. De animâ*, a. 7, ad 11).

IV. Quid docent alii philosophi?

82. Alii philosophi tria communiter admittunt cum ipsis scholasticis : primò quidem, inter operationes animæ et motus corporis harmonia mirabilis existit : quoties volumus ambulare, extendere brachia, vel oscitare, de facto ambulamus, extendimus brachia, vel oscitamus. Secundò, omnes homines quamdam differentiam inter *corpus*, *animam* et *hominem* instituunt : nemo enim corpus ab animâ separatum seu cadaver, nec animam solam appellat hominem. Tertiò tandem, juxtà omnes, absolvitur homo unione quadam animæ et corporis; undè apparet veritas hujus principii : Hæc esse debet unio mentis et corporis, ut in unoquoque nostrûm non duplex aut multiplex, sed unus efficiatur homo. In hoc consentiunt omnes, sive philosophi sive scientiarum naturalium cultores, docti aut indocti, exculti et rudiores. Quænam sit autem factorum hujusmodi explicatio seu ratio sufficiens, olim et nunc etiam acerrimè controvertitur inter auctores, et ad solutionem hujus difficultatis plures sententiæ prodierunt.

Primum nobis occurrit Platonis et Cartesii commentum. Plato, duce Pythagorâ, docuit animam rationalem non esse corpori unitam, nisi tanquam motorem mo-

bili, musicus lyræ, nauta navi, eamque conjunctionem non esse naturalem, sed punitionis causâ, vel ob materiæ desiderium effectam (*Alcib.*).

Inter recentiores Cartesius, nomen unionis substantialis retinens, ipsam unionem non semel negavit; nam, juxtà eum, anima essentialiter cogitat; sed, id quod in nobis cogitat, hominem constituit; ergò, anima eaque sola dicitur homo. (*Princip. philos.* I, 8 et 9.) Eamdem sententiam saltem implicitè tuiti sunt philosophi, qui personam humanam definierunt « complexionem phænomenorum internorum (Locke), » « conscientiam operationum nostrarum (Kant), » vel « naturam suî consciam (Rosmini); » ii enim τὸ *ego* cogitans ut personam completam, aut hominem integrum, habuêre.

Tria systemata e Cartesii figmento nata sunt, *occasionalismus*, *harmonia præstabilita*, et *influxus physicus*; scilicet, ad explicandam miram consensionem inter actus animæ motusque corporis existentem, defensores horum systematum finxerunt unionis modum, quem Malebranchius appellavit *assistentiam*, Leibnitzius *harmoniam*, et Eulerius *causalitatem*.

Occasionalismus, seu *assistentia*. — Juxtà Malebranchium aliosque nonnullos, Deus solus est causa propriè dicta; causæ verò naturales sunt tantùm *occasionales* : « Toutes les causes naturelles ne sont point de véritables causes, mais seulement des causes occasionnelles, ait Malebranchius. Je déduis donc le principe, qu'une cause naturelle n'est point une cause réelle et véritable, mais seulement une cause occasionnelle qui détermine l'auteur de la nature à agir de telle ou telle manière, en telle et telle rencontre (*Recherche de la vérité*). » Eapropter corpus et anima, licet intimè uniantur, non possunt in se invicem agere; verumtamen operationes animæ sunt

occasiones, quibus datis, Deus ipse producit in corpore motus consentaneos, et vicissim operationes corporis sunt occasiones, quibus datis, Deus producit in animâ effectus consentaneos. Et in hoc Deus « se mirabilem ostendit (Geulincx, *Metaphys.*). » Illud systema dicitur *occasionalismus*, quià motus corporis et actiones animæ sunt duntaxat occasiones, quibus positis, Deus immediatè et per se operatur in nobis. Vocatur etiam *assistentia*, eò quod Deus præstò sit animæ et corpori, ut in illis motus et actiones exerat.

Harmonia præstabilita. — Leibnitzius occasionalistas subsannat, dicens : « Miratus sum frequenter hominibus tam eruditis sententias tam parùm philosophicas, tamque primis rationis effatis contrarias probari potuisse (*Theodic.*, II, 340); » deindè suum systema proponit ad explicandam harmoniam quæ in operationibus nostris comperitur. Admittit quidem, ut Malebranchius, animam et corpus esse a se invicem prorsùs independentes; sed expressè negat ea destitui omni actione, vel motu proprio; econtrà, seriem operationum seu phænomenorum vi nativâ producunt. Eaque phænomena, ex dispositione Dei creantis, ità harmonicè conspirant, ut quidquid jubet anima, corpus eodem instanti perficiat; sic anima dolorem et corpus læsionem eadem horâ debent experiri. Tale systema, quod enixè propugnavit Wolfius, meritò dictum est *harmonia præstabilita* (1).

(1) Sic se habet Leibnitzius : « Figurez-vous deux horloges ou deux montres qui s'accordent parfaitement. Or, cela se peut faire de trois façons. La première consiste dans l'*influence* mutuelle d'une horloge sur l'autre. La seconde manière de faire toujours accorder deux horloges, bien que mauvaises, pourra être d'y faire toujours prendre garde par un habile ouvrier qui les mette d'accord à tout moment; et c'est ce que j'appelle les voies de l'*assistance*. Enfin la troisième ma-

Influxus physicus, seu systema *causalitatis*. — Newton, Clarke, Euler, P. Make, Storchenau, Lockiani plerique, et alii saltem in Anglià, propugnârunt systema influxûs physici seu causalitatis. Illud systema consistit in mutuâ actione operationum animæ in motus corporis, et motuum corporis in operationes animæ; scilicet, motus corporis passiones et actus consentaneos excitant in animâ, pariterque mentis actiones motus congruentes in corpore gignunt. Sit exemplum a patronis hujus sententiæ depromptum : impressis in sensu motionibus, et nervorum ope ad cerebrum usque propagatis, mens ad inquirendas rerum notiones determinatur; et vicissim, subortâ in animo voluntate membrum commovendi, nervi continuò impelluntur, motusque in eo membro consequuntur.

Cudworth et Leclerc, ad unionem mentis et corporis faciliùs aptandam, *mediatorem plasticum*, seu substantiam, quâ mediante corpus in animam et anima in corpus actiones et motus exercent, nobis inesse contenderunt. Ea substantia est incorporea, sed omni sensibilitate et intellectu destituta.

ARTICULUS SECUNDUS.

De verâ sententiâ.

I. Quænam est vera sententia de unione mentis et corporis?

nière sera de faire d'abord ces deux pendules avec tant d'art et de justesse, qu'on se puisse assurer de leur accord dans la suite; et c'est la voie du *consentement* préétabli. » Deinde rejicit *influxum* physicum et *assistentiam*, et addit : « Ainsi il ne reste que mon hypothèse, c'est-à-dire que la voie de l'*harmonie* préétablie par un artifice divin prévenant. » *Lettres*.

83. Doctrina scholasticorum, eaque sola, propugnari potest, de unione mentis et corporis; undè, sit

PROPOSITIO.

Homo absolvitur unione naturali et personali mentis et corporis, ità ut anima sit verè, per se, immediatè et substantialiter corporis forma.

Probatur *indirectè*. — Systemata unionis accidentalis, occasionalismi, harmoniæ præstabilitæ, influxûs physici et mediatoris plastici unionem mentis et corporis non exhibent; ergò, rejicienda sunt. Probatur antecedens. — Hæc systemata dirimunt unionem mentis et corporis; — personalitatem in animâ solâ reponunt; — et ab experientiâ reprobantur. Primò, dirimunt unionem mentis et corporis; nam, unione substantiali rejectâ, unio accidentalis, quantacumque sit, non impedit quin duæ sint in homine substantiæ, aut duæ naturæ, una corporea, altera spiritualis. Secundò, personalitatem in animâ solummodò reponunt; corpus enim, ab animâ sejunctum, non potest cum illâ concurrere ad unam eamdemque personalitatem constituendam. Tertiò, ab experientiâ reprobantur; quippè, experientia nos edocet unicum esse subjectum quod in nobis operatur, et illud non esse solam animam, neque solum corpus, sed ex utroque simul conflari (R. P. Liberatore, *Composé humain*); v. gr. idem subjectum dicit : *ambulo*, *intelligo*, habeo *brachia*, *voluntatem*, et alia similia.

Aliundè, adversariorum sententiæ sunt hypotheses omninò gratuitæ, satis ingeniosæ quidem, sed *falsis* innixæ *fundamentis;* ergò, rejiciendæ sunt. — Probatur antecedens. — De sententiâ Platonis et mediatore plastico non est ambigendi locus; nam, ut patet, non solùm gratuitæ sunt, sed etiam unitatem personalitatis directè et om-

ninò subvertunt. Cartesii theoria funditùs evertitur, quià mens humana non cogitat essentialiter, nec proindè personalitas in το ego cogitante reponi debet. Itemque, Malebranchius et Leibnitzius falsò contendunt substantias actione mutuâ in se invicem esse destitutas, ut fusiùs ostendimus in Cosmologiâ. Undè, præfata systemata Platonis, Cartesii, Malebranchii, Leibnitzii, Eulerii, meritò rejiciuntur a plerisque philosophis. Eapropter, his systematibus rejectis, superest doctrina scholastica; videlicet : Homo non est anima sola, neque solum corpus, sed absolvitur unione *naturali* et *personali* mentis et corporis; — ità ut anima sit verè, per se, immediatè et substantialiter corporis *forma*.

Probatur *directè* et per partes. — (A.) Unio mentis et corporis est *naturalis*, ex eâ scilicet efficitur una *natura*, seu una *substantia completa*. — Sunt enim actus in homine, qui nec a solâ mente, nec a corpore solo, sed ab utroque procedunt, v. gr., sensationes; atqui, perceptio sensitiva, quùm sit actus simplex, ut fatentur adversarii, non procedit a duabus, sed ab unà substantiâ seu naturâ; ergò, existit in homine una natura, quæ conflatur ex unione mentis et corporis : « Ex corpore et animâ, inquit sanctus Thomas, dicitur esse homo sicut ex duabus rebus quædam tertia res constituta, quæ neutra illarum est; homo enim nec est anima neque corpus (*De ente et essentiâ*, c. III). »

(B.) Unio mentis et corporis est *personalis*, ex eâ scilicet efficitur una persona. — Re quidem verâ, non solùm natura aut principium *quo* agimus, sed etiam persona, nempè subjectum *quod* operatur in nobis unum est; etenim, ut experientiâ constat, uni et eidem subjecto multa tribuuntur, quæ corpori et animæ conveniunt, ut *ego ambulo*, *manduco*, *intelligo*, *volo*. Porrò, illud fieri non pos-

set, nisi *ego* seu *persona* constaret ex unione mentis et corporis. Ergò, dicendum est cum sancto Augustino et sancto Thomâ : « Persona hominis mixtura est animæ et corporis (*Epist. ad Volus.*, c. III), » aut « ex animâ et corpore constituitur in unoquoque nostrûm duplex unitas, naturæ et personæ (*Sum. Theol.*, III, q. 2, a. 1, ad 2^um^). »

(C.) Anima, « eaque rationalis, » unitur corpori ut *forma substantialis*. Seu anima est principium intrinsecum, quod corpori communicat *esse substantiale* (1); illud scilicet efficit corpus humanum a quolibet alio *specificè* distinctum, eique largitur quidquid recipere potest, ut *esse, vegetare* et *sentire*. — Probatur. — Ex dictis in Cosmologiâ, omne compositum, in rebus physicis, duplici principio primigenio coalescit, materiâ formaque substantiali; ergò, compositum humanum duplici principio, corpore tanquam materiâ, et animâ velut *formâ substantiali*, conflatur.

Prætereà, in corpore humano reperimus organismum arte confectum, vitam vegetativam et sensitivam; atqui, corpus dotes hujusmodi a semetipso non habet, sed eas accipit ab animâ tanquam a formâ substantiali; ergò, anima est forma substantialis corporis humani. — Major est evidens. — Probatur minor. — Materia, licet aptissimè disposita, dici nequit substantia vivens, aliter enim omne corpus viveret; eâ de re, corpus humanum habet ut actu vegetet et sentiat ab aliâ substantiâ, videlicet ab animâ; ea verò nequit vitam infundere corpori, nisi sit illius forma substantialis; enimverò, quùm simplicitate gau-

(1) « Sous le nom de *forme*, il faut entendre un principe qui communique l'être au sujet auquel il s'unit; sous le nom de *forme substantielle*, il faut entendre un principe qui communique l'être substantiel à ce même sujet. » R. P. Liberatore, *Le composé humain*, c. VII, a. 4, n. 301.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

deat, non potest per contactum physicum, nec per emanationem aut generationem, aliquam proprietatem materiæ largiri. Ergò, necesse est ut anima sit forma corporis.

(* In re tanti momenti, liceat afferre sancti Doctoris auctoritatem; quippè, defensores influxûs physici eum ut patronum habere volunt : « Manifestum est, id quo corpus vivit, animam esse. Vivere autem est esse viventium. Anima igitur est quo corpus humanum habet esse actu. Hujusmodi autem forma est. Est igitur anima humana corporis *forma* (Qq. disp. *De animâ*, a. 1). » — Et alibi : « Necesse est dicere quod intellectus, qui est intellectualis operationis principium, sit humani corporis *forma*. Illud enim, quo primo aliquid operatur, est forma ejus, cui operatio attribuitur;... et hujus ratio est, quià nihil agit, nisi secundùm quod est actu. Undè quo aliquid est actu, eo agit. Manifestum est autem, quod primum, quo corpus vivit, est anima. Et cum vita manifestetur secundùm diversas operationes in diversis gradibus viventium, id quo primùm operantur unumquodque horum operum vitæ, est anima. Anima enim est primum quo nutrimur, et sentimus, et movemur secundùm locum, et similiter quo primo intelligimus. Hoc ergo principium, quo primo intelligimus, sive dicatur intellectus, sive anima intellectiva, est *forma* corporis (*Sum. Theol.*, p. I, q. 76, a. 13; Aristot., *De animâ*). » *)

II. Quomodo propositio confirmatur ex auctoritate?

(* 84. « Hæc veritas, ait R. P. Liberatore, non modò ad philosophiam pertinet, sed etiam ad fidem (*Psychol.*, c. III, n. 33); » nam, Ecclesia non semel docuit animam eamque rationalem esse formam corporis. Sic se habet concilium Viennense : « Doctrinam omnem seu positionem temerè asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis seu intellectivæ *verè* ac *per se* humani corporis non sit *forma*, velut erroneam ac *veritati catholicæ fidei inimicam*, sacro approbante concilio,

reprobamus; definientes, ut cunctis nota sit fidei sincera veritas, ac præcludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit *forma* corporis humani *per se* et *essentialiter*, tanquam *hæreticus sit censendus.* » Eadem doctrina confirmata est in concilio Lateranensi, sub Leone X : « Hoc sacro approbante concilio, damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, et hæc in dubium vertentes : cum illa non solùm *verè*, *per se*, et *essentialiter* humani corporis *forma* existat, sicut in canone fel. rec. Clementis Papæ V prædecessoris nostri, in generali Concilio edito continetur, verùm et immortalis, et pro corporum, quibus infunditur, multitudine, singulariter multiplicabilis et multiplicata, et multiplicanda sit. » Additque Summus Pontifex Pius IX : « Noscimus, iisdem libris (Guntheri) lædi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ità absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera per se, atque immediatè corporis forma (*Epist.* ad Archiep. Colon., 1857). »

Ex his duo concluduntur : primùm, homo absolvitur *unione* mentis et corporis; secundò, anima eaque rationalis est *verè*, *per se*, *immediatè* et *essentialiter* corporis *forma*. Sed, per formam, Ecclesia nihil aliud intelligit, quam ipsi theologi et philosophi catholici; aliter enim nos in errorem induceret. Imprimis, concilium Viennense adhibet vocabulum illud, *forma corporis*, *in « sensu rigoroso*, quo accipitur ab omnibus scholasticis, » et error Petri Joannis Olivæ, qui damnatus est in eodem Concilio, « non quoad multiplicationem animarum, sed quoad *modum unionis animæ cum corpore* (*præsertim*) *erat* (R. P. Zigliara, *De mente Concilii Viennensis*). » Eapropter futiles et vanæ sunt interpretationes eorum ævi nostri philosophorum, qui sensum obvium definitionis Ecclesiæ detorquere connituntur : « Si ce subterfuge avait quelque poids, ait R. P. Liberatore, on pourrait éluder toutes les définitions de l'Eglise (1). » Ergò, conclu-

(1) « On ferait injure à la sainte Eglise du Christ, de croire qu'elle use de termes vagues et impropres, ou d'un sens indéterminé, dans

dere possumus, et ex *ratione* et ex *auctoritate*, animam eamque rationalem esse corporis formam substantialem; aliundè, unio naturalis et personalis animæ et corporis probata est; ergò, stat propositio : homo absolvitur unione *naturali* et *personali* mentis et corporis; — ità ut anima sit verè, per se, immediatè et *substantialiter* corporis *forma.* *)

CAPUT SECUNDUM.

DE INFLUXU ANIMÆ IN CORPUS.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de influxu animæ in corpus?

85. Ea est unio mentis et corporis, ut mens jurè dicatur forma corporis; neutra autem ex his duabus substantiis in aliam convertitur; imò, utraque proprietates suas conservat; undè, anima et corpus unam efficiunt substantiam compositam, unamque personam, non per mutuam *conversionem*, sed per mutuam *unionem*. Prætercà, influxus physicus non est *causa* unitatis substantialis in homine, ut vidimus; verumtamen, ex hac unitate *subse-*

la définition solennelle d'une vérité dogmatique et d'une doctrine imposée à tous les fidèles sous peine d'hérésie..... Ainsi donc, l'âme humaine, selon la doctrine catholique, est la forme du corps, dans le sens vrai et précis du mot *forme*. Mais quel est ce sens? Celui, sans doute, qu'il a reçu chez tous les docteurs scolastiques, qui en déterminèrent et en établirent la signification. » R. P. Liberatore, *Le composé humain*, c. VII, a. 6, n. 313; et n. 314. De istis philosophis jam anteà dixerat R. P. Liberatore : « Depuis que la haine des doctrines scolastiques a fait perdre aux modernes l'idée de la véritable *unité substantielle* dans le composé humain, on a commencé à traiter, très-sérieusement, la question du commerce de l'âme avec le corps, comme s'il s'agissait des relations de l'Angleterre avec le Japon. » *Ibidem*, c. VII, n. 291.

quitur mutuus verusque *influxus unius substantiæ in alteram* (Cf. S. Thom., *Qq. disp. de Verit.*, q. 26, a. 10). Primò quidem, de influxu animæ in corpus, quinque sint articuli : 1^us^, De *organicismo*, 2^us^, De *vitalismo*, 3^us^, De *animismo*, 4^us^, De *sede* animæ, 5^us^, De errore *phrenologistarum*.

ARTICULUS PRIMUS.

De organicismo (1).

II. Quot sunt sententiæ de influxu animæ in corpus?

86. Omnes quæstiones, circà *extensionem* influxûs animæ in corpus humanum agitatæ, ad unam revocari possunt, videlicet : utrùm anima rationalis sit *unicum* principium omnis actionis seu functionis vitæ, non solùm intellectivæ et sensitivæ, sed etiam *vegetativæ*.

Omnes philosophi veteres aut recentiores, qui eam difficultatem solvere tentàrunt, ad tres classes reducuntur. Apud antiquos, multi contenderunt triplex esse vitæ principium : unum quidem intellectivum, aliud sensitivum, tertiumque vegetativum (Plat., *Rep.*, *Tim.*, *Phæd.*). Quidam verò duas finxerunt animas, unam rationalem, alteramque sensitivam et vegetativam (Hippoc.) (Cf. Lordat, Jaumès). Plurimi tandem docuerunt animam, eamque rationalem, vi suæ unionis cum corpore, esse principium unicum omnis functionis vitæ etiam vegetativæ

(1) Cf. Descartes, *Traité de l'homme;* Rostan, *De l'organicisme;* Academia medicinalis Parisiensis, *Bulletin*, t. XXV, an. 1860; Bichat, *Recherche physiol. sur la vie et la mort, Anat. générale;* Fouquet, *Discours sur la clinique;* Bouillaud, Piorry, Poggiale, *Bulletin de l'Académie de médecine;* Bérard, *Cours de physiologie;* Haller, *Mémoire sur la sensibilité et l'irritabilité.*

(Arist., Stoïci, Neoplat., etc.). Apud recentes, diversæ philosophorum et physiologorum sententiæ referri possunt ad tria systemata, quæ nuncupari solent, *Organicismus*, *Vitalismus*, et *Animismus*.

Juxtà *organicistas*, phænomena vitæ *saltem vegetativæ*, quæ reperiuntur in homine, non prodeunt ex influxu animæ rationalis, sed resultant ex *aptissimâ* organorum materialium dispositione. Vitalistæ autem admittunt, præter animam et corpus, *vim* quamdam sui generis, seu principium *vitale*, quod functiones vitæ vegetativæ et sensitivæ producit. *Animismi* verò defensores propugnant animam rationalem esse *unicum* vitæ principium in homine; quapropter *influxus* animæ in corpus *extenditur* ad omnia vitæ, motûs, activitatis, qualitatis phænomena (1).

III. Organicismum expone et confuta?

87. Organicismi fautores in quatuor classes dividi possunt, scilicet in *materialistas*, *sociologos* seu *positivistas*, *concessionistas*, et *organicistas* propriè *dictos*.

Materialistæ, qui contendunt animam a materiâ non esse distinctam (Lamettrie), omnia vitæ phænomena revocant ad meram sensibilitatem organicam et materialem, ut aiunt. Juxtà *sociologismi* seu *positivismi* duces et asseclas, nullum hominibus inest *intrinsecum* vitæ principium; sed evolutio activitatis cujuslibet animalis, potissimùm hominis, pendet e circumstantiis locorum, familiarum et gentium. Talis commenti falsitatem ostendimus in primâ parte, ubi necessitatem et existentiam principii vitalis intrinseci, ab omni materiâ distincti, probavimus.

(1) Organicismus dicitur etiam *solidismus;* vitalismus sæpè vocatur *Duodynamismus;* et animismus nuncupari solet *Monodynamismus*.

Multi verò, præsertim inter medicos hodiernos, sententiam mitigatam enixè propugnant, et idcircò vocari solent *concessionistæ*. Libenter admittunt, aut saltem non rejiciunt existentiam animæ; quinimò, actus vitæ rationalis et etiam sensitivæ illi tribuere non recusant. Sed unâ voce docent vitæ vegetativæ phænomena ex organorum aptâ dispositione oriri; et consequenter non unicum, sed multiplex principium activitatis hominibus inesse contendunt (Cf. Sauvages et Bérard).

¡Descartes, Haller, Bichat meritò dicuntur duces et fautores *organicismi* propriè dicti. Cartesius existentiam animæ simplicis admittit, sed apertè docet motus omnes, qui non pendent a voluntate, secundùm leges mechanicas effici; proindè, anima non est principium omnium vitæ functionum : « Lorsque le corps a tous ses organes disposés à quelque mouvement, il n'a pas besoin de l'âme pour les produire (*Traité de l'homme*). » Haller, præter « dispositionem organicam, » a Cartesio propugnatam, agnoscit existentiam vis cujusdam *organicæ*, quæ dicitur vis irritabilis, cujus ope functiones vitales exercere possumus; eaque irritabilitas ab animâ pendere nequit : « L'irritabilité est indépendante de l'âme et de la volonté (*Mém. sur la sensibil. et l'irrit.*). » Bichat non solùm vim irritabilem, sed etiam vim quamdam sensibilem concedit organismo physico, asseritque vitæ functiones et internas et externas ab iis viribus oriri. Tale systema nonnullos physiologos ad se trahit; alii tamen alia vitæ principia detegunt; imò, quidam hodierni docent tot esse hujusmodi principia, quot organa (Fouquet, *Disc. sur la clinique*).

PROPOSITIO.

Organicismus omnis est falsus.

Probatur. — Organicismus, quocumque modo propugnetur, *rationi* contradicit, *materialismum* redolet, necnon *auctoritate* communi philosophorum, et etiam physiologorum rejicitur; ergò, falsus est.

Probatur antecedens. — Organicismus *rationi* contradicit. Illud quippè systema rationi contradicit, quod activitatis et vitæ phænomena soli materiæ aut organismo physico tribuit; atqui, talis est omnis organicismus; ergò, omnis organicismus est falsus. Et verò, non solùm evidenter constat, ex dictis in Cosmologiâ (n. 36), vitam, activitatem, motum, spontaneitatem, e viribus chimicis vel ab organismo physico non oriri; sed etiam ipsamet organisatio est effectus principii substantialis a materiâ distincti. Cæterùm, qualitates corporum ab organisatione non pendent; nonnullorum enim corporum qualitates omninò differunt, licet eorum compositio sit eadem, ut fatentur ipsi organicistæ (1). Activitas igitur et vita etiam vegetalium ex organisatione materiali prodire non potest.

Organicismus omnis *materialismum* redolet. Illud enim systema propellit ad materialismum, quod nititur eodem fundamento quo ipse materialismus. Sed, talis est omnis organicismus; nam, juxtà patronos hujus systematis, substantia simplex et immaterialis non requiritur ad explicanda vitæ phænomena; si autem vitæ phænomena

(1) « Une particularité digne de remarque, c'est la grande différence qui existe souvent entre les propriétés des corps organiques dont la composition est la même. Ainsi, par exemple, le sucre, la gomme, l'amidon et le sucre de lait, sont composés des mêmes quantités d'hydrogène, de carbone, d'oxygène, ils sont isomères. » Heule, *Anat. génér.*

prosilire possunt ex organismi dispositione, jam nulla est necessitas asserendi mentis existentiam, et materialismi systema non contradicit rationi (1). Omnis igitur organicismus materialismum redolet.

Aliundè, philosophi plerique, et etiam physiologi non pauci organicismum apertè rejiciunt, eò quod innitur falso supposito; fautores enim hujus systematis contendunt vitam ex organis oriri, quià in rebus mundanis sola corpora organis prædita functiones vitales exerere possunt : « L'organicisme s'appuie sur cette raison péremptoire que l'on ne voit la vie nulle autre part que là où il y a organisation (Rostan). » Sed multa corpora organis prædita non vivunt; insuper, organa requiruntur ut *instrumenta* quibus exercetur vita vegetativa et sensitiva; instrumentum autem differt a *principio* vitali; quapropter, adversarii falsò concludunt organismum esse functionum vitæ principium intrinsecum et sufficiens.

ARTICULUS SECUNDUS.

De vitalismo (2).

I. Expone vitalismum.

88. A maximâ antiquitate, philosophi nonnulli, me-

(1) Organicismi fautores non secùs ac materialistæ loquuntur. « Le but de l'organicisme est de prouver qu'il n'existe pas, qu'il ne saurait exister de principe vital, de propriétés vitales, indépendantes de la matière organisée, séparables de cette matière, et pouvant exister sans elle; hors d'elle. » Rostan, *L'Organicisme.*

(2) Cf. Facult. medic. Monspeliensis; Barthez, *De principio vitali;* Lordat, *Exposition de la doctrine médic. de Barthez;* Maine de Biran, *Essai d'anthropologie;* Ahrens, *Cours de physiologie;* Th.-H. Martin, *Philosophie spirit. de la nature;* Jouffroy, Peisse, Barthélemy Saint-Hilaire, Le Moine, Lévêque, Flourens, Bouchut, Garreau; Saisset, *L'âme et la vie;* Guntherus, Baltzerus.

diam viam eligentes inter materialismum et animismum, docuerunt adversùs materialistas vitæ phænomena nequaquam a viribus chimicis vel mechanicis, nec ab organismo physico esse repetenda; sed simul adversùs animismi defensores decreverunt animi rationalis *influxum* non extendi ad omnes vitæ functiones; quocircà, necesse est esse in homine duo plurave principia, quibus effici possint operationes vitæ vegetativæ, sensitivæ, et rationalis.

Quidam veteres, post Platonem, Philonem et Plutarchum, tres finxerunt animas, unam rationalem, aliam irascibilem et tertiam concupiscibilem. Ea sententia, quæ Galenum et alios « perpaucos » assertores habuit (C. Cicer., *Tuscul.*), propugnata est a Guillelmo de Lamarre et ab Anglis nonnullis (Glisson, *De subst. energet.*). Alii, post Manichæos, Apollinaristas, duo principia functionum vitalium admittebant; ipse Scotus, posteaque Franciscus de Mayronis, Occam, Thomas, et Paulus Venetus principium « *corporeitatis,* » ab animâ distinctum, hominibus inesse contenderunt. Sæculis recentioribus, Baco Gassendi, Buffon, Ahrens, Jouffroy, Maine de Biran, Ubaghs, Guntherus, Baltzerus et quidam Germani docuerunt influxum animæ rationalis ad operationes vitæ sensitivæ et vegetativæ non extendi; quarè, duas animas et quasi duplicem hominem in unoquoque nostrûm agnoverunt.

Vitalismus autem propriè dictus, quatenùs hodiè propugnatur, Hippocratem forsan parentem habuit, et apud nos instauratus est a Facultate Monspeliensi, cui præfuit celeberrimus Barthez. Juxtà vitalistas, præter animam existit in homine principium quoddam, a materiâ simul et a spiritu dictinctum; nempè, principium *vitale*, quo producuntur motus et functiones vitæ sensitivæ et vege-

tativæ : « Dans l'état actuel de nos connaissances sur l'homme, ait Barthez, on doit rapporter les divers mouvements qui s'opèrent dans le corps humain vivant *à deux* principes différents, dont l'action n'est point mécanique et dont la nature est occulte : l'un est l'âme pensante, et l'autre est le principe de la vie. » Hoc argumento fundamentali nititur vitalismus : multæ sunt vitæ corporeæ functiones, quæ non pendent ab intellectu et voluntate ; meritò igitur tribui debent principio cuidam, ab animâ rationali distincto (Barthez).

II. **Quid sentiendum de vitalismo?**

89. Impossibile est duo esse vitæ principia in eodem subjecto ; undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Vitalismus omnis est falsus.

Probatur. — Duodynamismus est falsus, eò quod habetur ut hypothesis *gratuita* et *inutilis*, nulloque *fundamento* stabiliri potest ; imò, *unitatem* in homine diruit ; fautores etiam hujus opinionis inter se non *consentiunt ;* et tandem hodiè plures ad animismum *confugiunt*. Porrò, vitalismus nihil est, nisi species quædam duodynasmi ; ergò, vitalismus est falsus.

Duodynamismus, seu systema eorum, qui duo vitæ principia admittunt, est hypothesis *gratuita* et *inutilis ;* mens enim humana sufficit ad diversas vitæ functiones exerendas, quià possidet in se virtutes formarum inferiorum, illarumque officio fungitur, secundùm ea sancti Thomæ : « Dicendum est quod nulla alia forma substantialis est in homine, nisi sola anima intellectiva, et quod ipsa, sicut virtute continet animam sensitivam et nutri-

tivam, ità virtute continet omnes inferiores formas, et facit ipsa sola quicquid imperfectiores formæ in aliis faciunt (*Sum. Theol.*, I, q. 76, a. 4). »

Aliundè, duodynamismus nullo stabilitur *fundamento;* nam, eò quod ratio non agnoscit omnes nutritionis et sensibilitatis actus, concludere non licet principium nutritivum et sensitivum ab animâ differre; reverà, eadem substantia varios actus, imò contrarios et a se invicem independentes, efficere potest (S. Thom., *Sum. Theol.*, III, q. 16, a. 41, ad 1^um^); aliundè, mens humana corpus informare potest et quasdam proprietates illi communicare, sine auxilio intellectûs; unio enim animæ et corporis non fit mediante intellectu, sed immediatè, ut infrà videbitur.

Duodynamismus unitatem substantialem et personalem in homine diruit; auctores enim hujus opinionis admittunt principium vitale, ab animâ simul et corpore distinctum; undè, juxtà eos, homo non « absolvitur corpore et animâ; » sed duplex agnoscendum est in nobis principium vivens, et activitate præditum.

Prætereà, duodynamismi fautores inter se non consentiunt; quidam, post Manichæos et Apollinaristas, dixerunt unam e duabus animis esse malam, alteramque bonam; alii posuerunt principium vitale esse materiale (Gassendi); nonnulli verò docuerunt illud principium esse simplex et immateriale (Ubaghs); multi tandem de illius naturâ siluêre, vel nihil certum esse duxerunt (1).

(1) Maine de Biran. — Barthez : « Il me paraît qu'on ne peut s'empêcher de distinguer le principe vital de l'homme d'avec son âme pensante. Cette distinction est essentielle, soit qu'on imagine que ces deux principes existent par eux-mêmes, ou sont des substances, soit qu'on suppose qu'ils existent comme des attributions et des modifications d'une seule et même substance, qu'il est indifférent qu'on veuille appeler âme. » *Nouveaux éléments de la science de l'homme*, XXXIV.

Hodiè tandem non pauci, vitalismi causam deserentes, ad animismum confugiunt. Prætereà, indubium est ex dictis vitalismum esse speciem quamdam duodynamismi, quià patroni hujus systematis duo vel plura vitæ principia admittunt. Ergò, stat conclusio.

ARTICULUS TERTIUS.

De animismo (1).

I. Expone animismum.

90. Plerique philosophi, cum naturalistis non paucis, *unum* admittunt vitæ *principium*, animam scilicet humanam, eamque rationalem. Imprimis, apud antiquos, Aristoteles, deindè Stoïci plurimi; Porphyrius, Ammonius Saccas, Proclus, Plotinus cum Neoplatonicis; Patres Ecclesiæ, præcipuè S. Justinus, S. Irenæus, S. Athanasius, S. Gregorius Nyssenus, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Joannes Chrysostomus; scholastici, post S. Anselmum, Albertum Magnum, S. Thomam et Suarezium; Stahl, Jourdain, Récamier, Bouillier, Frédault, cum ipsis Franck, Ravaisson et Tissot, olim vitalismi defensoribus; alii tandem quamplurimi, sive inter philosophos et theologos, sive inter medicos et naturalistas,

(1) Cf. F. Ravaisson, *La philosophie en France au* XIX^e^ *siècle;* Bouillier, *Du principe vital et de l'âme pensante;* Richard de la Prade, J.-P. Tessier, Boyer, Blondin, Franck, Tissot, Rémusat, Récamier, Charles; Jourdain, *Philosophie de S. Augustin;* Stahl, *Theoria medica vera;* Frédault, *Traité d'anthropologie.* Inter Scholasticos, S. Thomas, *De Animâ, Sum. Theol.;* Suarez, *De Animâ;* Sanseverino, *Anthropologia;* Liberatore, Zigliara, *Psychologia;* Aristoteles, *De motu.* Inter sanctos Patres, S. Gregorius Nyss., *Tract. de format. hominis;* S. Augustinus, *De Spiritu et Animâ;* S. Athanasius, *Contra Apollin.;* S. Ambrosius, *Exposit. evang.;* S. Joannes Chrysostomus, *Homilia* XIII.

docuerunt *unum* hominibus inesse principium vitale. Illorum systema nomine communi vocatur *animismus*.

1°, Omnes animistæ rejiciunt organicismum et vitalismum, docentque animam rationalem esse *unicum* vitæ principium, et illius *influxu* cunctas operationes in homine produci.

2°, Animistæ verò dissentiunt de modo secundùm quem anima rationalis influxum exercet in corpus; nonnulli, duce Stahl, asserunt unionem mentis et corporis effici mediante *ratione;* quapropter, intellectus et voluntas sunt facultates, quibus organa physica formantur et aptantur usibus sibi propriis; itemque, per facultates easdem, omnes vitæ sensitivæ ac vegetativæ functiones exerceri debent (*De scopo et fine corporis*).

3°, Thomistæ, cum aliis plerisque, docent unionem mentis et corporis immediatè effici per essentiam seu *substantiam* animæ; quocircà, mens secundùm suam *naturam* corpori communicat et esse *substantiale*, et esse *corpus humanum* suis organis instructum, et esse *vegetativum*, et esse *sensitivum*. Quùm autem materia cogitare nequeat, anima potentiam intelligendi, necnon illius facultatis exercitium non largitur corpori : « Est in anima (rationali) considerare et ipsius essentiam et potentiam ejus, ait S. Thomas. Secundùm *essentiam* quidem suam, dat esse tali corpori; secundùm *potentiam* verò, operationes proprias efficit (*Sum. contrà Gent.*, l. II, c. 69). »

4°, Sic anima perfectiones omnium formarum inferioris ordinis in se continet (1), et insuper intelligendi virtute prædita est; ideoque meritò dicitur compendium omnis creaturæ, et imago Dei invisibilis.

(1) « (Anima intellectiva), sicut in virtute continet animam sensitivam et nutritivam, ità virtute continet omnes inferiores formas; et facit ipsa sola quidquid imperfectiores formæ in aliis faciunt. » S. Thomas,

II. Quid dicendum de sententiâ scholasticorum?

91. Scholasticorum sententia est vera; undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Anima rationalis, eaque sola, est principium substantiale a quo repetenda est omnis functio vitalis corporis humani.

(A.) Argumentum *indirectum*. — Organicismus et vitalismus admitti nequeunt, ut dictum est suprà; oportet igitur animismum esse verum, nullam enim aliam hypothesim fingere possumus.

(B.) Argumentum ab *experientiâ* desumptum. — Ad certitudinem propositionis duo *requiruntur* et *sufficiunt* : 1°, *unum* sit vitæ principium; 2°, principium illud sit *anima*. Atqui, duo hæc experientiâ constant. Ergò, propositio est certa. Nam, unusquisque conscius est unum idemque principium in nobis efficere diversos motus locales, actusque rationis et voluntatis elicere; conscientia quoque testatur hujusmodi principium esse animam. Quippè, dicimus : *ego sentio*, *intelligo*, *volo*, et alia similia; nemo autem ex nobis actus hujusmodi principio materiali, sed animæ tribuit.

(C.) Argumentum ex *unitate formæ* substantialis depromptum. — In quolibet ente una est forma substantialis; sed, anima in homine est forma substantialis; ergò in homine una est anima. Major patet ex dictis in Cosmologiâ. Minor etiam est evidens; nam, ut vidimus, anima est per se, immediatè et substantialiter corporis forma. Undè, tot esse debent homines quot sunt formæ sub-

Sum. Theol., p. I, q. 76, a. 4, c. — Et alibi : « Anima rationalis dat corpori humano quidquid dat anima sensibilis brutis, vegetabilis plantis, et ulterius aliquid; et propter hoc ipsa est in homine et vegetabilis et sensibilis et rationalis. » S. Thomas, *Qq. disp., De Animâ*, a. 11.

stantiales, seu principia quibus corpus ad esse determinatur : forma enim est principium, quod materiam perficit, et, ut ità dicam, determinat ad esse *unum* ens completum et speciale. Undè, necesse est *unam* formam substantialem, unumque principium vitale esse in homine; aliter, unitas substantialis et personalis subsistere non posset (S. Thom., *Sum. Theol.*, I, q. 76, a. 4).

(D.) Argumentum ab *auctoritate* sumptum. — Præter philosophos, theologos et naturalistas, qui animismum propugnant, Summus Pontifex, Pius IX, expressè docuit, adversus Baltzerum aliosque Germanos, « Hanc sententiam, quæ *unum* in homine ponit *vitæ* principium, *animam* scilicet *rationalem*, a quâ corpus quoque et *motum* et *vitam* omnem et *sensum* accipiat, in Dei Ecclesiâ esse communissimam, atque doctoribus plerisque, et probatissimis quidem maximè, cum Ecclesiæ dogmate ità videri conjunctam, ut hujus sit legitima solaque vera interpretatio, nec proindè sine *errore in Fide* possit negari (Brev. ad Episc. Wratislaw.). »

Sed, propositio quæ indirectè et directè, necnon auctoritate demonstratur, certa est et ab omnibus admittenda; atqui, talis est ea propositio : *anima rationalis*, eaque *sola*, est principium substantiale a quo repetenda est omnis functio vitalis corporis humani; ergò, ¡ea propositio certa est et ab omnibus admittenda.

(* Obj. Illa propositio est rejicienda, quæ rationi et auctoritati contradicit. Atqui, talis est propositio, de unitate animæ; nam, ex unâ parte, principia essentialiter opposita, ut corpus et anima, in unum compositum resolvi non possunt, et, ex alterâ parte, ipse sanctus Thomas asserit formas elementorum manere « in mixto » seu in corpore. Ergò, propositio de unitate animæ est rejicienda.

Resp. *Concedo majorem. Distinguo* minorem : principia oppo-

sita non possunt in unum compositum resolvi per *conversionem* unius in alterum, *concedo;* nam, anima converti non potest in corpus, neque corpus in animam. Sed, e duobus elementis, quorum unum est passivum, alterum verò activum, effici non potest unum *compositum* substantiale, *nego*. Econtrà, compositio substantialis concipi nequit nisi inter principia, quorum unum est materiale, alterum verò formale. Quoad argumentum auctoritatis, sanctus Thomas asserit formas elementorum, quibus « mixtùm » seu corpus componitur, manere in « corpore mixto » seu in composito, *virtualiter* et in *potentiâ*, sed non *actu* et *formaliter :* « ideò dicendum est, ait, quod formæ elementorum manent in mixto non *actu*, sed *virtute;* manent enim *qualitates* propriæ elementorum, licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementarium. Et hujusmodi qualitas mixtionis est propria *dispositio* ad formam substantialem corporis mixti, putà formam lapidis, vel animati cujuscumque (*Sum. Theol.*, p. I, q. 76, a. 4, ad 4). » *)

III. Quid ex dictis inferre licet?

(* 92. Ex dictis infertur, adversùs Averroëm et pantheistas nonnullos, unam et eamdem animam intellectivam duo plurave corpora simul vivificare et informare non posse; nam anima est forma corporis, illiusque principium « essendi (S. Thom., *Sum. Theol.*, I, 76, a); » consequenter tot esse debent animæ, quot sunt corpora individua. Undè, dicendum est : 1°, animam esse individuam et singularem, ob suam entitatem a Deo acceptam in instanti creationis; 2°, animas intrà eamdem speciem multiplicari, prout ad corpora numericè distincta ordinantur.

Talis est Ecclesiæ doctrina; quippè, Concilium Lateranense V, sub Leone X, decrevit adversùs Pomponatium, *animam intellectivam* non esse *unicam* in cunctis hominibus, eamque pro corporum, quibus infunditur, « *multitudine, singulariter multiplicabilem*, et MULTIPLICATAM et MULTIPLICANDAM esse. » *)

ARTICULUS QUARTUS.

De sede animæ.

I. Quæ sunt philosophorum sententiæ, de sede animæ?

93. Anima est forma corporis, et, ut talis, jurè dicitur unicum vitæ principium in homine; quapropter, *influxus* ejus extenditur ad omnes functiones etiam organismi physici; sed quæritur utrùm in unâ parte corporis, potiùs quam in aliis *sedeat*, ut exindè suum regimen et imperium exercere valeat in diversos motus vitales.

De *sede* mentis in corpore, multa systemata prodierunt : apud antiquos, Plato posuit animam rationalem in *capite*, sicut nautam in parte sublimiori navis; Epicurus autem principium vitale locavit in *pectore* aut in *corde*, tanquam in loricâ : « Alii in *corde*, alii in *cerebro* dixerunt animi esse sedem et locum, » ait Tullius (*Tuscul.*, l. I, c. IX; Lact., *de Opif. Dei*, c. XVI). Aristoteles et plerique philosophi dixerunt animam esse *totam* in *toto* corpore, et *totam* in qualibet *parte* illius; eamque sententiam Sancti Patres Ecclesiæ, scholastici ferè omnes, et physiologi recentes non pauci propugnârunt.

Cartesius animam sedere voluit in « glandulâ pineali (1); » quidam verò mentem fixerunt in corpore calloso (Lapeyronnie), vel in « medullâ oblongâ (Larry), » vel in aliis cerebri particulis, vel etiam in sanguine.

II. Utrum sententia scholasticorum est vera?

94. Aristotelis sententia, quam philosophi ferè omnes

(1) « Descartes s'était imaginé de placer l'âme dans la glande pinéale; il la voyait trônant sur ce siége exigu, et de là donnant l'impulsion à toute la machine. » Dr Frédault, *Anthropologie.*

tuiti sunt, sola propugnari debet; nempè : anima quoad *essentiam* est *tota* simul in *toto* corpore, et *tota* in qualibet *parte* illius; secundùm ea Sancti Augustini : « Anima in quocumque corpore et in toto est tota, et in qualibet ejus parte tota est (1). »

1°, Anima quoad *essentiam* est tota in toto corpore; nam, ut vidimus, anima rationalis est per suam *substantiam* forma corporis et vitæ principium; idcircò, debet esse ubi corpus informat et vivificat; sed, in omnibus corporis partibus hoc munere fungitur; necesse est igitur ut anima sit tota simul, quoad essentiam suam, in toto corpore humano. 2°, Anima est tota in qualibet parte corporis; etenim, quùm sit substantia simplex et indivisibilis, non est in loco per modum extensionis, nec partes extrà partes positas habet; undè, non potest esse nisi tota simul in singulis partibus corporis.

Anima per *essentiam* suam est tota in toto corpore; sed, quoad *virtutem* seu *vim* agendi, ut aiunt, speciali modo functiones vitales exercet in quibusdam corporis partibus, scilicet in cerebro et in corde; nam, utitur organorum auxilio ut suas operationes sensitivas et vegetativas obire possit; organa verò præcipua vitæ sensi-

(1) *De Trinit.*, lib. VI, c. VI. — « Notre âme, ait S. Franciscus Salesius, réside toute en tout son corps, et toute en chacune des parties d'iceluy, comme la Divinité est toute en tout le monde, et toute en chaque partie du monde. » *Traité de l'amour de Dieu*, l. I, c. XV. — De præsentiâ mentis in toto corpore scripsit S. Thomas : « Attendendum est quod, quià anima requirit diversitatem in partibus, non eodem modo comparatur ad totum et ad partes; sed ad totum quidem primo et per se, sicut ad proprium et proportionatum perfectibile; ad partes autem per posterius, secundùm quod partes habent ordinem ad totum. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 76, a. 8. — Scholastici dicunt animam esse totam in toto corpore *totalitate essentiæ*, non autem *totalitate virtutis*.

tivæ et vegetativæ reponuntur in cerebro et in corde; dicendum est igitur animæ facultates in iis partibus corporis exerceri modo speciali; quod sic exprimit S. Thomas : « Anima, quæ est nobilissima inter formas inferiores, etsi simplex sit in substantiâ, est tamen multiplex in potentiâ et multarum operationum. Undè indiget diversis organis ad suas operationes complendas; quorum diversæ animæ potentiæ proprii actus dicuntur, sicut visus oculi, auditus aurium, et sic de aliis..... Hac igitur occasione a quibusdam philosophis dictum est, animam esse in aliquâ parte corporis (*Sum. Contrà Gent.* l. II, c. 72). »

Confirmatur exemplo : licet Deus sit immensus, modo tamen speciali suam Bonitatem, Justitiam, Sanctitatem manifestat in quibusdam locis; videlicet, in cœlo, in templis, in animâ justorum (Lactantius, *de Opificio Dei*, c. XVI).

ARTICULUS QUINTUS.

De errore phrenologistarum.

I. Expone philosophorum errores.

(* 95. Anima est tota in toto corpore, et tota in qualibet parte illius; speciali tamen modo agit in corde et præsertim in *cerebro;* ideoque relationes nonnullæ inter conformationem capitis et animæ dispositionem existere debent. Indè nata sunt duo systemata, quæ vocari solent *Physiognomonia* et *Phrenologismus.*

Physiognomonia, quam olim coluerunt Empedocles, Plato, Aristoteles, necnon Galenus et Albertus Magnus, renovata est a recentioribus et præsertim a celeberrimo Lavater. Juxtà defensores hujus systematis, ea est mentis et corporis relatio, ut e conformatione corporis, potissimùm e *physionomiâ*, dignoscere possimus animæ dispositiones et habitudines.

Phrenologismus, quem acerrimè propugnârunt doctor Gall,

ejusque discipuli Spurzheim et Dumoutier, est hypothesis juxtà quam omnes animi *dispositiones* sedem specialem habent in « *circumvolutionibus* et *prominentiis* cerebri. » — Sedes hujusmodi seu organa 27 enumerat Gall; ejus autem discipuli 35, 37 et etiam 42 prominentias invenerunt in cerebro; sic, v. gr., in fronte sedem ingenii metaphysicæ, in summitate capitis organum sensûs religiosi defixerunt, et ità de cæteris. Cum evolutione harum prominentiarum crescunt animi facultates nativæ; quocircà, dispositiones internas hominis dignoscere possumus ex ipsamet capitis inspectione.

II. Quid sentiendum de istis erroribus?

96. Physiognomonia est partim vera; nam, in corpore, præsertim in vultu, in oculis, in ore, in aspectu, quasi vestigium et imaginem animi comperimus; notam verò singularitatis et temeritatis non effugeret, qui semper et in omnibus virtutes et vitia e signis exterioribus auspicari vellet.

Phrenologismus autem nullo modo propugnari potest : nam, *experientiæ* contradicit, directè propellit ad *materialismum*, et rejicitur ab ipsis physiologis ut nenia futilis. — 1°, Contradicit experientiæ; sæpiùs enim inveniuntur homines vanitati, rapinæ, mendacio dediti, quin tamen habeant vanitatis, rapinæ, vel mendacii prominentias. 2°, Propellit ad materialismum; nam, juxtà fautores hujus systematis, circumvolutiones cerebri non solùm haberi debent ut organa, sed etiam ut principia dispositionum animæ. 3°, Rejicitur ut nenia futilis a plerisque physiologis, ut constat opusculo doctoris Récamier, cui titulus, *Lettre sur la Phrénologie.*

Ex omnibus dictis hanc conclusionem inducere fas est : anima, ratione unionis substantialis, fit principium omnium vitæ functionum, quæ terminantur in corpore; — ut illam unionem easque operationes complere possit, est tota quoad essentiam in toto corpore, et tota in qualibet parte illius; — speciali tamen modo virtutem suam exercet in corde et præsertim in cerebro; — sedes autem dispositionum suarum non habet in calvariæ prominentiis. *)

CAPUT TERTIUM.

DE INFLUXU CORPORIS IN ANIMAM.

I. Quomodo dividitur caput tertium, de influxu corporis in animam?

(* 97. Duo recensere oportet; nempè, *quomodò* corpus in animam influere possit, et quid ex dictis inferre liceat de hominis *personalitate* et *definitione;* undè, duo sint articuli : 1^us^, de *modo* influxûs corporis in animam; 2^us^, de hominis *naturâ, personâ* et *definitione.**)

ARTICULUS PRIMUS.

De modo influxûs corporis in animam.

II. Quæ sunt dicenda de influxu corporis in animam.

(* 98. Nonnulla dicemus, 1°, de *temperamento;* 2°, de *vigiliâ* et *somno;* 3°, de *amentiâ;* 4°, de *vitâ* et *morte.*

(A.) De *temperamento.* — Temperamentum definitur : *dispositio generalis et dominans organismi physici* (1).

Veteres nonnulli temperamenta dividebant in quatuor præcipua, videlicet in « *biliosum,* » « *sanguineum,* » « *pituitosum* » et « *melancholicum* » (Hippocrates, *De natur. homin.*). Non pauci, etiam inter recentiores, temperamenta dividunt in *sanguineum, lymphaticum, melancholicum,* et *biliosum;* necnon illa subdividunt in alia composita, v. gr., in bilioso-lymphaticum, in lymphatico-nervosum, et alia hujusmodi (Galen., Stahl). Quidam iis addunt temperamentum *athleticum.*

Doctor Frédault hanc divisionem admittit : « Nous avons le

(1) Hippocrates, *De naturâ hominis;* Galenus, *De temperamentis;* Stahl, *Theoria medica vera;* F. Frédault, *Traité d'anthropologie;* D^r^ Auzoux, *Leçons d'anatomie et de physiologie.*

tempérament *artériel*, qui n'est que le tempérament sanguin des anciens; le tempérament *veineux*, auquel se rapportent tous les attributs de ce qu'on appelait le tempérament biliaire; le tempérament de la *veine-porte*, dépendance du précédent, et que les anciens désignaient sous le nom d'atrabilaire; le tempérament *lymphatique* (*Traité d'anthropol.*). » Doctor Auzoux omnia temperamenta revocat ad tria systemata, quæ gallicè vocantur, « système *artériel*, système *veineux*, système *lymphatique*. » Ea divisio experientiis recentiorum optimè consonat et cæteris anteponenda videtur (*Leçons d'anat.*).

Influxum temperamenti nemo in dubium revocare potest; nam, animi dispositiones e dispositione physicâ saltem aliquatenùs pendent, ut experientiâ ostenditur. Cave tamen ne, materialistarum instar, partem nimiam temperamento largiaris, præsertim in rebus ad moralitatem referendis (1).

(B.) De *vigilià* et *somno*. — Miranda vigiliæ et somni phænomena, quorum alternatione vita præsens absolvitur, nobis omnibus innotescunt; nil tamen difficilius quam somni theoria, nil magis arcanum quam illius causa principalis et intrinseca.

1°, Inter somni *phænomena*, quædam eveniunt in transitu vigiliæ ad somnum; ea descripsit D. Frédault, dicens : « D'abord, ce sont des bâillements, puis le clignotement des paupières, une sorte de lassitude générale; la tête chancelle, les muscles se relâchent, l'attention aux objets extérieurs cesse, la sensation de ce qui se passe au dehors s'efface; cependant,

(1) Qui se magistros prædicant in arte dignoscendi temperamenta, ea doctoris Frédault legere velint : « Veut-on être sérieusement fort en physiologie? Il faut avoir fait ce travail cent fois, et être prêt à recommencer et l'achever en un instant à propos de tout individu qui se présente à votre observation, afin de trouver en lui ce qu'on appelle son *idiosyncrasie*, c'est-à-dire son tempérament particulier. On distingue en lui les grandes activités qui dominent, puis les activités secondaires, et enfin les activités particulières; on se rend compte des relations qui renouent toutes ces modifications les unes aux autres; et la conception de cet ensemble dans un type particulier est l'*idiosyncrasie* du sujet. » *Loc. cit.*, p. 686.

il y a encore comme des images et des idées; le corps se refroidit, la circulation et la respiration se ralentissent (*Loc. cit.*). » Alia referuntur ad tempus somni propriè dicti; qualia sunt somnia, visiones, oppressiones nocturnæ (cauchemars), illusiones, somnambulismus hypnotismus (1). Cætera verò accidunt in evigilatione, quùm, somno recedente, vigilia succedit et quasi ad vitam iterùm adducimur (2).

2°, De somni *influxu* hæc certa videntur : nempè, quoad corpus, somnus recreat organismum physicum et vires defessas corroborat; illaque refectio, juxtà physiologos, consistit in eo, quod fluidum nervosum, tempore vigiliæ amissum, abundè reparatur. Quoad animam, somnus aliquatenùs eam reficit; sed liberum activitatis aliarumque facultatum exercitium impedit, ut constat experientiâ. Quapropter, actus in somno eliciti non cohærent inter se; undè, ut *tales* dici non possunt boni aut mali.

3°, De *causâ* somni propriè dictâ non consentiunt auctores; secundùm probabiliorem sententiam, causa somnum *determinans* est « *fatigatio*, » quæ producitur in organismo, necnon in potentiis ad vitam vegetativam referendis. Propter hanc fatigationem *activitas* et *motus* facultatum, deindè *temperatio* corporis gradatim decrescunt, et somnus vigiliæ succedit. Causa verò somnum *efficiens* videtur esse recessus fluidi nervosi; hoc scilicet in vigiliâ per totum corpus vagatur, et ad varios motus vitæ vegetativæ inservit; sed in fatigatione resorbetur a cerebro et ad illud velut ad fontem recedit (3).

(1) Cf. Haller, Barthez, Dumas, Landry, Fick, Lhomme. — « Dans les digestions pénibles qui s'accompagnent d'étouffement, on rêve quelquefois qu'un être imaginaire est assis sur l'estomac et vous presse de tout son poids, vous regardant avec des grimaces; c'est le cauchemar. » D. Frédault.

(2) Vide Xavier de Maistre, *Voyage autour de ma chambre*. — « On fait quelques mouvements, on se remue; les muscles se tendent comme pour s'exercer à la vie; enfin les yeux s'ouvrent, on se sent maître de soi, on s'entend, on bâille, les idées reviennent, une préoccupation vous attache, on revient à la vie, on vit. » D. Frédault, *Loc. cit.*

(3) « L'abaissement de température (qui produit le sommeil) ne

(C.) De *amentiâ*. — Per amentiam intelligitur ille *status*, in quo mens, propter *læsionem* aut perturbationem *organis* insitam, libero *usu rationis* destituitur. Est status habitualis, et sic distinguitur a delirio, quod, cessante morbo, desinit. Amentia propter læsionem aut perturbationem organorum accidit; et ità differt a somno, qui jurè dicitur status a naturali constitutione profluens. In amentiâ tandem, ipsa facultas intellectualis non amittitur, sed rectum et liberum illius exercitium fit impossibile. Ratio enim, licet sit *in se* a materiâ independens, sensibus indiget in vitâ præsenti, ut objectum suum attingere possit; undè, læsis organis, sensus turbantur, et animus liberâ directione intellectûs frui non potest.

Multæ sunt amentiæ species : una vocatur *idiotismus*, eaque provenit a vitio congenito; alia verò *dementia* nuncupari solet, et in vitæ decursu, sive post morbum, sive propter defectum moralem, accidit. Amentia quoque dividitur in *maniam* seu delirium generale, et in *melancholiam* seu *monomaniam*, quæ ad objectum quoddam speciale limitatur.

Amentiæ causa potest esse *physica*, nempè morbus, accidens, et alia hujusmodi; sæpè autem est *moralis;* sic afflictio vivida, cordis libidines, pigritia, intemperantia, ceteræque passiones organismum physicum perturbant, generantque stultitiam et hebetudinem.

(D.) De *vitâ* et *morte*. — Animus est principium vitæ non solùm rationalis, sed etiam sensitivæ et vegetativæ, ut jam multoties diximus. Corpus autem in vitæ *phases* et evolutiones non parùm influit.

Vitæ phases aut *ætates* in quatuor præcipuas a recentibus dividuntur, in *infantiam*, *adolescentiam*, *maturitatem* et *senectutem*. In primâ infantiâ, scilicet usque ad annum septimum, vel

paraît autre chose que l'effet d'une fatigue de la faculté de résister. » D. Frédault, *Loc. cit.*, p. 709. — « In somno, fluidum istud, saltem quoad majorem illius partem, a cerebro resorbetur. Hinc relaxatio musculorum qui sunt organa productiva motuum, hinc etiam insensibilitas organorum sensitivorum, variaque phænomena quæ, somno durante, corpus afficiunt. » *Prælect. philos., Loc. cit.*

octavum, vita vegetativa et sensitiva gradatim apparent, cum evolutione organorum physicorum; in secundâ infantiâ seu pueritiâ, usque ad annum decimum tertium, vel decimum quartum, statura crescit, augentur vires physicæ, necnon rationis usum assequitur infans. In primâ adolescentiâ, seu pubertate, usque ad annum vigesimum, aut vigesimum primum, et in adolescentiâ virili, usque ad annum trigesimum secundum, vel trigesimum tertium, corpus evolutionem suam naturalem attingit. In maturitate, usque ad annum sexagesimum, vel sexagesimum quintum, homo perfectionem physicam et moralem sibi debitam possidet. In senectute verò decrescunt illius vires et paulatim vergit ad interitum : « Temps de tristesse et de défaillance suprême, où Dieu seul peut être une dernière espérance et une dernière consolation, » ait doctor Frédault (1).

Mors tandem accedens disrumpit unionem mentis et corporis; et idcircò definiri solet : *dissolutio compositi humani*. Tunc animus revertitur ad Deum undè exivit; corpus verò putrescit; partes autem illius nequaquam annihilari debent, sed servantur in orbe physico (2).

(1) *Ibidem*, p. 778. « On divise (la vieillesse) en trois périodes; la verte vieillesse (60 ans), la vieillesse confirmée (70 ans), ou la caducité et la décrépitude (80 ans). » P. 777. — « Le terme de la vie humaine est de 90 à 100 ans. Cependant nous avons des exemples récents qui font penser qu'il est dans l'homme une source de vie plus longue que la vie ordinaire. On a vu dans ce siècle des vieillards de 120, 150, et même 185 ans; et si cela arrive rarement, il faut bien moins en accuser la décrépitude de notre nature que nos mœurs dépravées. » Tourtelle, *Traité d'hygiène*, c. IV. — « Un vieillard cité par Martin avait 180 ans,..... Pierre Czartan, et l'évêque de Kentigern, cité par Cheyne, auraient vécu 185 ans. » D. Frédault.

(2) « Les théologiens définissent la mort d'une manière aussi simple qu'elle est sub lime : La mort est la séparation de l'âme et du corps. » Pioger, *La vie après la mort*, c. II. — Physiologi duodecim signa mortis enumerant : « 1° L'arrêt de la respiration; 2° l'arrêt de la circulation; 3° la rigidité cadavérique; 4° l'absence de contractilité musculaire au galvanisme; 5° la formation d'une tache sur la cornée; 6° le défaut de redressement de la mâchoire inférieure abaissée avec force; 7° la

Undè, resurrectio corporum scientiis experimentalibus non repugnat; imò, natura hominis hanc resurrectionem appetit; nam, etsi corpus ad perfectionem essentialem animæ non spectet, respicit tamen ad perfectionem naturæ hominis; nam, homo constat animâ simul et corpore; secundùm ea sancti Doctoris : « Sciendum est quod ad perfectionem alicujus rei dupliciter aliquid pertinet. Uno modo ad constituendam essentiam rei : sicut anima requiritur ad perfectionem hominis. Alio modo requiritur ad perfectionem rei quod pertinet ad benè esse ejus : sicut pulchritudo corporis, vel velocitas ingenii pertinet ad perfectionem hominis. Quamvis ergò corpus primo modo ad perfectionem beatitudinis animæ non pertineat, pertinet tamen secundo modo. Cùm enim operatio dependeat ex naturâ rei, quantò anima perfectior erit in suâ naturâ, tantò perfectius habebit suam propriam operationem, in quâ felicitas consistit... Et ideò quandiù ipsa fruitur Deo sine corpore, appetitus ejus sic quiescit in eo quod habet, quod tamen adhuc ad participationem ejus vellet suum corpus pertingere (*Sum. Theol.*, 1ª 2æ, q. 4, a. 5). »

Brevius : etsi corpus humanum informetur ab animâ, proprietates suas non amittit et influxum in mentem ipsam exercet : nempè, temperamentum in dispositiones morales redundat; in somno, directio facultatum impeditur; in amentiâ, rationis usus et voluntatis libertas vel omninò cessant, vel partim adimi solent; in vitæ phasibus, exercitium cujuslibet facultatis augescit vel decrescit, prout perficiuntur vel debilitantur organa physica. Denique, mors vitæ succedit quùm organismus animæ famulari nequit; post mortem verò, spiritus, beatitudine fruens, resurrectionem corporis appetit, ut novam, non utique mortalem et miseram, sed æternam et felicem vitam illi largiatur : « In novissimo die de terrâ surrecturus sum : et rursùm circumdabor

perte de transparence de la main; 8° l'obscurcissement et l'affaiblissement des yeux; 9° la vacuité des carotides; 10° le défaut de crépitation vitale; 11° le manque de vésicule après la brûlure; 12° la putréfaction. » D. Frédault, p. 824. — Vide *La vie après la mort*, par l'abbé L. M. Pioger. « Tirons pour conclusion que notre corps n'est pas détruit par la mort; qu'il ne fait que changer de forme. »

pelle meâ..... Reposita est hæc spes mea in sinu meo (Job., XIX, 25 et 27). » *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De hominis naturâ, personâ et definitione.

I. Quid ex dictis inferre licet?

(* 99. Ex omnibus dictis in tertiâ parte, synthesim generalem de naturâ, personâ et definitione hominis, inferre licet; undè tria sint corollaria : primum de *naturâ*, secundum de *personâ*, et tertium de *definitione* hominis.

(A.) De *naturâ hominis*. — Homo non est anima sola, neque solùm corpus, sed ex utroque simul conflatur; prætereà, « corpus et anima non sunt duæ substantiæ actu existentes, sed ex eis duobus fit una substantia actu existens (S. Thom., *Contrà Gent.*, l. II, c. 69), » eaque substantia *compositum humanum*, seu etiam *homo* dicitur.

Illud compositum sub triplici respectu haberi potest : nempè, vel quatenùs est *principium* a quo procedunt actus nostri, vel tanquam *subjectum* has operationes efficiens, vel in quantùm *specificè* differt a qualibet aliâ substantiâ; exindè *naturam, personalitatem* ac *definitionem* hominis agnoscere licet. Natura, de quâ nunc agitur, rectè definiri potest : *compositum humanum quatenùs est principium actionum aut passionum.*

Natura est *compositum humanum*, scilicet non anima sola neque solum corpus, sed substantia ex unione utriusque resultans (S. Thom., *De ente et essentiâ*, c. III).

Vocatur *principium* intrinsecum et permanens, *a quo* procedunt actiones et passiones nostræ; et verò, tale principium inest homini et jurè dicitur : natura hominis apta est ad hoc, aut ad illud agendum, vel recipiendum. Attamen corpus et anima non eodem modo se habent ad principium hujusmodi constituendum; anima quidem est *radix* et fons omnium vitæ functionum, ut alibi dictum est; dùm corpus est velut *instrumentum*, animæ substantialiter unitum (*Sum. Theol.*, III, q. 2, a. 6, ad 4^um^).

Natura dicitur principium *actionum* et *passionum;* id est, agit

per modum causæ efficientis, vel aliquid recipit ab agente extrinseco; v. gr., homo vi suæ naturæ vegetat, sentit, ambulat, loquitur, manducat, edocetur, ad statum altiorem assumi potest, aliaque similia perficit vel accipit.

(B.) De *personâ humanâ*. — Persona humana definiri potest : *compositum humanum, quatenùs est subjectum operationum sibi propriarum.*

Persona est *compositum humanum*, id est, substantia completa, *ratione* prædita et sui juris, ex animâ simul et corpore conflata. Vocatur *subjectum*, et sic distingui debet a naturâ distinctione saltem *modali;* natura enim est compositum humanum, quatenùs *principium a quo* procedunt actus nostri, persona verò est *subjectum quod* operatur et actus nostros perficit. Persona tandem est subjectum *operationum sibi propriarum;* videlicet actus a persona eliciti huic tribuuntur, secundùm adagium : *actiones sunt suppositorum.* Sic dicimus : *Ego* ambulo, *ego* patior, *ego* sentio, *ego* tali talive fungor officio. Hinc, notio personalitatis tria importat, substantiam rationalem atque completam, subjectum capax suos actus exerendi, et quamdam « imputabilitatem » in agendis. Quocircà, juxtà sanctum Thomam : « Persona significat id quod est perfectissimum in totâ naturâ, scilicet *subsistens* in rationali naturâ (*Sum. Theol.*, I, q. 29, a. 3). »

(C.) De *hominis definitione*. — « Homo a veteribus sapientibus, ait sanctus Augustinus, ità definitus est : Homo est animal rationale, mortale (*De Ordine*, l. II, c. XI). » Juxtà Platonem, homo est animus qui corpore, imperando, utitur (Plato, *Alcib.*). Eodem sensu D. de Bonald ait : « L'homme est une intelligence servie par des organes. » Alii alias definitiones tradiderunt; sed definitio veterum, a scholasticis multisque recentioribus habita, ceteris antecellit, nempè : *homo est animal rationale.*

Vox *animal* designat genus, et *rationale* differentiam specificam exprimit. Homo est animal, nempè constat anima et corpore, inter se unitis ità ut anima sit corporis forma substantialis. Homo est rationalis et sic a quolibet alio animali realiter et specificè differt. Aliæ verò definitiones genus, aut differentiam,

vel unionem substantialem mentis et corporis non exhibent.

« Animal significat id quod habet naturam sensitivam, ait sanctus Thomas; rationale verò, quod, habet naturam intellectivam; homo verò, quod habet utrumque (*Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 3, ad 3^um^). » Et sic absolvitur homo, de quo scripsit sanctus Gregorius Magnus : « Omnis creaturæ aliquid habet homo : habet namque homo commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis (*Homil.* 29, *Sup. Evang.*). » *)

SECUNDA PARS

PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ.

IV.

THEODICEA.

DE THEODICEÆ NATURA ET DIVISIONE.

I. Quid est Theodicea quoad nomen?

1. Mundus et anima vestigium aut imaginem Conditoris exprimunt; caepropter, e cognitione mundi et animæ ad cognitionem Dei assurgimus. Pars verò Philosophiæ, de Deo disserens, *Theodicea* seu potiùs *Theologia naturalis* vocari solet. Nomen illud, *Theodicea*, e vocibus græcis θεὸς et δίκη, attributum Dei peculiare designat, nempè *justitiam;* sæpiùs autem apud philosophos usurpatur sensu latiori et scientiam de Deo significat (Cf. Leibnitz. *Essai de Théodicée*). Eadem acceptione, *Theologia naturalis* exprimit scientiam de Deo, rationis lumine comparatam. Vox *Theologia*, græcè θεὸς et λόγος, objectum et excellentiam hujusmodi tractatûs ostendit; pars enim philosophiæ de supremo rerum Principio disserens me-

ritò dicitur ab Aristotele « principalissima (*Metaphys.*, l. II). » Juxtà Tullium, « quæstio de naturâ deorum ad agnitionem animi pulcherrima est, et ad moderandam religionem necessaria (*De Natur. Deorum*, I). »

Additur vox *naturalis*, quià philosophus Deum investigat lumine rationis; et sic discrepat a theologo, qui revelatione fretus, Deum cognoscit lumine supernaturali; undè, ut ait S. Thomas, « theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundùm genus ab illâ theologiâ, quæ pars philosophiæ ponitur (*Sum. Theol.*, p. I, q. 1, a. 1, ad 2^{um}). »

II. **Quid est Theodicea quoad nomen ?**

2. Ex dictis, Theodicea jurè definiri potest : *Pars philosophiæ realis, de Deo seu supremo omnium Principio disserens lumine naturali.*

Theodicea est *pars philosophiæ :* non est enim tota philosophia, ut nonnulli voluêre; sed *partem* et sane præstantissimam hujus scientiæ exhibet. Additur *realis :* nam, ut dictum est (Procem., n. 7), Philosophia realis complectitur Ontologiam, Cosmologiam, Psychologiam et *Theodiceam.*

Theodicea *de Deo disserit :* videlicet, Deum habet ut *objectum*, et sic distinguitur a ceteris partibus philosophiæ realis, quæ notiones communes entium, naturam corporum, aut mentem humanam habent ut objectum.

Theodicea tandem de Deo disserit *lumine naturali :* et ità secernitur a Theologiâ, quæ de Deo quidem disceptat, sed lumine supernaturali, ut jam dictum est.

III. **Utrum et quomodo mens humana Deum cognoscere potest?**

3. Inter philosophos ævi præseints, quidam, ducibus

positivistis, de Deo vix disserunt; imò theologiam naturalem extrà scientias ablegare nituntur : « La philosophie positive, ait unus ex illis, ne nie rien et n'affirme rien sur les causes premières et finales. Nous ne savons rien sur la *cause* de l'univers et des habitants qu'il renferme (Littré). » Nonnulli verò propugnant sententiam oppositam, et asserunt universam philosophiam in Theodiceâ contineri; undè, juxtà illos, Theologia naturalis Ontologiam, imò Psychologiam et Logicam complectitur (Gratry). Multi tandem, et apud antiquos et apud recentes, meritò contendunt Theologiam naturalem esse *partem*, eamque præstantissimam, *scientiæ* philosophicæ; sed inter se non consentiunt de *methodis*, quibus utendum est, seu de *mediis*, quibus ad agnitionem Dei mens assurgere potest.

Alii, videlicet Ontologistæ, docent Ens infinitum *immediatè* percipi ab intellectu nostro; quapropter, non ascendimus e rebus creatis ad Conditorem, sed Deum in essentiâ suâ, aut saltem in suis attributis contemplamur (Malebranche). — Traditionalistæ verò, « imbecillitatem rationis » ultrà modum exaggerantes, revelationem aut traditionem ad Deum cognoscendum necessariam esse profitentur (Lamennais, Beautain, Bonnetty, post Huetium). Non pauci, exordium philosophiæ a psychologiâ sumentes, ad Dei notitiam deveniunt ex ideâ Entis infiniti, vi quidem rationis sive speculativæ, sive practicæ, vel ope cujusdam instinctûs naturæ insiti (Cartesiani, Kantistæ). Juxtà D. Gratry, inest homini sensus divinus per quem anima, lumine Verbi suffulta, Deum clarè et facilè detegit.

Scholastici, duce sancto Thomâ, unâ voce docent existentiam et attributa Dei, quantùm « *in se* » sunt, esse « *per se* » *nota;* « *quoad nos* » autem non sunt « *per se* »

nota, sed « demonstrari indigent (*Sum. Theol.*, p. I, q. 2, a. 1). » Eapropter, intellectus primariò cognoscit res mundanas, et dein e creaturis ascendit ad Deum. Ad rem appositè scripsit sanctus Thomas : « In doctrinâ philosophiæ, quæ creaturas secundùm se considerat et ex eis in Dei cognitionem perducit, prima est consideratio de creaturis et ultima de Deo (*Contrà Gent.*, l. III, c. IV). » Undè, quoad ordinem logicum, Cosmologia et Psychologia Theologiam naturalem antecedunt.

Triplex est autem *itinerarium* animæ e rebus mundanis ad Deum ascendentis : nempè, *via causalitatis*, *via remotionis*, et *via excellentiæ*, quæ dicitur etiam *analogiæ*. Per viam *causalitatis*, Deum agnoscimus ut principium et finem omnium rerum; et sic ab effectu ad ultimam Causam assurgimus : illud est quasi primum itinerarium. Per viam *remotionis*, amovemus a Deo quidquid defectûs invenitur in creaturis; ità Deum concipimus æternum, immutabilem, immensum, simplicem : tale est secundum itinerarium. Deus tandem *excellenti* modo possidet omnes creaturæ perfectiones; ideoque vivit, intelligit, amat, beatitudine fruitur : hoc est tertium itinerarium. « Deum autem, ut Dionysius dicit, cognoscimus ut *causam*, et per *excessum*, et per *remotionem* (*De divinis Nomin.* S. Thomas, *Sum. Theol.*, I, q. 84, a. 7, et *Super Boet. de Trinitate*). »

IV. Quodnam est objectum Theologiæ naturalis et quomodo dividi potest?

4. Ex dictis, apparet quodnam sit *objectum formale*, de quo illa scientia disceptat. In statu vitæ præsentis, homo Deum immediatè, quasi facie ad faciem, contemplari nequit, sed ope ratiocinii detegere potest *utrùm Deus sit*, *quid sit* et *quid agat;* undè, *existentia*, *natura* et *vita* Dei,

quatenùs lumine rationis agnosci queunt, objectum formale Theologiæ naturalis *adæquatè* complectuntur.

Et sane, in Deo existentia, natura et vita minimè distinguuntur; relativè autem ad nos, successivè tantùm et quasi separatim attingi possunt propter debilitatem rationis humanæ. Primò quidem, per viam *causalitatis*, *existentiam* Dei comprobamus; deindè, viâ *remotionis*, amovemus ab eo creaturarum imperfectiones, et notionem *naturæ* divinæ concipimus; denique, per *analogiam* seu viam *excellentiæ*, asserimus Deum, ad cujus imaginem homo conditus est, gaudere *vitâ intellectuali* et omnes perfectiones ad hanc vitam referendas excellenti modo possidere.

Theodicea ergò in tres partes rectè dividitur : una de *existentiâ*, alia de *naturâ* et ultima de *vitâ* Dei disserit (Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 2-26). In primâ parte viam *causalitatis*, in secundâ viam *remotionis*, et in tertiâ viam *excellentiæ præ ceteris*, etsi *non exclusivè*, adhibet intellectus. Pars unaquæque dirigitur adversùs præcipuos errores ævi præsentis, nempè *atheismum*, *pantheismum* et *deismum*. Ea divisio tabulâ sequenti exprimitur :

THEOLOGIÆ NATURALIS

Prima pars de *Existentiâ* Dei,	ubi ratio ad Deum per viam *causalitatis* ascendit; (adversùs *atheos*;)
Secunda pars de *Naturâ* Dei,	ubi Deus per viam *remotionis* dignoscitur; (contrà *pantheistas*;)
Tertia pars de *Vitâ* Dei,	ubi Deum per viam *excellentiæ* cognoscimus; (adversùs *deistas*.)

V. Expone synopsim Theologiæ naturalis.

(* 5. In hac parte philosophiæ realis, investigamus primam omnium *Causam*, seu ultimam *Rationem*, nempè *Deum*. — Tria autem de Deo inquirere est : 1°, *Utrùm sit;* 2°, *quid sit;* et 3°, *quid agat*. Quùm autem Deus non immediatè, sed tantummodò per effectus a nobis agnosci possit in statu vitæ præsentis, ad Eum triplici modo seu tribus viis ascendimus; nempè, per viam *causalitatis, remotionis* et *excellentiæ*. — Undè, Theodicea jurè dividitur in tres partes : in primâ parte, per viam causalitatis Deum *esse* demonstramus, adversùs *atheos;* in secundà parte, investigamus per viam remotionis quænam sit Dei *natura*, contrà *pantheistas;* et tandem in tertiâ parte, inferimus per viam excellentiæ Deum *vitâ* rationali et perfectissimâ et beatissimâ gaudere, necnon habere curam de omnibus rebus etiam vilissimis, adversùs *Deistas*.

Prima pars, de *existentiâ* Dei. — Existit Ens a se, a quo et propter quod omnia condita sunt, et illud Deum appellamus. — Thesis probatur a *posteriori* et triplici argumentorum genere : videlicet, argumentis *metaphysicis, physicis* et *moralibus;* ideoque ontologismus, traditionalismus et Cartesianismus rectæ rationi contradicunt. — A fortiori, quam evidentissimè falsum est et perniciosum atheismi delirium. Undè, prima pars dividitur in duo capita, quibus additur *Appendix :*

Caput primum, De *argumentis* quibus existentia Dei directè probatur :

Caput secundum, De *atheismo;*

Appendix, De *polytheismo*.

Secunda pars, de *naturâ* Dei. — *Ens a se* et necessarium omnem limitem et imperfectionem penitùs excludit. Scilicet, Ens a se est undequaque *perfectum* seu *infinitum;* Ens autem undequaque infinitum est *immutabile;* Ens immutabile est *æternum;* Ens æternum est *immensum;* Ens immensum est *simplex;* Ens simplex est *unum*. — Ergò, Deus e naturâ suâ est infinitus, immutabilis, æternus, immensus, simplex et unus. — Eâ de re, *pantheismus* omnis, dualismus et errores hujusmodi,

qui naturam Dei inficiunt, evidentissimè falsi sunt et rejiciendi. Undè, tria sint capita :

Caput primum, De *absolutâ* perfectione divinâ;

Caput secundum, De *attributis* absolutis, quibus constituitur essentia divina;

Caput tertium, De *Pantheismo.*

Tertia pars, de *vitâ Dei.* — Homo, qui ad imaginem Dei creatus est, vitâ rationali gaudet; undè, meritò infertur vitam intellectualem in Deo excellentissimè reperiri. — Ad vitam rationalem *intelligere* et *velle* necessariò requiruntur; Deus igitur cognoscit et amat, primariò seipsum, et deindè omnia in seipso et in ordine ad seipsum. — Non solùm res mundanæ habent a Deo creatore ut sint; verùm etiam Ejus conservatione perseverant in esse, præmotione physicâ seu concursu prævio applicantur ad actum, et gubernationi divinæ subjiciuntur. Cura autem, quam Deus habet de omnibus, non impedit quin sit *beatissimus.* — His dictis, etsi Deus nec propriè nominari, nec logicè definiri possit, jurè tamen appellatur : *Qui est;* et rectè dicitur : *Actus purus.* Ad rem duo erunt capita, quibus addetur *Appendix :*

Caput primum, De *vitâ Dei* ad intrà;

Caput secundum, De *vitâ Dei* ad extrà;

Appendix, de *Dei* definitione.

Ex his omnibus apparet legitimitas hujus definitionis : *Theodicea seu Theologia naturalis* est, *pars philosophiæ realis de Deo, seu ultimâ omnium ratione, lumine naturali disserens.* *)

PRIMA PARS THEODICEÆ

DE

EXISTENTIA DEI.

I. Quomodo dividitur prima pars, de existentiâ Dei?

6. Duplici modo existentia Dei demonstratur, *directè* et *indirectè :* directè, e necessitate primi Entis seu primæ Causæ; indirectè, e falsitate atheismi. Undè, caput primum dividi potest in duo capita, quibus additur appendix : I, De argumentis quibus existentia Dei *directè* probatur; II, De *Atheismo;* Appendix, de *Polytheismo.*

CAPUT PRIMUM.

DE ARGUMENTIS QUIBUS EXISTENTIA DEI DIRECTÈ PROBATUR.

II. Quomodo dividitur caput primum, de argumentis quibus existentia Dei directè probatur?

7. Existentia Dei probatur argumento *metaphysico*, *physico* et *morali.* Ad rem quatuor sint articuli : 1^us^, De argumento *metaphysico;* 2^us^, De argumento *physico;*

3^us^, De argumento *morali*, 4^us^, De *solutione* difficultatum (1).

ARTICULUS PRIMUS.

De argumento metaphysico.

III. **Expone statum quæstionis.**

8. Deum vocamus primam Causam absolutè necessariam, quæ omnibus dat esse et vivere, sed ipsa nihil accipit, nec accipere potest. Illius autem Entis *existentiam* solummodò quærimus in præsenti capite. In eo sensu, statuitur sequens

PROPOSITIO.

Deus existit.

Jam, qui hujus Entis existentiam apertè rejiciunt, vel ambiguam dubiamve tenent, *athei* vocantur. *Theistæ* verò, seu philosophi, qui Deum existere contendunt, in tres classes dividuntur : quidam dicunt existentiam Dei ratione probari non posse, sed a nobis accipi revelatione divinâ ; hi sunt Traditionalistæ. Alii contrà, videlicet Ontologistæ, asserunt Deum non modò esse per se notum, sed etiam immediatè percipi rationis *intuitu*. Plerique verò philosophi jurè contendunt hanc propositionem, *Deus existit*, esse *ratiocinio* demonstrabilem.

Triplex autem genus argumentorum distinguere possumus : argumenta scilicet « *a priori*, *a simultaneo* et *a*

(1) « Magnum opus aggredior, Quinti, de Numine Summo
» Dicturus. Quid enim toto præstantius orbe est
» Quam Sator et Princeps orbis? Quid dignius omni
» Et curâ et studio et nostræ conamine mentis? »
Anti-Lucret.

posteriori. » Argumentum *a priori* strictè sumptum est demonstratio effectùs per causam; argumentum *a simultaneo*, quod etiam nuncupari solet *a priori* lato sensu, est ea probatio, quæ sumitur ab ideis menti nostræ insitis; argumentum autem *a posteriori* est demonstratio causæ ex effectibus deprompta. Omnibus sane in confesso est Dei existentiam argumentis a priori strictè sumptis demonstrari non posse; Deus enim est existentia suprema, quæ a nullâ causâ habet ut sit. Argumenta autem a simultaneo, seu a priori latissimo sensu, nonnulli recentes philosophi, Cartesiani nomine, adhibere solent adversùs atheos et pantheistas. Juxtà scholasticos, argumentis a posteriori, eisque solis, existentia Dei logicè statuitur; sed argumenta hujusmodi tria sunt, *metaphysicum, physicum,* seu *physico-theologicum*, et *morale.* Argumentum metaphysicum sumitur ex ipsâ rerum contingentium naturâ; mirabilis ordo, quem inspicimus in orbe terrarum, argumentum physico-theologicum nobis suppeditat; et argumentum morale vim suam depromit e consensione generis humani.

Nobis grato sit animo, ducibus tot et tantis philosophis, iis tribus argumentis, et primo quidem argumento *metaphysico,* existentiam Dei stabilire.

IV. Evolve argumentum metaphysicum.

9. Argumenta metaphysica, quæ apud auctores inveniuntur, ad hanc formam generalem revocari possunt : universa, quibus conflatur orbis, constituunt seriem rerum contingentium; atqui, series hujusmodi supponit primam Causam, ut aiunt, « *improductam;* » ergò, existit prima Causa, quam vocamus Deum.

Major constat. — Nam, ut dictum est in Cosmologiâ et Psychologiâ, res mundanæ mutabiles sunt et finitæ, et

nihil in eis, nisi seriem successivam entium contingentium, philosophi et naturalistæ comperiunt (1).

Minor probatur. — Series entium contingentium supponit Ens a se, seu Causam, ut aiunt, « improductam. » Et sane, ens ab alio productum jam est *effectus*, nec proindè dici potest ratio sufficiens et prima causa omnium; eò quod effectus necessariò supponit causam. Sed, series effectuum non potest esse *infinita;* numerus enim infinitus rationi contràdicit. Ergò, necesse est admittere primum Ens, quod in seipso habeat ut sit, et ceteris omnibus existentiam largiatur, illudque Deum appellamus.

Idem argumentum, e naturâ orbis physici depromptum, varias formas induit; nempè : 1°, existentia Dei probatur e necessitate *primi motoris.* — Motus scilicet existit in rebus mundanis; « certum est enim, et sensu constat, ait sanctus Thomas, aliqua moveri in hoc mundo (*Sum. Theol.*, p. I, q. 2, a. 3). » Sed, motus supponit primum motorem, qui a nullo moveatur; et sane, materia, quam inertem, id est indifferentem ad motum aut quietem, agnoscunt ipsi materialistæ, seipsam movere non potest, et verum est axioma pervulgatum in scholis : *omne quod movetur, ab alio movetur.* Idemque dicendum est et de motore orbis physici : vel est immobilis, vel ab alio movetur; et quùm series infinita repugnet, « necesse est, inquit sanctus Thomas, devenire ad aliquod primum movens, quod a nullo movetur; et hoc omnes intelligunt

(1) D. Vacherot semel et iterùm, sed gratis, asseruit mundum esse necessarium et absolutum : « Comment M. Vacherot établit-il cette thèse, que le monde n'est contingent qu'en apparence, qu'il se révèle à la raison comme nécessaire, et que par conséquent le monde n'est un effet que pour l'imagination, qu'au fond il est cause et cause absolue? Nulle part il ne démontre cette proposition si grave, il l'affirme sous mille formes variées. » D. Caro, *L'idée de Dieu*, p. 241, édit. 1873.

Deum (*Ibidem*) (1). » Brevius : sensu constat aliqua moveri in mundo; series autem motuum est finita et contingens, materiaque iners et passiva seipsam movere nequit; undè, necessarium est primum motorem existere, nempè Deum, seu « actum purum, » ut ait Aristoteles.

2°, Existentia Dei probatur e *causâ efficiente*. — Videlicet, ordo causarum efficientium, ut evidens est, in rebus creatis invenitur; atqui, ordo causarum efficientium necessariò supponit primam causam, quæ ab aliâ non pendeat; ergò, existit prima causa efficiens, quam Deum dicimus. Major patet. Probatur minor. — Causæ rerum efficientes ità ordinantur ut unaquæque sit causa et effectus sub diverso respectu : sic, arbor similem sibi producit, et meritò nomen causæ sortitur; verumtamen nuncupari debet effectus, in quantùm ab aliis arboribus ducit originem. In hoc autem ordine series infinita repugnat, et necessariò deveniendum est ad primam causam, quæ non sit effectus. Nam, causâ hujusmodi sublatâ, jam omnes effectus essent sine causâ efficiente; quod rationi contradicit. Existit igitur prima causa efficiens, quam Deum esse noscimus.

3°, Existentia Dei probatur ex *Ente necessario*. — Multa sunt merè *possibilia;* sed, entia merè possibilia supponunt *Ens necessarium;* ergò, existit Ens necessarium. Illud argumentum, quod vocari solet « *ex possibili et necessario*, » sic exposuit sanctus Thomas : « Videmus in mundo quædam quæ sunt possibilia esse et non esse, scilicet generabilia et corruptibilia. Omne autem quod est

(1) « L'expérience ne me montre absolument que ceci : des corps mus par d'autres corps, mus eux-mêmes par d'autres corps, et cela à l'infini. Or, si en dehors de cette chaîne, il n'y a pas une cause motrice, je dis que c'est là une série de mouvements sans cause et sans raison. » P. Janet, *Le Matérialisme contemporain*, 1875, p. 58.

possibile esse, causam habet... Sed in causis non est procedere in infinitum... Ergò oportet ponere aliquid quod sit necesse esse (1). » Et verò, in hac rerum collectione nullum ens haberi potest ut necessarium; econtrà, quidquid existit in orbe terrarum indifferens est e naturâ suâ ad esse aut non esse; sic homo, e naturâ suâ non est *necessarius*, sed merè *possibilis;* ens autem hujusmodi existentiam a seipso habere non potest, « quià quod non est, non incipit esse nisi per aliquid quod est. » Oportet igitur admittere quoddam Ens non tantùm *possibile*, verùm etiam omninò *necessarium*, non habens « causam necessitatis aliundè, sed quod est causa necessitatis aliis; » et illud omnes dicunt Deum (*Sum. Theol.*, I, q. 2, a. 3).

4°, Existentia Dei probatur e diversis *perfectionum gradibus*. — Scilicet, in rebus physicis inveniuntur perfectiones, ut veritas, pulchritudo, bonitas; easque perfectiones diversis gradibus, seu « secundùm magis et minùs, » ut aiunt, in mineralibus, plantis et animalibus existere constat. Apud omnes etiam in confesso est rerum perfectionem esse quid merè contingens et mutabile. Sed, perfectiones hujusmodi contingentes et « partici-

(1) *Contra Gent.*, lib. I, c. xv, n. 4. — Cf. Suarez, *Metaphys.*, disp. XXVIII, sect. I; Sanseverino, *Elementa*, vol. III, p. 29. — « Nous trouvons évidemment dans ce monde des choses qui naissent et périssent, qui, par conséquent, peuvent être et n'être pas. Or, il est impossible que tous les êtres qui existent, soient de cette nature; car des choses qui par leur nature naissent et périssent, n'existent pas en tout temps. Donc, si tous les êtres qui existent actuellement ont pu ne pas exister, il y a eu un temps où rien n'existait. S'il en était ainsi, rien n'existerait encore à présent; car ce qui n'existe pas ne peut recevoir l'être que par ce qui existe... Tous les êtres ne sont donc pas périssables et possibles, mais il faut qu'il y ait dans la nature un être nécessaire. » Kleutgen, t. IV, p. 291; S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 2, a. 3.

patæ » supponunt existentiam Entis summè perfecti, quod est « verissimum, et optimum, et nobilissimum; » aliter enim rationem sufficientem non haberent. Existit igitur « aliquid quod omnibus entibus est causa esse et bonitatis, et cujuslibet perfectionis : et hoc dicimus Deum. » Aliundè, probatur existentia Dei e primo motore, et e causâ efficiente, et ex ente necessario; ergò, Deus existit. Iis quatuor viis additur quinta, e gubernatione rerum, de quâ dicendum est in argumento, quod vocatur physico-theologicum (1).

ARTICULUS SECUNDUS.

De argumento physico.

I. Expone et evolve argumentum physicum.

10. Existentia ordinatoris summâ intelligentiâ prædíti, et gubernatoris sapientissimi, demonstratur ex ordine mundi; et tale argumentum dicitur *physicum*, seu *physico-theologicum* : his verbis exprimi solet : — In hac aspectabili rerum universitate splendet ordo mirabilis; sed, ordo ille conspiciendus opificem summâ intelligentiâ præditum summeque sapientem prædicat; ergò, existit Ens summè intelligens, a quo res omnes aptissimè ordinantur; « et hoc dicimus Deum (2). »

(1) « Dieu parfait suprême, est type suprême, mais il ne peut l'être qu'en étant la cause suprême de toute perfection... Être infini dont la perfection immobile enveloppe l'échelle mobile des êtres, salut!... Tu es la perfection même, puisqu'il y a des perfections qui ne peuvent être graduées que selon leur rapport avec toi. Salut, c'est toi que nous appelons Dieu : « Et hoc dicimus Deum. » R. P. Monsabré, *Conférences*, an. 1873, p. 158-59. « Quinta via sumitur ex gubernatione rerum. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 2, a. 3.

(2) S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 2, a. 3; itemque celeberrimi Philosophi, Plato, Aristoteles et Cicero; Sancti Patres Ecclesiæ, Ju-

Probatur *Major*. — In hac aspectabili rerum universitate splendet ordo mirificus; nam, sive spectes *individua* quibus orbis conflatur, sive *nexum* quo res inter se uniuntur attento examini subdas, jam in omnibus compaginem, harmoniam et ordinem miraris (Cf. *Cosmol.*, n. 60).

(A.) Ecquis nisi stupenti animo, tempore noctis, cùm ceteros mortales sopor obruit, cœlum contemplari possit? Ecquis nisi lætus auroram diei prænuntiam, montium cacumina roseis coloribus tingentem, et denique solem ipsum, naturæ decus et quasi principem, in cœlum gradientem aspiciat? Ecquis nisi gratâ mente, terram frugiferam et mare piscibus abundans, mineralium varietatem, miram vegetalium et animantium structuram, hominisque corpus diversis instructum organis et animam cum suis facultatibus auscultare queat?

(B.) Hæc insuper harmonicè conspirant ut unum idemque systema, quem mundum appellamus, efficiant. Alia quidem aliis succedunt, obtemperant et subduntur: sic, in rebus terrenis compagem visu pulcherrimam invenimus. Infimum gradum mineralia tenent; super ea excellunt vegetalia, quæ vitâ licet imperfectâ gaudent; belluæ plantis, et belluis homines præsunt; ità ut entia superioris ordinis perfectiones ordinis inferioris possi-

stinus, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Augustinus et alii; scientiarum cultores peritissimi, Kepler, Copernic, Newton, Euler et Leibnitz. Cf. Cicer., *De naturâ deorum;* Fénelon, *De l'existence de Dieu;* Bossuet, *De la connaissance de Dieu et de soi-même;* Frayssinous, *Défense du christianisme;* La Luzerne, *Dissertation sur l'existence de Dieu;* Clarke, *Traité de l'existence de Dieu;* R. P. Monsabré, *Conférences de Notre-Dame;* A. de Margerie, *Théodicée*, t. I, p. 187; Delalle, *Théologie naturelle*, p. II, p. 262; B. Nieuwentyt, *L'existence de Dieu démontrée par les merveilles de la nature;* Châteaubriand, *Génie du Christianisme.*

deant (Cf. S. Thomas, *Contrà Gent.*, l. III, 97). Itemque, omnes partes orbis physici inter se colligantur, et opificium arte confectum exhibent : « Nihil majus, ait Cicero, quam quod ità stabilis est mundus, atque ità cohæret ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius. Omnes enim partes ejus undique medium locum capessentes, nituntur æqualiter. Maximè autem corpora inter se juncta permanent, cùm quodam quasi vinculo circumdata colligantur (*De natur. Deor.*, l. II, n. 45). » Grande spectaculum illud attonitos homines ad altiora sublimioraque raperet, si vel tantisper in animum cogitationes suas reflectere vellent (1).

(C.) Non tantùm in *singulis partibus*, neque solùm in *colligatione omnium*, quibus orbis conflatur, verùm etiam in aptissimâ rerum *dispositione* cùm ad *finem specialem*, tùm ad *finem generalem*, splendet ordo mirabilis. Sic, ut exemplum afferamus, oculi rectè disponuntur ad videndum, manus ad palpandum, et pedes ad ambulandum, itemque de ceteris partibus corporis humani; sed prætereà, ut verbis sancti Doctoris utamur, « ex hoc quod res sunt ordinatæ ad invicem, juvant se mutuò, ut ad finem ultimum debitè ordinentur. » Undè, particulares ordines, in diversis entium speciebus explorati, sub uno generali ordine continentur, et ope *legum universalium* tendunt ad eamdem causam finalem, quam extrà physicum orbem inquirere debemus (*I Sent.*, dist. 47, q. 1, a. 4).

(1) « Jetons les yeux sur cette terre qui nous porte, regardons cette voûte immense des cieux qui nous couvre, ces abîmes d'air et d'eau qui nous environnent, et ces astres qui nous éclairent. Un homme qui vit sans réflexion..... ne regarde la terre entière que comme le plancher de sa chambre, et le soleil qui l'éclaire pendant le jour que comme la bougie qui l'éclaire pendant la nuit. » Fénelon, *Traité de l'existence de Dieu*, c. II.

Ad *Minorem*. — Ordo ille conspiciendus, quem in orbe contemplamur, *Opificem* summâ intelligentiâ præditum, summeque sapientem prædicat. 1°, Probatur ex *ratione*. — Tria inferre possumus : primò quidem, ordo mirabilis quem in rebus physicis invenimus, supponit causam intelligentiâ præditam; secundò, causam hujusmodi extrà mundum inquirere oportet; tertiò tandem, deveniendum est ad primam causam summè intelligentem.

(A.) Ordo quem in rebus physicis invenimus, supponit causam intelligentiâ præditam; etenim, ut patet, ordo naturæ tria importat, universalitatem in rebus ordinatis, unitatem in fine, et leges generales ad finem assequendum; ea autem necessariò supponunt ordinatorem *intelligentiâ* præditum; sin aliter essent effectus sine ratione sufficiente; est enim entis intelligentis res diversas et sæpiùs ratione carentes ad finem communem ordinare, necnon statuere leges quibus finis ille comparetur : « Ea quæ non habent cognitionem, ait sanctus Thomas, non tendunt in finem, nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente, sicut sagitta a sagittante (1). » Errant igitur positivistæ, qui rerum ordinationem viribus physicis gigni contendunt.

(B.) Primam causam ordinis extrà mundum inquirere debemus; et verùm, ut ens quoddam res mundanas ordinare queat, et ad se tanquam ad finem ultimum referre, necesse est ut e naturâ suâ supremum dominium in eas exercere possit; entia verò contingentia specie

(1) *Sum. Theol.*, p. I, q. 2, a. 3. — « Tous ces mouvements réguliers ne tirent point leur origine première des causes mécaniques. Cette ordonnance admirablement belle du soleil, des planètes et des comètes ne peut venir que du plan et de la souveraineté d'un être *intelligent* et puissant. » Newton.

diversa, licet inter se colligentur et ad finem eumdem conspirent, a se invicem e naturâ suâ non pendent; quapropter, ordo dynamicus, et præcipuè ordo finalis arguit existentiam primi ordinatoris ab hac rerum universitate distincti. Ceteroquin, anima mundi quam, duce Cudworth, nonnulli recentes fingere voluerunt, est fœtus imaginationis. Idem a fortiori dicendum de vi mechanicâ seu *attractivâ* quorumdam ævi nostri materialistarum; vis enim hujusmodi, inconscia et omni intellectu spoliata, dici nequit primus ordinator orbis physici.

(C.) Unitas et varietas in rebus mundanis, cœlorum altitudo et maris immensitas, legum universalium colligatio et compages, in entibus etiam infimis explorata, *directè* ostendunt primum ordinis auctorem esse *summâ* intelligentiâ præditum; quem omnes Deum nominamus. *Indirectè* verò, per viam conclusionis, deveniendum est ad causam *infinitam;* et sane, primus ordinator et gubernator non solùm ordinem realiter existentem instituit, verùm etiam habetur ut ratio sufficiens omnis ordinis metaphysicè possibilis; quapropter, ut ait Sanseverino, « omnes possibiles legum collationes, » quinimò « futuras hominum liberas actiones prævidere » debet; sed, « prævisio omnium possibilium eventuum, atque actionum liberarum, infinitam intelligentiam necessariò postulat (*Theol. natur.*, c. 1, a. 5). » Undè, mirificus ordo, quem in orbe conspicimus, *indirectè* saltem demonstrat existentiam Entis *infinitè* sapientis, *directè* verò, et quam lucidissimè, comprobat existentiam Entis *summâ* intelligentiâ prædiți (1).

(1) « (L'argument physique) ne prouve pas directement, nous l'accordons, la perfection infinie du Créateur; nous ajoutons cependant les observations suivantes : 1°, quoique chaque terme que comprend

(* 2°, Minor probatur ex *auctoritate*. — Argumentum physico-theologicum stylo pereleganti apud philosophos et veteres et recentes expositum est. Imprimis audi Tullium aientem : « An verò, si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci, ut, etiam si dominum non videas, muribus illam et mustelis ædificatam putes; tantum verò ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum cœlestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum, si tuum, ac non deorum immortalium domicilium putes, nonne plane desipere videare? » Et infrà : « Quid verò? tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio, quem non coget ea, quæ dicuntur a me, comprobare? Possetne uno tempore florere, deindè vicissim horrere terra? aut, tot rebus ipsis se immutantibus, solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognosci? aut æstus maritimi, fretorumque angustiæ, ortu aut obitu lunæ commoveri? aut una totius cœli conversione cursus astrorum dispares conversari? Hæc ita fieri omnibus inter se concinentibus mundi partibus profectò non possent, nisi ea uno divino et continuato spiritu continerentur (*De natur. Deor.*, l. II, c. VI et VII). »

Idem argumentum haud minùs eleganter evolvit sanctus Athanasius, dicens : « Ecquis cœli ambitum, solisque et lunæ cursum, aliorumve siderum positiones, et circumvectiones, contrarias quidem, ac dissimiles, sed in ipsâ dissimilitudine æqualem ordinem ab omnibus servatum intueri potest, quin

la perfection et l'ordre de l'univers n'exige pas directement une cause suprême et infinie, cependant comme 2°, ces termes dépendants d'une cause finie, doivent être ramenés en dernière analyse à une cause infinie et comme 3°, plusieurs effets exigent directement l'action de la cause infinie (telles que les substances simples, la matière première, les lois imposées aux esprits, les forces et les lois physiques et leur cours), il est logique de conclure : I. Que l'ordre du monde et sa perfection nous conduisent à l'existence non-seulement d'un être supérieur, mais de l'Etre suprême et infini; II. Que les êtres recevant leur existence d'une cause finie prouvent au moins indirectement l'existence de l'Infini, cause première. » A. Dupont, *Théodicée*, p. 24.

secum cogitet hæc non a semetipsis, sed ab alio, nempè ab auctore administrari, et regi? Quis solem die exoriri, et lunam nocte apparere, immutabilique lege per æqualem omninò dierum numerum decrescere, et crescere, atque ex sideribus alia quidem discurrere, cursusque variè immutare, alia verò inerrantia constanter moveri aspiciens, non intelligat illa necessariò ab opifice aliquo gubernari (*Orat. Contrà Gent.*, n. 35)? »

Inter philosophos ævi præsentis, Ant. Marty argumentum e pulcherrimo mundi ordine depromptum his verbis egregiè conficit : « Licet, remota omni subtilitate disputandi, naturam contemplari universam, cœlum et astra, terram, maria et fontes, ignem, aera, stirpes, animantia et in animum quoque suum cogitationem reflectere. Hæc omnia profecto Deum esse, sua quæque voce, testantur. Ecquis hunc verè hominem audeat dicere quem minimè moveant illa tam admirabilia, tam multa, tam aptè inter se copulata atque connexa, tam amica et consentientia, etsi admodùm dissimili contrariaque natura sint; aut qui illa neget summa quadam arte divinaque mente effecta (*Theodic.* Codex autogr.). » *)

Minor igitur et ex ratione et ex auctoritate probatur; scilicet : ordo mundi Opificem summè intelligentem prædicat. Aliundè, major experientiâ constat; nempè : in aspectabili rerum universitate splendet ordo mirabilis. Ergò, stat et ipsa conclusio; videlicet : existit Ens summè intelligens, a quo res omnes aptissimè ordinantur, « et hoc dicimus Deum (1). »

(1) « Lorsque debout sur le promontoire de la science, nous plongeons nos regards dans l'océan d'azur et que nous interrogeons le ciel, le soleil, la lune, les étoiles, ils nous répondent d'une voix sublime : « C'est Lui qui nous a faits. » R. P. Monsabré, *Conférences de Notre-Dame*, 1873.

ARTICULUS TERTIUS.

De argumento morali.

1. Expone argumentum morale.

11. Duobus argumentis jam expositis accedit tertium ex unanimi populorum *consensione* depromptum, et illud dicitur *morale;* hanc formam induere solet : — Omnes populi consentiunt in agnoscendo Numine supremo; sed, consensio hujusmodi constans et universalis exoriri nequit ab errore communi; existit igitur Numen supremum, quod Deum appellamus. Ut illud argumentum morale sit legitimum, duo *requiruntur* et *sufficiunt :* 1°, Consensionem populorum esse *universalem;* 2°, eam consensionem a *veritate* oriri. Atqui, hæc duo vera sunt :

1°, Omnes populi consentiunt in agnoscendo Numine supremo. Probatur e gentium *ritibus;* nam, erecta templa, festi dies instituti, statuti sacerdotum ordines, consecrata ubique altaria, oblataque sacrificia testantur fidem omnium populorum et consensionem de supremi Numinis existentiâ. Constat etiam e testimoniis *historicorum*, et post Tullium dicere possumus : nulla est gens tam fera, tam barbara, quæ etsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum non sciat; nemo tam immanis cujus mentem non imbuerit divinitatis opinio. Multi de diis pravè sentiunt, id enim vitioso more effici solet; omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur (*Tusc.* et *De Leg.*). Et iterùm, duce Plutarcho, atheos his verbis impugnare fas est : « Peregrinantibus multas contingit occurrere urbes sine muris, sine studio litterarum, sine legibus; multæ sunt etiam in quibus nec opes nec gymnasia inveniuntur, neque numismata; nulla verò urbs est quæ Deo careat, nec ulla est templis desti-

tuta, quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur, quæ bonorum causâ non sacrificet, quæ sacris avertere mala non nitatur (1). » Indubium est igitur omnes populos, etiamsi qualis Deus esse debeat nonnulli penitùs ignorent, ut infrà videbitur, Numen quoddam supremum admittere, necnon illud habere tanquam ultorem criminis et virtutis remuneratorem.

2°, Ea populorum consensio generalis ab errore quidem exoriri nequit; sed, ut ait Tullius, « lex naturæ putanda est. » Et verùm, error circà veritatem hujusmodi exordium sumit, secundùm atheismi fautores, vel a *præjudiciis* educationis, vel ab *ignorantiâ* legum naturalium, vel a sacerdotum et legislatorum *fraude*, vel ab inani *metu;* sed, nullum ex his atheorum figmentis verum est.

(A.) Consensio populorum non sumit originem a *præjudiciis* educationis; præjudicia enim a cupiditatibus oriuntur et quibusdam familiis aut gentibus solummodò communia sunt; dogma autem existentiæ Dei, criminum ultoris, nequaquam hominum cupiditatibus favet; aliundè, fides ea populorum constans est et universalis, videlicet a primævis sæculis per totum orbem diffusa.

(B.) Consensio populorum ab *ignorantiâ* legum naturalium repeti non debet; nam, ex unâ parte, dogma existentiæ Dei, ad mores instruendos necessarium,

(1) Plutarchus, *Adv. Col.* — « Nulle tradition, de l'aveu même des athées, n'est plus universelle, plus constante; donc aucun fait n'est plus certain. Parcourez la terre en tous sens; des contrées civilisées, des nations savantes, passez au fond des bois chez les hordes sauvages; que pas un peuple, pas une famille n'échappe à vos recherches; entrez dans la tente de l'Arabe, dans la cabane du Nègre, dans la hutte du Cafre et du Samoïède : partout vous retrouverez la croyance d'un premier Etre, père de tous les êtres; partout vous entendrez nommer Dieu. » *Essai sur l'indifférence*, t. II, c. XIV. — Cf. *Les sauvages Ba-Nhars*, par M. Dourisboure.

agnosci potest ab his, qui leges physicas ignorant, Deus enim habetur ut primus auctor et gubernator ordinis moralis; ex alterâ parte, scientiarum naturalium cultores peritissimi, ducibus Euler, Leibnitz, Copernic et Kepler, existentiam supremi Numinis apertè confessi sunt, ità ut vera sit ea Baconis sententia : « Leves gustus in philosophiâ movere fortassè possunt ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem reducunt (*De argum. scient.*, l. I). »

(C.) Consensio populorum a sacerdotum et legislatorum *fraude* non oritur; et sane institutio sacerdotii supponit Dei notitiam per orbem vulgatam; itemque, multi silvicolæ nullum legislatorem agnoscunt; apud eos tamen viget idea supremi Numinis. Aliundè, quisnam sit sacerdos ille solertissimus, celeberrimusve legislator qui tali fide genus humanum imbuerit? aut quomodò fraus hujusmodi non fuerit detecta? et quo jure deceptor iste gravissimo religionis onere gentes aligare potuerit?

(D.) Consensio populorum non habuit exordium ab inani *metu* (1); non solùm enim infantes et mulierculæ, sed etiam homines impavidi Deum esse crediderunt. Ceteroqui, gentes Numen supremum non habuère veluti monstrum fulminibus procellisque stipatum, sed tanquam virtutis *remuneratorem* et ultorem criminis. Imò, timor hujusmodi jam supponit ideas justi et injusti, criminis et virtutis; ideoque non est causa, benè verò effectus hujusce fidei, quam apud omnes populos vigentem invenimus.

Ex dictis, quasi spontè sua deducitur ea conclusio : populorum consensio « lex naturæ putanda est, » et a

(1) « Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cœlo
» Fulmina quùm caderent. » *Lucret.*

veritate solùm oritur; ergò, Dei existentia demonstratur argumento *morali;* aliundè, probatur argumento *physico*, necnon et argumento *metaphysico;* stat igitur propositio : videlicet, *existit Deus*.

(* Illud dogma fundamentale non solùm *fide* tenet Ecclesia, dicens : « Credo in Deum; » sed etiam apertè docet existentiam Dei *lumine rationis* certò cognosci posse : « Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quæ facta sunt, naturali rationis lumine certò cognosci non posse; anathema sit (Concil. Vatic.). » Undè, splendet *analogia* mirabilis, quam inter fidem et rationem sæpissimè conspeximus ; ità ut quicumque Deum agnoscere non vult, sive christianus, sive paganus, sit prorsùs « *inexcusabilis*. » Eapropter, cum egregio ævi nostri philosopho concludere fas est : « Il est donc vrai, Dieu nous cerne de toutes parts; et par quelque issue que nous prétendions lui échapper, il est là qui la garde. Par où le fuir, en effet? Par l'histoire? il la remplit tout entière de la foi qu'il inspire à l'humanité. Par les choses sensibles, qui si souvent détournent de lui les âmes asservies à leurs corps? il est le principe du mécanisme admirable qui fait vivre et mouvoir ce corps lui-même, et de l'ordre qui éclate dans cet univers auquel on voudrait s'arrêter. Par la raison, dont les sophistes abusent si souvent contre lui? elle n'est rien autre chose que la faculté de s'élever au divin. Par le cœur, si souvent idolâtre des créatures? il n'est que la puissance d'aimer le bien, le bien véritable et absolu, et la glorieuse impuissance à se reposer en tout bien qui n'est pas Dieu ou ne se rapporte pas à lui. Par la morale? il en est le législateur. Par la science? il en est la base, le centre et le sommet (A. de Margerie, *Théodicée*, c. VIII). » *)

ARTICULUS QUARTUS.

De solutione difficultatum.

I. **Quæ sunt præcipuæ philosophorum objectiones?**

(* 12. Præter argumenta *directa*, quibus existentia Dei sta-

tuitur, supersunt argumenta *indirecta*, videlicet e difficultatum solutione deprompta. Jam philosophi, qui argumenta in gratiam existentiæ Dei allata rejiciunt, aut saltem inficere conituntur, etsi aliundè Deum esse credant, ad tres classes revocantur : alii sunt *Traditionalistæ;* alii *Ontologistæ;* alii verò *Cartesiani*. Undè, triplex objectio.

II. Quid sentiendum de objectione traditionalistarum?

13. Obj. I. Traditionalistæ, ut vidimus in Psychologiâ, unâ voce docent rationem hominis imbecillem ad notitiam Dei saltem explicitam ascendere non posse, nisi tantùm ope revelationis aut traditionis. Quâ de re, argumenta quibus uti solent ipsi scholastici, imparia sunt ad existentiam Dei comprobandam. Brevius : ratio, sine revelationis auxilio, veritates ordinis metaphysici certò cognoscere non potest; ergò, sola ratio, sine subsidio revelationis, « Dei existentiam cum certitudine probare » nequit (1).

Resp. *Distinguo antecedens :* ratio impar est ad detegendum *mysteria, concedo;* veritates *necessarias, nego*. Quippè, mysteria captum rationis superant, nec nisi revelatione detegi queunt, ut Trinitas in Deo et Incarnatio Verbi; veritates autem, ad mores instruendos et ad rerum contingentium originem exhibendam absolutè necessarias, lumine naturali comparare possumus; aliter enim, « natura deficeret in necessariis, » ut aiunt.

(1) « J'ai l'intime conviction et comme chrétien et comme philosophe, que le raisonnement seul sans la lumière de la foi, ne peut me donner la certitude sur cette première de toutes les vérités. » D. Bautain, *Ad Epis. Argentorat.* — Juxtà Menesium, homines non ratione tenent, sed traditione credunt Deum existere : « Demandez à ces hommes inconnus les uns aux autres, d'où leur est venue (la croyance en Dieu), ils vous répondront : Nos pères nous ont dit : *Patres nostri narraverunt nobis.* Ils connaissent Dieu comme ils connaissent leurs ancêtres, par le témoignage transmis; et le souvenir de la première famille, tige féconde de la race humaine, est inséparable du souvenir de son auteur. » *Essai sur l'indifférence.*

Sed existentia Dei procul dubio ceteris omnibus philosophiæ dogmatibus longè præcellit; et non solùm ea quæstio pulcherrima dici debet, verùm etiam « ad moderandam religionem necessaria (Tull., *De natur. Deor.*, l. I). »

Prætereà, syllogismorum præmissæ, quibus existentia Dei probatur constant elementis, quæ lumine rationis, etiam ignavæ, facilè concipi possunt; tales sunt propositiones ejusmodi : res mundanæ mutabiles sunt et finitæ; ordo mirabilis existit in mundo; omnes populi Deum esse credunt. Deindè intellectus, ope ratiocinii existentiam Entis necessarii, Conditoris summè sapientis et Numinis supremi, sine ambitu demonstrat. Si verò talis esset rationis imbecillitas, ut ea capere non valeret, nec etiam factum revelationis agnoscere posset; jamque nullâ certitudine gauderent homines.

Aliundè, Concilium Vaticanum expressè docuit existentiam Dei lumine rationis humanæ certò cognosci posse, secundùm Apostoli verba : « Invisibilia Ipsius, a creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur. » Sic se habet sacrosanctum Concilium : « Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine e rebus creatis certò cognosci posse. » Ergò, Traditionalistæ, qui auctoritatem habent ut fontem veritatis, ab ipsâ auctoritate damnantur.

Inst. — Existentia Dei et ejus essentia non discrepant; sed, ratio essentiam Dei detegere nequit; ergò, nec et ejus existentiam comprobare potest.

Resp. *Distinguo majorem :* existentia et essentia Dei non discrepant, *ontologicè, concedo; logicè, nego.* Videlicet, in substantiâ divinâ *esse* et *essentia* secerni non debent; quoad nos autem distinctio logica concipitur; nam, e rebus creatis ad existentiam Entis supremi devenire possumus, quin tamen agnoscamus illius essentiam. Ad rem sanctus Thomas : « Ens et esse dicitur dupliciter. Quandoque enim significat essentiam rei, sive actum essendi; quandoque verò significat veritatem propositionis. Cùm ergò dicat Damascenus... quod esse Dei est nobis manifestum, accipitur esse Dei secundo modo et non primo·

Primo enim modo est idem esse Dei quod est substantia : et sicut ejus substantia est ignota, ità et esse. Secundo autem modo scimus quoniam *Deus est*, quoniam hanc propositionem in intellectu nostro concipimus ex effectibus Ipsius (*Qq. disp.* de pot., q. 7, a. 2, ad 1^um^). » Ideoque, Traditionalismi fundamenta corruunt, et « ratiocinatio Dei existentiam cum certitudine probare potest, » ut aiunt Venerabiles Patres SS. Congregationis Romanæ Indicis. Imò, « Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandum Dei existentiam contrà atheum, allegari convenienter nequit. »

III. Quid dicendum de objectione ontologistarum ?

14. Obj. II. Ontologistæ, traditionalistas ex adversâ fronte impugnantes, asserunt ipsum Deum in suâ Essentiâ, vel in suis Attributis *immediatè* percipi ab intellectu nostro, etiam in statu vitæ præsentis ; undè, argumenta, quibus existentia Dei probatur, licet utilia sint ad hanc veritatem *illustrandam*, non sunt necessaria ut Deus a nobis *detegi* possit. Juxtà eos, « Deum existentem percipimus ; ergò, Deus existit. » Ideoque, a priori et intuitivè scientiam de Deo primitùs et præcipuè nanciscimur. Brevius : propositio, *Deus existit, per se* nota est ; ergò, demonstratione propriè dictâ non indiget.

Resp. *Distinguo antecedens :* ea propositio, *Deus existit*, per se nota est, *secundùm se, concedo ; quoad nos, nego.* Et verùm, in Deo esse non distinguitur ab essentiâ, et qui Deum immediatè cerneret, Illius existentiam clarè perciperet ; homines autem, in statu vitæ præsentis, essentiam divinam intueri nequeunt, ut diximus in Psychologiâ ; undè, propositio, *Deus existit*, non est per se nota relativè ad nos : « Contingit aliquid esse per se notum dupliciter, ait sanctus Thomas. Uno modo secundùm se, et non quoad nos : alio modo secundùm se, et quoad nos... Hæc propositio, *Deus est*, quantùm in se est, per se nota est, quià prædicatum est idem cum subjecto : Deus enim est suum esse... Sed quià nos non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea quæ sunt

magis nota quoad nos, et minùs nota quoad naturam, scilicet per effectus (*Sum. Theol.*, p. I, q. 2, a. 1). »

Inst. — Illud est per se notum, etiam quoad nos, in cujus lumine cetera percipimus; sed, in lumine divino conspicimus omnia; ergò, Deus, etiam quoad nos, est per se notus.

Resp. *Distinguo majorem :* illud est per se notum, etiam quoad nos, in cujus lumine cetera videmus, *immediatè* tanquam in *objecto* cognitionis, *concedo; mediatè* tanquam in *principio* cognitionis, *nego.* Sed, in lumine Dei omnia perspicimus; *distinguo minorem : mediatè*, tanquam in *principio* cognitionis, *concedo; immediatè*, tanquam in *objecto* cognitionis, *nego.* Id est, in omni cognitione secernere debemus et objectum cognitum, et principium seu lumen per quod objectum illud agnoscitur; porrò, Deus non est objectum in quo cetera omnia videmus intuitivè; ab Eo tamen accipimus lumen participatum quo mediante veritatem adipiscimur. In hoc sensu, Deus est prima veritas, ratione scilicet *existentiæ*, ratione verò *cognitionis*, objecta materialia prius agnoscimus. Ad rem appositè scripsit sanctus Thomas : « Omnia dicimur in Deo videre et secundùm ipsum de omnibus judicare, in quantùm per *participationem* sui luminis omnia cognoscimus et dijudicamus. Nam et ipsum lumen naturale rationis participatio quædam est divini luminis; sicut etiam omnia sensibilia dicimur videre et judicare in sole, id est per lumen solis. Undè dicit Augustinus, primo *Soliloquiorum :* « Disciplinarum spectamina videri non possunt, nisi aliquo velut suo sole illustrentur, » videlicet Deo. Sicut ergò ad videndum aliquid sensibiliter, non est necesse quod videatur substantia solis, ità et ad videndum aliquid intelligibiliter non est necessarium quod videatur *essentia Dei* (q. 12, a. 11, ad 3^um^, et *Contrà Gent.*, l. I, c. xi). »

Eapropter, argumenta *a posteriori* non sunt tantùm *utilia*, ut volunt Ontologistæ, sed etiam *necessaria* ad existentiam Dei probandam (Cf. *Omnium Concil. Vatic. docum. collect.*, per Conrad. Martin, episc. Paderb., 1873).

IV. Quid sentiendum de objectione cartesianorum?

15. Obj. III. Nonnulli philosophi, duce Cartesio, directam

quidem et immediatam Dei visionem enixè repellunt; quoddam autem argumentum *a priori* lato sensu, vel, ut placet, *a simultaneo*, ex *ideâ* Entis infiniti depromptum, afferunt, ut existentiam Dei comprobent adversùs atheismi fautores (Cf. L. Couture, *Polybiblion*, 1875). Argumentum hujusmodi triplicem formam induit.

(A.) Imprimis, sic se habet sanctus Anselmus : Nomine Dei intelligimus id, quo majus cogitari nequit ; sed, majus est illud quod est in *intellectu* simul et *re*, quam id quod est in *intellectu* tantùm; ergò, illud quo nihil majus cogitari potest, nempè Deus, et in intellectu simul et *re*, scilicet existit (*Proslog.*, c. II).

(B.) Posteà, Cartesius instauravit sancti Anselmi argumentum, dicens : Habemus ideam claram Entis infiniti; hæc autem idea arguit existentiam Entis infiniti, quod Deum appellamus; ergò, Deus existit (*Princip. Philos.*, p. I, c. XIV et XVIII).

(C.) Tandemque, Leibnitzius argumentum a simultaneo his verbis contexit : Deum possibilem esse concipimus; sed, in Deo possibilitas et existentia non discrepant; ergò, Deus existit. Nempè : « Deus solus, seu ens necessarium, hoc privilegio gaudet, quod necessariò existat, si possibilis est. Et quemadmodùm nihil possibilitatem ejus impedit, quod limitum expers nec ullam negationem, consequenter nec contradictionem involvit, hoc unum sufficit ad cognoscendam existentiam Dei a priori (*Monadol.*). »

De argumentis a simultaneo, æquà mente expositis, illud judicium ferre liceat : 1°, Demonstratio sancti Anselmi, Cartesii et Leibnitzii non necessariò supponit visionem *objectivam*, id est immediatum Dei intuitum; iique philosophi inter ontologistas propriè dictos annumerari non debent. Et certè, juxtà illos, ea, quam de Deo habemus, idea, non est primariò nisi *subjectiva* tantùm; in mente scilicet impressa est, quin tamen Deum directè percipiamus.

2°, Argumentum sancti Anselmi differt a demonstratione Cartesianorum; hi quidem asserunt ideam Entis infiniti esse nobis *innatam;* ille verò contendit Dei notitiam comparari virtute intellectûs, e rebus creatis et contingentibus ad Ens necessarium logicè conscendentis.

3°, Demonstrationes a simultaneo prorsùs *inutiles* sunt adversùs atheos; nullus enim atheus admittit ideam Entis summè perfecti, mentibus nostris inesse; vel saltem affirmat hujusmodi notionem esse merè *fictitiam :* « Les idéalisations théologiques, ait E. Littré, ne furent jamais que *fictives.* » Et alibi : « Les êtres théologiques n'ont d'existence que dans l'esprit. »

4°, Argumentum a simultaneo est *petitio principii;* etenim, supponit jam cognitum id, quod est probandum. Reverà, quæritur utrùm Deus existat; et Cartesius respondet affirmativè, quià, ut ait, habemus ideam seu notitiam Entis infiniti. Sed præcisè quæritur undè talis idea sumat originem, et quisnam sit illius vis *objectiva.* Idem philosophus asserit eam a Deo mentibus infundi. Hæc autem assertio est gratuita; nam, ex ideâ Infiniti merè subjectivâ transire nequimus ad existentiam ipsius Infiniti, quin aliundè constet, argumentis scilicet a posteriori, hujus ideæ vis objectiva. Ad rem scripsit Ant. Dupont : « L'argument proposé par saint Anselme, Descartes et Leibnitz, passe sans raison de l'ordre *idéal* à l'ordre *réel* (*Théodicée*). »

Cartesiani verò, ut argumenti a simultaneo vim astruant, hoc modo scholasticos arguunt : habemus ideam, eamque claram, Entis infiniti; sed, Infinitum e finito cognosci non potest; idea igitur Infiniti a Deo sumit originem, et consequenter Deus existit.

Resp. *Distinguo majorem :* habemus ideam *inadæquatam* Infiniti, *concedo; adæquatam, nego.* Sed Infinitum e finito cognosci non potest, *distinguo minorem : adæquatè, concedo; inadæquatè, nego.* Nam, ut jam multoties dictum est, idea quam de Deo habemus non est adæquata, nec immediata, nec etiam innata; sed directè et confusè comparatur e contemplatione rerum mundanarum; deindè verò per ratiocinium clara fit et reflexa (1). Probatur. — Ut e rebus finitis ad Dei notitiam

(1) « Naturalis nostra cognitio a sensu principium sumit. Undè tantùm se nostra naturalis cognitio extendere potest, in quantùm manuduci potest per sensibilia. Ex sensibilibus autem non potest usque ad hoc intellectus noster pertingere quod divinam *essentiam* videat : quià creaturæ sensibiles sunt effectus, Dei virtutem causæ non *adæquantes.*

ascendere possimus, duo *requiruntur* et *sufficiunt;* nempè, Dei vestigium aut *imago* in creaturis, et *potentia* seu facultas in homine; sed duo hæc vera sunt; nam, in orbe terrarum splendet imago Dei Creatoris (1), et homo præditus est intellectu per quem res physicas agnoscere potest, et ex eis ad Auctorem omnium assurgere. In hoc sane nulla involvitur contradictio; nam, ut ait Billuart, « res finita et imperfecta non exigit causam infinitam et summè perfectam; atqui, idea Dei est finita et imperfecta; ergò, non necessariò a Deo proficisci debet, sed ab aliis rebus creatis ortum habere potest (*De Deo,* Dissert. I, a. 3, 1). »

Aliundè, difficultas a Cartesianis allata retorquetur adversùs eosdem philosophos; et certè atheus Cartesium his verbis arguet : Juxtà te, Infinitum e finito cognosci non potest; sed, intellectus humanus est finitus; ergò, Infinitum, seu Deus, ab intellectu nostro, etiam mediantibus ideis innatis, agnosci nequit, et notitia, quam de Deo fingimus, est merè subjectiva. Consequens rejiciunt ipsi Cartesiani; ergò, falsum est antecedens, et intellectus ad Deum, per ea quæ facta sunt, ascendere potest.

Ideoque, vis argumentorum a posteriori, quibus Deum esse constat, eximitur a Cartesianorum (2), ontologistarum et traditionalistarum objectionibus; et sic *indirectè* probatur existentia Dei. Idem a fortiori dicendum est de sophismatibus atheorum. *)

Undè ex sensibilium cognitione non potest tota Dei virtus cognosci, et per consequens nec ejus essentia videri; sed quià sunt effectus a causâ dependentes, ex eis in hoc perduci possumus, ut cognoscamus de Deo *an est;* et ut cognoscamus de ipso *ea,* quæ necesse est ei convenire secundùm quod est *prima* omnium *causa* excedens omnia sua causata. » S. Thomas, *Sum. Theol.,* p. I, q. 12, a. 12, c.

(1) « Cum creatura *exemplariter* procedat ab ipso Deo sicut a causâ quodammodò simili per analogiam, ex creaturis potest in Deum deveniri tribus illis modis quibus dictum est, scilicet per causalitatem, remotionem, eminentiam. » S. Thomas, I *Sent.,* dist. III, q. 1, a. 3, sol.

(2) « Les preuves de Descartes, réfutées dès leur apparition, en sont aujourd'hui à se demander toujours si elles valent quelque chose,

CAPUT SECUNDUM.

DE ATHEISMO.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de atheismo?

16. Theistæ non eadem viâ Deum esse comprobant : hi enim a *traditione*, illi a *visione* quadam *intuitivâ*, nonnulli ex *ideis innatis*, plerique tandem ex ipsâ *contemplatione rerum contingentium* ordiuntur in argumentatione, per quam Deum existere constat. Omnes autem unâ voce docent et uno corde profitentur unum esse Deum, Creatorem et Dominum nostrum. Quidam verò, et apud veteres et apud hodiernos, *atheismum* propugnantes, existentiam Dei rejiciunt aut saltem in dubium revocant. Error hujusmodi, quo deterior esse nequit, paucis abhinc annis ubique grassatur, non sine magno animarum damno; ità ut non solùm « Ecclesiæ viscera commoveantur, » verùm etiam philosophi spiritualistæ, ducibus E. Caro et P. Janet, atheismi recentis alluviem haud sine mentis dolore ac timore inspiciant (1). Ideo-

comme si elles n'entendaient pas le bon sens leur crier à tue-tête qu'elles n'ont jamais rien valu. » Antonin de Roaldès, *Les penseurs du jour*, p. 310.

(1) « Il y a parmi nous toute une classe d'esprits scientifiquement désorganisés, habiles à saisir les phénomènes, les lois, dans les divers ordres de la réalité, dans la nature ou dans l'histoire, mais incapables, par l'effet d'une inertie systématique qui se prend pour une force, de s'élever à la conception de la *cause*, la dernière raison des lois naturelles, comme les lois sont la raison des faits. » E. Caro, *L'idée de Dieu*, 1873, p. 42. — « Il est inutile de le cacher, l'école spiritualiste subit une crise redoutable. S'il ne s'agissait que d'une école, on pour-

que *utilitas* hujus quæstionis, imò necessitas neminem fugiet. De atheismo in genere pauca dicemus; deindè verò atheismus recentiorum, omissis veterum querelis, fusiùs evolvetur; philosophus enim, hostes armis instructos aggrediens potiùs quam mortuos imbelles, rem agit utilem; posteà tandem atheismi errores diluentur. Undè, duo articuli : 1^us^, De *expositione* atheismi; 2^us^, De *confutatione* atheismi.

ARTICULUS PRIMUS.

De expositione atheismi.

II. Quid dicendum de atheismo in genere?

17. De atheismo in genere, quatuor sunt dicenda, nempè : quid sit atheismus; quænam sint illius variæ species; quasnam formas induat; et a quo fonte sumat originem.

(A.) De atheismi *definitione*. — Atheus, e vocibus græcis ἀ (privativum,) et θεὸς (Deus,) lato sensu, est omnis homo qui Deum esse vel *ignorat*, vel *dubitat*, vel apertè *negat*. Stricto sensu ille dicitur atheus qui Deum esse *negat*, vel *dubitat* : « Athei sunt, inquit Arnobius, qui Deos esse vel negant, vel dubitant (*Disput. adv. Gent.*, V). » Ideoque, atheismus propriè dictus est *systema* eorum, qui *Dei existentiam rejiciunt*, vel *in dubium revocant*.

Inter hujus systematis fautores, alii *indirectè* tantùm,

rait s'en consoler; mais il y a ici plus qu'une école; il y a l'idée, l'idée spiritualiste. C'est cette idée dont les destinées sont aujourd'hui menacées par le flot le plus formidable qu'elle ait essuyé depuis *l'Encyclopédie*. » P. Janet. — « Un souffle d'athéisme a passé sur l'Europe. » De Rémusat.

alii verò *directè* existentiam Dei impugnant : ità, Manichæi et pantheistæ Deum, indirectè saltem, e medio tollunt; materialistæ autem et positivistæ recentes directè prolabuntur in atheismum. De his potissimùm agitur in præsenti quæstione.

(B.) De variis atheismi *speciebus*. — Omnes sectatores atheismi generatim inspecti dividuntur in *practicos, negativos* et *theoreticos* seu *positivos*. Athei practici, de existentiâ Dei minimè curantes, in praxi vivunt perindè ac si Deus non esset. Atheus negativus dicitur ille qui, licet ad ætatem adultam evectus usuque rationis præditus, utrùm Deus sit penitùs ignorat. Athei verò theoretici seu positivi Deum existere audacter negant, vel argumentis fallacibus hanc veritatem in dubium revocare, aut extrà scientiam ablegare conniluntur. Ili quidem atheismum propriè dictum excolunt.

Quæris, 1°, utrùm sint athei *practici?* Respondeo *affirmativè;* non pauci enim, negotiis sæcularibus implicati, aut cœno vitiorum obruti, vel etiam sophistarum fallaciis decepti, perindè vivunt ac si Deus non esset, nullumve honorem Enti supremo persolvunt (1). Et ratio est quià, in persolvendo cultu debito, libertate fruuntur homines;

(1) « Ceux qui ne servent point Dieu, et qui au contraire l'outragent par une vie criminelle et vicieuse, sont une espèce d'athées, c'est là l'athéisme des garnements et des débauchés, car effectivement ils vivent comme s'il n'y avait point de Dieu, sans crainte de sa justice, sans reconnaissance de sa bonté, sans respect pour son nom, sans obéissance à ses lois, et quand ils auraient abattu Dieu de dessus son trône pour l'écraser sous leurs pieds et l'anéantir à jamais, ils ne se donneraient pas plus de licence et de hardiesse. Ce sont donc des athées d'œuvre et d'action, ils confessent Dieu de leur langage, mais ils le renient par leurs mœurs; ils parlent comme croyant un Dieu, ils agissent comme n'en croyant point. » Bayle, *Pensées diverses*, t. IV, p. 94.

undè, fieri potest ut voluntas ita sit effrena, ut cultum Deo solvere recuset.

Quæris, 2°, Utrùm dari possint athei *negativi?* Respondeo *negativè;* scilicet, homo qui ad ætatem adultam pervenit, et sanâ mente necnon usu rationis fruitur, in ignorantiâ de Deo, seu Ente quodam supremo, diu perseverare nequit. Et verùm, e primis principiis et potissimùm e notione causalitatis, quæ omnibus innotescunt, facilè deducitur existentia primæ omnium Causæ, seu Entis supremi a quó res mundanæ sumunt originem. Prætereà, hanc assertionem confirmat historia; nam, apud omnes homines, etiam sylvicolas, viget notio Divinitatis; nec nisi amentes, usu facultatum orbati, de Deo nullam habent notitiam. Ergò, « dari nequeunt athei negativi, seu homines adulti et sanâ mente fruentes, qui Deum prorsùs ignorent (Liberatore). »

Quæris, 3°, Utrùm sint athei *positivi? Distinguo :* non solùm quidam athei positivi, sed etiam atheismi systema existere potest *ad tempus, concedo;* universali *perennique modo, nego.* Reverà, Dei existentia facilè probatur, ut diximus, attamen non est veritas intuitiva, et ideò demonstratione indiget; sed homo, cupiditatibus indulgens, rationem ab argumentis, quibus Deum esse constat, avertere potest, et sic paulatim in atheismum incidere. Imò, errorem hujusmodi, fallaciis innixum, aliundè vitiis ei faventibus, tanquam systema disseminari non repugnat, ut experientiâ luctuosâ demonstratur.

Atheismus autem, quùm ratione individuâ et auctoritate generis humani respuatur, nec universalis esse potest, nec etiam diù perseverare; quâ de causâ, sectæ atheorum rarò solùm apparent, ut videbitur infrà, et mox ut umbra fugiunt. Ipsi fautores atheismi sæpè fluctuantes videntur, secundùm ea Senecæ : « Mentiuntur qui di-

cunt se non sentire esse Deum ; nam etsi tibi affirment interdiù, noctù tamen et soli dubitant. »

(C.) De variis atheismi *formis*. — Atheismus positivus, quem in Theodiceâ impugnare debemus, varias *formas* induit : quandoque *blasphemiam*, non semel *hypocrisim*, sæpiùs verò *sceptiscismum* arguit.

1°, Nonnulli Deum audacter negare non formidant, et verba *blasphemiæ* adversùs Sanctum sanctorum eructant ; ex his sunt de quibus dicit Scriptura : « Sepulchrum patens est guttur eorum ; » « Corrupti sunt et abominabiles facti sunt ; » ideoque Deum justum, criminis judicem et ultorem, agnoscere recusant (1). Quinimò, unus ex eis atheos ipsos ut homines nimiâ pietate correptos vituperat, dicens : « L'athéisme est encore un système religieux..... Il ne faut pas lutter contre la religion, il faut l'oublier (A. Ruge, *Annales de Halle*). »

2°, Alii autem religionis simulacrum præ se ferentes, asserunt atheos esse *pios!* Imò, bonum et malum, verum et falsum perperam commiscentes in unum, athei negationem orationi theistarum anteponunt. Sit exemplum :

(1) *Psal.*, V, v. 11, et XIII, v. 1. — Aliqua horum atheorum verba referre liceat : « Dieu, c'est le mal..... Que doit-on à Dieu ? La guerre. » Proudhon, socialista ; item apud Germanos Feuerbach et Lassalle. — « Le nom de Dieu est un mot vide de sens..... Il ne faut pas seulement nous placer au-dessus des différentes religions, mais au-dessus de toute croyance en un Dieu quelconque..... Seuls les imbéciles parlent et rêvent encore d'un Dieu. » Loge Maçonnique de Liège, 1865. — « Haine à Dieu ! guerre à Dieu ! Il faut crever le ciel comme une voûte de papier. » Congrès de Liège. — « Je commence par dire que Dieu n'est pas même un être de raison. » La Mettrie. — « L'homme seul est le sauveur véritable ! L'homme seul est notre Dieu, notre Juge, notre Rédempteur. » Feuerbach. — L'homme civilisé est plus puissant que Jéhovah. Jéhovah ne pouvait que lancer la foudre, et l'homme civilisé a asservi l'électricité. » M. Rouget, professeur de Physiologie à la Faculté de Montpellier, 1875.

« L'énorme malentendu qui si souvent transforme en blasphémateurs de la divinité ses plus pieux et plus sincères adorateurs est avant tout une erreur de grammaire..... Ah! que les prières basses et presque toujours intéressées de l'homme vulgaire sont un moindre hommage à la Divinité que cette réserve exagérée qui retient parfois sur les lèvres du savant scrupuleux le mot que tant d'autres profanent par l'hypocrisie et la légèreté (E. Renan, *Essais de morale*, p. 66-67). »

3°, Athei verò plurimi sunt *sceptici;* id est, existentiam Dei palam rejicere nolunt, sed in dubium revocant; vel extrà scientiam hanc veritatem rejicere connituntur. Ex his sunt ferè omnes positivistæ, quorum magister eam protulit sententiam : « La philosophie positive ne nie rien et n'affirme rien sur les causes premières et finales. Nous ne savons rien sur *la cause de l'univers* et des habitants qu'il renferme (1). »

(D.) De *causis* atheismi. — Alii alias atheismi causas assignant. Juxtà C. Lévêque, exclusiva scientiarum *physicarum* cultura, neglecto *Psychologiæ* studio, atheismum hodiernum gignit; mens enim, ait ille philosophus, e reflexione suprà seipsam, potiùs quam e contemplatione mundi, ad Deum ascendit (*La science de l'invisible*, p. 129). Hæc autem assertio difficilè probari posset.

Multi verò causas atheismi repetunt et ex parte *intel-*

(1) Littré, *Paroles de phil. positive*, p. 34, et alibi : « Essence des choses, causes dernières, questions théologiques et métaphysiques, tout cela est en dehors de l'expérience. L'esprit humain, de quelque manière qu'il s'ingénie, n'a aucun moyen d'y atteindre. » *Positivisme*, p. 33. — « Ce n'est pas ma faute si mes réflexions ont démoli, pierre par pierre, tout l'édifice des croyances communes où je m'étais longtemps abrité, et m'ont réduit, comme Montaigne, à n'avoir pour reposer ma tête que « l'aureiller du doubte. » Viardot, *Libre examen*.

lectùs, et ex parte *indolis*, et ex parte *voluntatis;* intellectus enim fallaciis assuetus, vel ad scientias physicas aut mathematicas exclusivè intentus, non capit argumenta, quibus Deum esse constat. Itemque, non desunt homines qui tali indole sint prædìti, ut aliter ac ceteri homines sentire velint. Prætereà, voluntatis pravitas et corruptela cordis ad atheismum, imò ad odium quoddam rabidum propellere potest; quippè, homo vitiis putridus cupere debet ut nullus existat Deus, judex et ultor criminum. In eo sensu accipienda sunt verba Scripturæ : « Dixit insipiens in *corde suo :* Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (1). »

Et sane, intellectûs superbia, nimiaque scientiarum naturalium cultura, necnon indolis singularitas, et corruptela voluntatis, dici possunt atheismi causæ generales; sed origo specialis atheismi præsentis ævi, aliquo modo, sumi debet ab « *anarchiâ* » in philosophiam a Cartesio et Bacone præsertim introductâ. Baco enim exclusivam scientiarum naturalium culturam promovit; dùm Cartesius *judicium privatum* habuit ut unicum veritatis philosophicæ arbitrium; exindè, auctoritate rejectâ, materialismi et positivismi, pantheismi et scepticismi commenta originem duxerunt, et latum atheismo patuit iter.

(1) *Psal.* XIII, v. 1. — Cf. R. P. Caussette, *Bon sens de la foi.* — « Je jure qu'il n'y a pas de Dieu, ait Cabanis, et je demande que son nom ne soit jamais prononcé dans cette enceinte. » *Discours prononcé à l'Institut.* — « Tenez votre âme en état de désirer toujours qu'il y ait un Dieu, et vous n'en douterez jamais. » J.-J. Rousseau. — « Je voudrais voir un homme sobre, modéré, chaste, équitable, prononcer qu'il n'y a point de Dieu ou point d'âme immortelle; il parlerait sans intérêt. Mais cet homme ne se trouve pas. » La Bruyère.

III. Quid speciatim dicendum est de atheismo apud hodiernos?

(* 18. Tria dicemus : 1°, Duæ tantùm exstiterunt atheorum *sectæ;* 2°, quænam sit *genesis* atheismi recentis; 3°, quot et quibus *principiis* innitantur atheismi fautores.

(A.) De duabus atheorum *sectis.* — Hic et illìc, in decursu sæculorum, philosophi existentiam Dei negantes non defuerunt; sed duo tantùm atheismi *systemata,* fallaciis instructa, reperiuntur; nec proindè plures quam duæ atheorum *sectæ* numerari possunt, una scilicet apud antiquos, altera verò apud recentiores (Tennemann).

Atheismus veterum *formam scepticismi,* vel *negationis* induit; quidam enim, duce Protagorâ (1), Deorum existentiam in dubium revocârunt; alii autem, post Diagoram Melium et Theodorum Cyrenaicum (2) nullos esse Deos putaverunt. Leucippus, Democritus et Epicurus mundi originem a fortuito casu duxêre; nullum autem esse Deum vix insinuare ausi sunt; tanta erat apud Græcos atheismi « *detestatio.* » Romæ verò Lucretius atheismum docuit in opere, cui titulus, *De naturâ rerum* (3).

Idem systema, quod, vincente Christo, evanuerat, diebus

(1) « Quant à la réalité et à l'existence actuelle des dieux, il (Protagoras) la tint pour *douteuse,* ce qui le fit exiler d'Athènes. » Tennemann.

(2) « Diagoras, affranchi et disciple de Démocrite, fut obligé de quitter Athènes vers 415, à cause de sa réputation d'athéisme. » Tennemann. « Théodore de Cyrène fut surnommé l'Athée. » Tennemann. — « Plerique..... Deos esse dixerunt : *dubitare* se Protagoras : *nullos* esse omninò Diagoras Melius, et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. » Tullius, *De naturâ Deorum.* Addit : « Exposui ferè non philosophorum judicia, sed delirantium somnia. » *Ibidem,* n. 16.

(3) Epicurus existentiam Dei argumento *morali* probavit, dicens : « Diffiteri nemo potest anticipatam divinitatis notionem animæ nostræ naturaliter esse impressam. Hoc satis probat omnium hominum consensus... Exindè concludendum est Deos, cum a naturâ existere doceatur, reipsà existere. » — Lucretius natus est versus an 95 ante J.-C. « Il se donna la mort à 44 ans. » Bouillet.

istis denuò recoctum est; jam enim, sæculis proximè elapsis, quidam philosophi atheismum renovare tentârunt : ita Becker, de Maillet, d'Holbach, Lalande, Deum esse negârunt. Alii, quasi arundines ventis agitatæ; Dei existentiam modò tenuerunt, modò negaverunt, modò tandem in dubium revocaverunt : ex his fuerunt Robinet, La Mettrie, Raynal, Diderot, Voltaire, J.-J. Rousseau (1).

Paucis autem abhinc annis, atheismi lues percrebuit; jamque, non pauci tùm in Germaniâ et in Anglià, tùm in Gallià et in Italià, necnon in Americâ, Dei existentiam rejiciunt, aut in dubium revocant; eorumque systema, *lege civili non obstante*, palam disseminari potest. Imò, athei, quos in exsilium ejiciendos, vel igne cremandos esse putabant jurisperiti veteres, hodiè sedent in Academiâ et in Cœtu nationali, imò et in Senatu; et dicere possumus, cum Ill. ac RR. Aurelianensi Episcopo : « (L'athéisme gagne) chaque jour du terrain parmi les hommes adonnés exclusivement aux sciences positives, parmi la jeunesse et les ouvriers; en un mot, je suis forcé d'avouer qu'il se fait dans notre pays, dans le sens de l'athéisme, un effort d'impiété, dont les progrès incessants peuvent aller à des limites qu'on ne saurait dire; car ce mouvement semble partir de haut et certainement il va loin (2). »

(1) Cf. Barruel, *Les Helviennes*. Sit exemplum : « La Mettrie pour : « Je ne révoque pas en doute l'existence d'un Etre suprême. » — La Mettrie contre : « Je commence par dire que Dieu n'est pas même un être de raison. » — La Mettrie ni pour ni contre : « Dans le fond, qu'il y ait un Dieu ou qu'il n'y en ait point, cela est égal pour notre repos. Quelle folie de tant se tourmenter pour une chose qu'il est impossible de connaître ! Le pour n'est pas plus démontré que le contre. » *L'homme machine, Abrégé des systèmes, Dialogues des philosophes.*

(2) *L'Athéisme et le Péril social*, par Mgr Dupanloup. Inter ephemerides, quibus propagatur atheismus, citari possunt : *la Revue du Positivisme, le Siècle, la Revue des Deux-Mondes, les Débats, le Temps, l'Avenir National, l'Indépendance Belge, l'Opinion Nationale, la Revue Germanique, la Morale Indépendante, la Revue des Sciences expérimentales, la Libre Conscience, la Revue du Progrès, la Libre Pensée, l'Al-*

ROBERTS COLLEGE LIBRARY

(B.) Atheismi *Genesis.* — Ut dictum est suprà, atheismi recentis *origo communis* repeti debet ab *anarchiâ* in philosophiam introductâ ; nam, omnium sæculorum tramite relicto, alii post Baconem *scientias naturales exclusivè* coluerunt, solaque methodo *experimentali* usi sunt in quærendâ veritate ; exindè, nati sunt materialismus, positivismus et naturalismus, ideoque atheismus.

Alii verò post Cartesium, neglectis veterum argumentis quibus *esse Deum* facilè demonstratur, *ex ideis innatis* existentiam Dei probare voluerunt ; mox autem Humius realitatem objectivam idearum hujusmodi negavit ; dùm ipse Spinoza tenuit easdem ideas esse tantùm evolutiones Entis infiniti ; indè scepticismus, criticismus, et sophistice, consequenter atheismus, ortum habuerunt.

Ideò, Cartesius et Baco, licet atheismum enixè respuerint in praxi, logicè tamen ab istâ labe penitùs eximi non debent ; huic enim quodammodò viam panderunt. Undè, atheismi genesim eo schemate breviùs exprimere licet :

FONS

SEU *origo communis* ATHEISMI *hodierni :*

Anarchia in philosophiam a Bacone et Cartesio introducta.

BIPARTITIO :

I.	II.
Ex *abusu* methodi Baconis nati sunt :	Ex *abusu* methodi Cartesianæ orti sunt :
Materialismus,	Scepticismus,
Positivismus,	Criticismus,
Naturalismus,	Sophistice,
et exindè *atheismus* eorum, qui scientias *experimentales*, ceteris omissis, excolunt.	et indè *atheismus* eorum, qui realitatem *objectivam* ideæ Infiniti rejiciunt.

liance religieuse universelle, le Progrès de Lyon, le Journal des Economistes, l'Athée, etc., etc.

Hi sunt præcipui atheismi fautores ad primam classem referendi : apud Gallos, Cabanis, Broussais, Comte, Littré, Taine, Viardot; apud Anglos, Stuart-Mill, Bain, Herbert Spencer, Tyndall; apud Germanos, Schopenhauer, Moleschott, Vogt, Büchner (1).

Ad secundam classem revocantur : Hegel, Feuerbach, Michelet, Strauss, Bauer, Vacherot, Schérer, Renan. Hi quidem pantheismum simul et atheismum profitentur; nempè, duplicem Deum admittunt, unum *realem* et imperfectum, a rerum universitate non distinguendum, alterum *idealem* et perfectum, seu ab ideâ non secernendum; illum vocat E. Renan « la *totale existence*, » hunc verò, « la *catégorie de l'idéal*, c'est-à-dire, la forme sous laquelle nous concevons l'idéal (2). »

(1) Robin, Naquet, Wiroubof, Pichard, Rouget, Martins et quidam alii atheismum publicè docent in Gallià. — Athei pullulant in Germaniâ. — Juxtà P. Janet, omnes athei apud Germanos originem ducunt ab Hegelio : « Le théisme, le panthéisme et l'*athéisme*, telles furent les trois doctrines qui se partagèrent l'héritage de Hegel. On appelle ces trois divisions de l'école de noms empruntés à la langue politique, *la droite*, *le centre* et *la gauche*, qui eut bientôt son *extrême gauche*. » *Matérialisme contemporain*. Ad *sinistram* sedent Michelet, Strauss et eorum discipuli; *extremam sinistram* occupant Feuerbach, Bruno Bauer, Max Stirner, Arnold Ruge, Schopenhauer, Moleschott, Vogt, Wagner, Büchner, Spietz, Lowenthal, Czolbe et alii non pauci. — Michelet, Strauss et Feuerbach ab Hegelio sumunt originem; sed alii, nempè materialismi fautores, dici nequeunt hujus philosophi discipuli; e contrariò, fundamenta methodi hegelianæ diruentes, viam a Bacone tritam eligunt. Imò, Hegelium contemnunt, dicentes : « Nos philosophes modernes (Hegel et ses disciples) aiment à nous réchauffer de vieux légumes en leur donnant des noms nouveaux pour nous les servir comme la dernière invention de la cuisine philosophique. » Büchner, *Force et matière*. Et *ibidem* : « Les temps sont passés où le verbiage savant, le charlatanisme philosophique ou le batelage intellectuel étaient en vogue. »

(2) *Revue des Deux-Mondes*, *Liberté de penser*. — « Dieu n'est personnel qu'en l'homme, et l'âme n'est immortelle qu'en Dieu; ce qui vient à dire que Dieu n'est pas personnel et que l'âme n'est pas immortelle. » Maxime de la gauche hégélienne; P. Janet, *Matérialisme contemporain*;

(C.) De atheismi *principiis*. — Athei inter se minimè consentiunt; non pauci, ut diximus, Deum apertè rejiciunt, ut materialistæ Robin, Naquet, Büchner, Rouget; alii verò, cum positivistâ Comte, trinitatem quamdam admittunt, nempè mundum, terram et hominem, gallicè : le « Grand Tout, le Grand Fétiche, le Grand Être; » nonnulli autem solam humanitatem venerantur : « L'homme seul, ait Feuerbach, est le sauveur véritable, l'homme seul est notre Dieu, notre juge, notre rédempteur; » juxtà Stirner, quisque est sibi Deus, « Chacun est à soi-même son Dieu; » aliqui tandem Dei nomen solummodò retinent : « *Dieu*, Providence, immortalité, autant de bons vieux mots un peu lourds peut-être, que la philosophie interprète dans des sens de plus en plus raffinés (Renan). »

Omnium atheorum commenta, quæ vocantur a Tullio « delirantium somnia, » exponere fastidiosum esset; eorum autem *principia communia* inquirere necessarium est, propter temporum *improbitatem*. Juxtà præcipuos illius portenti magistros, Büchner scilicet et Viardot, atheismus recentiorum quatuor principiis innititur :

I. Primum atheismi principium : Theoria primæva de Dei existentiâ et ejus attributis scientiæ contradicit; ideoque rejicienda est *a priori* : « Les hommes primitifs pouvaient admettre le Dieu des Juifs..... Mais aujourd'hui la science a percé d'un regard sur l'immensité des cieux..... Elle a donc forcément ébranlé les croyances, surannées et enfantines, de la primitive humanité (Viardot, *Libre examen*). »

II. Secundum principium : Spatium, tempus et materia sunt

C. Lévêque, *la Science de l'Invisible*. — « L'homme fait Dieu. L'homme crée Dieu en le pensant..... Dieu, c'est pour lui le type le plus élevé de la science, de l'art. C'est le vrai qu'il conçoit, c'est le beau qu'il imagine. C'est tout cela, mais ce n'est pas un être. » E. Renan, *Etudes d'Histoire religieuse;* Cf. E. Caro, *l'Idée de Dieu*, p. 63. — « Un Dieu parfait ou un Dieu réel : il faut que la théologie choisisse. Le Dieu parfait n'est qu'un *idéal*..... Quant au Dieu *réel*, il vit, il se développe dans l'immensité de l'espace et dans l'éternité du temps. » Vacherot, *la Métaphysique et la Science*.

infinita; proindè, hypothesis causæ supremæ, seu Dei *Creatoris* est merè gratuita : « Trois infinis — l'espace, le temps, la matière, — également sans commencement et sans fin, composent, par leur indissoluble union, ce qu'un moderne appelle, d'une heureuse expression, « la trinité de la nature. » Dans ces trois infinités se meuvent toutes nos existences : fragment de la troisième, nous passons un moment de la seconde sur un point de la première (Viardot). »

III. Tertium principium : Quùm materia sit infinita, gaudet attributis, quæ Deo largiri nolunt athei; scilicet, *a se* habet existentiam, et seipsam *movet*, quià *vim creatricem* et *motricem* necessariò possidet; itemque, regitur legibus *æternis* et *immutabilibus :* quapropter, hypothesis primi *Motoris* a materiâ distincti, est prorsùs inutilis : « La matière étant éternelle et infinie, il s'ensuit manifestement que ses lois sont universelles et immuables; car les lois sont les rapports nécessaires qui dérivent de la nature des choses (Büchner) (1). »

IV. Quartum principium : Ope virium physicarum legumque naturalium, materia seipsam aptè *disponit; spontaneè* gignit vi-

(1) « Dieu n'est plus qu'une hypothèse inutile. » — « Dieu est une hypothèse, douce, consolante, fortifiante, mais enfin ce n'est qu'une hypothèse. » *Le Siècle ;* Cf. DD. Dupanloup, *L'Athéisme et le Péril social, Etudes sur la Franc-Maçonnerie.* — « Dès que l'on reconnaît l'impossibilité de la création, dans l'espace et dans le temps, par un être éternel, antérieur au temps, supérieur à l'espace; dès que l'on reconnaît, au contraire, que la matière ne peut être créée, pas plus qu'elle ne peut être anéantie; que l'éternité de la matière devient donc évidente et certaine..., et que la création continue de la matière par elle-même — de la *nature naturée* par la *nature naturante* — est la conséquence de son éternité; alors on se rappelle et on accepte le mot de Laplace à Napoléon, auquel il expliquait sa *Mécanique céleste.* « Mais dans votre système, lui dit l'empereur, que faites-vous de Dieu? — Oh! répliqua l'astronome, Dieu est une hypothèse dont je n'ai pas besoin. » Viardot, p. 35. — « La matière et la force sont inséparables, et l'une et l'autre existent de toute éternité. La chimie a démontré l'indestructibilité de la matière, et l'indestructibilité de la force. » Büchner, *Force et matière.* — Cf. P. Janet, *Le Matérialisme contemporain,* p. 22.

tam; tandemque, variis *transformationibus* homo nascitur e simiâ quadam « anthropoïdâ : » ergò, hypothesis primi *Ordinatoris* a materiâ distincti rejicitur ut « mera scholasticorum abstractio : » « Le docteur Büchner et son école admettent donc sans hésiter les générations *spontanées*... Partisan peu déguisé des générations spontanées, le docteur Büchner l'est également, on doit le prévoir, de la *transformation* des espèces (P. Janet, p. 26 et 27). »

Ecce novum illud symbolum, quod athei recentes ut ultimam scientiarum, progressûs et religionis expressionem humanitati imponere conituntur. Rejiciunt Deum æternum, immensum, infinitum; et admittunt tempus æternum, spatium immensum, materiam infinitam. Negant causam supremam et dogma creationis e nihilo; sed « naturam naturatam naturamque naturantem, » et « auto-creationem » unâ voce profitentur. Ordinatorem summâ intelligentiâ præditum e medio tollunt; materiæ verò largiuntur vires necessarias et leges immutabiles. Non agnoscunt Deum esse Patrem nostrum et Dominum; simium autem proavum, et humanitatem piè venerantur (1). Et nil subtilius, nil perfectius, nil argutius objicere possunt adversùs argumenta metaphysica, physica, et moralia, quibus Deum esse demonstratur. Quapropter, Dei existentia iterùm probari potest *indirectè*, videlicet ex atheismi *falsitate*, ut videre est in articulo sequenti. *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De confutatione atheismi.

I. Statue propositionem adversus atheismum.

19. Non est sane mirandum atheismi commentum fusè seriòque confutari; illud enim dici potest ævi nostri pe-

(1) « J'aime mieux descendre d'un singe perfectionné, que d'un Adam dégénéré. » M. Rouget, Faculté de médecine de Montpellier, 1875. — « Le positivisme a définitivement construit la religion de l'*Humanité*, seule capable de consacrer et de régler l'ordre et le progrès compromis par le théologisme épuisé. » *Appel aux Conservateurs.*

riculum, et quotidiè, non sine magno animarum damno, grassatur, ut jam vidimus. Aliundè, Vaticanum Concilium utile duxit hunc errorem pessimum solemni judicio damnari (1); ideò, pro temporum *necessitate*, sit sequens

PROPOSITIO.

Atheismus, quocumque modo propugnetur, quam evidentissimè falsus est et perniciosus.

Probatur. — Argumentum generale : Atheismus omni genere *sophismatum* scatet; *rationi* simul et *auctoritati* contradicit; tandemque, ad *exitiales consequentias* necessariò propellit. Ergò, quam evidentissimè *falsus* est et *perniciosus*. Probatur antecedens.

1°, Atheismus omni genere *sophismatum* scatet; reverà, illius systematis fautores iis utuntur argumentis, quæ vocantur in Logicâ *circuli vitiosi, petitiones principii, ignorationes elenchi, transitus de genere ad genus*, aliisque hujusmodi. Sint exempla. Omnes athei Deum esse a priori negant, vel dubitant; proindè, asserunt materiam non fuisse a Deo conditam, sed a se quidem exstitisse;

(1) *Constit. dogmat.*, can. I, n. 1 et 2. — « Saint Paul de la Croix, dit-on, avait vu en esprit ce siècle misérable comme ayant besoin de s'entendre rappeler les vérités premières, non-seulement de la foi chrétienne, mais de l'ordre naturel. On l'avait entendu prononcer cette phrase prophétique : « Le manque de foi dans le monde sera tel, qu'un concile devenu nécessaire devra recommencer par l'article de l'existence de Dieu. » R. P. Sambin, *Histoire du Concile œcuménique du Vatican*, p. 68, 69. — « Un double danger en ce moment nous menace : d'un côté le matérialisme qui supprime tout simplement la métaphysique et Dieu; de l'autre l'abus de l'abstraction, qui réduit tantôt toutes les causes et toutes les substances, tantôt Dieu seul, l'idéal suprême, à l'état d'abstraction de logique. » C. Lévêque, *La Science de l'Invisible*.

deindè concludunt hypothesim Dei Creatoris esse gratuitam et inutilem. Brevius : Deus non existit ; consequenter materia est a se. Materia est a se ; ergò, Deus non existit. Illud sophisma, dictum *circulus vitiosus*, quoad sensum invenitur in omnibus atheorum operibus. Iidem philosophi, negatâ Dei existentiâ, strenuè affirmant materiam esse infinitam, eamque legibus æternis, necnon vi creatrici gaudere ; sed in hoc supponunt ut verum id, quod est probandum ; et ità laborant sophismate, quod dicitur *petitio principii*. Aliundè, secundùm atheos, docemus materiam *e nihilo* fuisse productam ; quùm autem *e nihilo nihil fiat*, ut ait Epicurus, rem ineptam asserimus. Nunquam sane diximus materiam e nihilo tanquam e causâ præsuppositâ creatam esse a Deo ; sed jurè meritòque contendimus mundum sine auxilio causæ secundæ, nullâ scilicet materiâ suppositâ, id est *e nihilo* fuisse conditum. Ea igitur atheorum objectio ceteræque hujusmodi nihil aliud arguunt, nisi malam fidem aut *ignorantiam elenchi*.

Prætereà, ut Dei existentiam impugnent, athei vetustissimas argutias adversùs cosmogoniam Moysis recoquere non verentur ; de fide populorum, terram ut planitiem et firmamentum ut tegumen habentium, jocosè blaterant (1). Cosmogonia Moysis minimè repugnat scientiis experimentalibus, et error populorum de motu

(1) « Tant que les hommes ont cru que leur petite planète était le centre du monde ; que sur la terre, immobile et plate, s'arrondissait un firmament solide... on conçoit qu'ils aient pu croire à la création telle que la raconte le premier des livres de Moïse. Malgré la formule « et il fut jour et il fut nuit, » qui sépare chaque acte du Créateur, les six journées, qui peuvent être six âges, ont un certain rapport avec la formation cosmique. — Et pourtant, quoi de plus évidemment impossible que la naissance des plantes, et même de la lumière avant celle du soleil? » Viardot, *Libre Examen*, p. 14.

siderum versatur tantummodò circà factum contingens; quidquid sit autem, illa quæstio ad rem non pertinet; hìc enim non agitur de *tempore*, nec de *modo* creationis, sed de *necessitate* Creatoris a materiâ distincti. Talia sophismata, quæ pullulant in operibus atheorum, sunt merè *transitus de genere ad genus*.

Ex his omnibus fallaciis jocosis et assertionibus gratuitis, inferre licet atheos esse vel malà fide insignitos, vel Logicæ penitùs ignaros, eisque suadere possumus ut regulis syllogismi studeant, priusquam Dei existentiam impugnent.

2°, Atheismus *rationi* simul et *auctoritati* contradicit.

Rationi contradicit. — Probatur *a priori* et *a posteriori*.

A priori. — Videlicet, in atheorum systemate, mundus est effectus sine ratione sufficienti; atheismus igitur rationis lumini repugnat. Et sane, athei recentes asserere non audent orbem physicum a fortuito casu ortum habuisse; veruntamen, ut appositè scripsit philosophus hodiernus, vel admittere debent existentiam Dei Creatoris, vel in errorem veterum prolabuntur (1). Nam, ut vidimus in Cosmologiâ, mundus est contingens, finitus, mutabilis, compositus; videlicet, undequaque est *effectus*. Sublatâ igitur Causâ necessariâ seu Deo Creatore, jam

(1) « On n'oserait plus aujourd'hui ramener dans la discussion des grands problèmes ce chimérique fantôme du hasard, si cher à certain matérialiste du siècle dernier; mais, qu'on le sache ou non, on l'évoque d'une autre manière quand on supprime les causes et la métaphysique, ou bien quand on n'admet que des séries indéfinies de phénomènes, dont chacun n'est que l'effet du précédent, sans que la chaîne se puisse terminer à un premier principe qui soit cause sans être effet. » C. Lévêque, *La Science de l'Invisible*, p. 97, 98. — « Les athées modernes ne font que déplacer et reculer la difficulté, ils n'arrivent jamais à trouver en dehors de la création *ex nihilo* par Dieu la cause et la raison du monde physique. » D. du Tressay, *Le Vendéen*, 27 nov. 1875.

mundus est effectus sine causâ; *a se* enim non habet ut sit, quià non potest esse simul contingens et necessarius, nec ab alio ente sumit originem, juxtà hypothesim atheorum, qui nihil extrà materiam existere contendunt.

Huic difficultati eo modo respondent athei hodierni. Ens supremum, unum et simplex non existit; tria autem infinita, nempè *spatium*, *tempus* et *materiam* admittenda sunt, eaque infinita *trinitas naturæ* appellari debent. Sed, præterquam tria infinita simul esse non possunt, ut evidens est, absolutè repugnat tempus, spatium et materiam esse infinita; quod sic probatur : impossibilis est numerus *actu infinitus;* porrò, in atheorum hypothesi, non *unus*, sed *tres* essent numeri *actu infiniti;* ea igitur hypothesis non solùm gratuita est, verùm etiam evidentissimè rationi contradicit. Major patet (1). — Probatur minor. Tempus importat *seriem motuum et successionum;* materia est divisibilis in partes *inter se diversas;* spatium *extensione* gaudet. Ideoque, tempus infinitum esse non potest, quin sit numerus motuum et successionum *actu infinitus;* materia infinita supponit molem *actu quidem infinitam;* itemque spatium immensum capit *extensionem actu infinitam;* quod evidenter est falsum. Ergò, materia est contingens; quod est contin-

(1) « Le nombre actuellement infini est-il possible? En ajoutant l'unité à l'unité ou des groupes d'unités à des groupes d'unités, peut-on arriver à un nombre actuellement infini? A cette question ainsi posée, le simple bon sens répond, sans hésiter, non, évidemment non. Puisque chacun des nombres obtenus par des additions successives ne diffère du précédent que par une unité ou un groupe d'unités, il est fini comme lui. » D. Moigno, D. Cauchy, post cardinalem Gerdil; Cf. D. Brugère, *De verâ Religione*, p. 256. — « L'impossibilité du nombre actuellement infini est une vérité mathématique élémentaire. » *Ibidem*.

gens est effectus; quod est effectus habet causam; materia igitur habet causam, eamque nominamus Deum.

A posteriori. — Secundùm atheos recentes, theismus progressui scientiarum minimè congruit; sed, e contrariò, scientiis experimentalibus apertè contradicit atheismus. Nempè, tria præ ceteris inspicimus in hac rerum universalitate, *ordinem* universalem, corpora *viventia*, et inter viventia *hominem;* sed, athei, causam ordinis et principium vitæ in materiâ reponentes, experientiæ contradicunt; atheismus igitur scientiis experimentalibus minimè congruit.

Minor probatur per partes. — (A.) Ordo, quem in orbe conspicimus, non semper exstitit, consequenter est effectus et causam supponit; eaque causa, secundùm atheos, a materiæ *viribus* est repetenda; scilicet, mediante vi quadam intrinsecâ, materia seipsam movet et ordinat. Sed experientiâ constat materiam esse *inertem;* videlicet, non potest seipsam movere, nec statum suum mutare. Hanc legem inertiæ his verbis exprimit Newton : « Corpus omne perseverat in statu suo quiescendi vel movendi uniformiter in directum, nisi quatenùs a viribus impressis cogitur statum suum mutare (1). »

(B.) Ex entibus, quibus orbis conflatur, quædam vitâ fruuntur; vita autem non semper exstitit, ideoque dicitur effectus, cui rationem assignare debemus. Athei quidem asserunt materiam gaudere vi *creatrici*, cujus ope vita *spontaneè* apparuit in orbe physico. Sed demonstratur experientiâ universali systema generationum spontanea-

(1) Newton, *Principia Philosophiæ.* — « Un corps abandonné à lui-même doit persister éternellement dans son état de repos ou de mouvement uniforme. » D'Alembert. — « Un point en repos ne peut se donner de mouvement, puisqu'il ne renferme pas en soi de raison pour se mouvoir dans un sens plutôt que dans un autre. » Laplace.

rum esse assertionem gratuitam et falsam : « Les expériences de M. Pasteur contre les générations spontanées sont décisives et sans réplique (1). »

(C.) Ceteris viventibus homo præcellit formâ externâ, et præcipuè facultatibus internis ; quùm autem non semper exstiterit, habuit causam a se distinctam. Athei quidem contendunt originem hominis per seriem evolutionum, seu « *transformationum*, » explicari posse. Sed, transformismus experientiæ contradicit, secundùm ea naturalistæ celeberrimi : « On est obligé d'admettre certaines *formes* qui se sont perpétuées depuis l'origine des choses, sans excéder les limites naturelles, et tous les êtres appartenant à l'une de ces formes constituent ce qu'on appelle *espèce* (Cuvier). » Ideoque, atheismus experientiæ contradicit.

Aliundè, consensio populorum *moraliter* unanimis est in admittendo Numine supremo, ut jam diximus ; ità, nomen illud, atheus, enixè respuitur : « Ce nom d'athéisme fait horreur..... On le repousse comme une injure (DD. Dupanloup). » Atheismus igitur auctoritate generis humani damnatur ; prætereà, rationi contradicit (2).

(1) Flourens. « Il n'y a pas à revenir sur les travaux de M. Pasteur. » *Idem.* — « Le nouveau système (des athées) est convaincu d'impuissance dans ses propositions sur l'origine de la vie. » Janet, *le Matérialisme contemporain*, p. 117. — Cf. *Cosmol.*, t. II, p. 167. — Cf. *L'Athéisme réfuté par la science*, par A. D. Gentili, 1869.

(2) Quidam protervè asserunt non paucos philosophos, post Aristotelem, Ciceronem, Cartesium, Baconem, multosque populos existentiam Dei negare : « L'athéisme (est) officiel (chez) les Chinois, les Mongols, les Thibétains, tous les Bouddhistes. » Viardot. Assertiones autem hujusmodi malam fidem aut ignorantiam arguunt. Alii tandem enarrant quosdam sylvicolas, præsertim in Americâ, nullum Deum colere. Illos argutè confutat L. Racine, dicens :

« Ces épaisses forêts, qui couvrent des contrées
Par un vaste océan des nôtres séparées,

II. **Quæ sunt atheismi consectaria?**

20. 3° Atheismus ad *exitiales consequentias* necessariò propellit; nempè, rejectâ Dei existentiâ, *fundamentum scientiæ, artis*, et *moralitatis* corruit.

(A.) Atheismus diruit *scientiæ fundamentum;* quippè, *duplex* est *scientiæ fundamentum*, unum ex parte *subjecti* et alterum ex parte *objecti*. Porrò, atheismus duplex illud fundamentum diruit. Ergò, atheismus evertit scientiæ fundamentum. Ex parte *subjecti*, atheus contradicit primis principiis : *idem non potest esse simul et non esse, non est effectus sine causâ;* logicè enim asserere debet mundum esse simul finitum et infinitum, causam et effectum, necessarium et contingentem. Ex parte *objecti*, atheus rejicit primum Ens, quo sublato, jam, non solùm corruit præstantissima et nobilissima omnium scientia, sed etiam nulla superest ratio sufficiens seu causa ultima rerum mundanarum. Ergò, stat conclusio.

(B.) Duo sunt inspicienda in artibus, pulchri *exemplar* et artificis *inspiratio;* ars enim est *pulchri expressio*. Sed, sublato Deo, jam non existit supremum ac pulcherrimum

Renferment, dira-t-on, de tranquilles mortels,
Qui jamais à des dieux n'ont élevé d'autels.
Quand d'obscurs voyageurs racontent ces nouvelles,
Croirai-je des témoins tant de fois infidèles?
Supposons cependant tous leurs rapports certains :
Comment opposerai-je au reste des humains
Un stupide sauvage errant à l'aventure,
A peine de nos traits conservant la figure;
Un misérable peuple égaré dans les bois,
Sans maîtres, sans état, sans villes et sans lois?
Qu'à bon droit, libertins, vous êtes méprisables,
Lorsque dans ces forêts vous cherchez vos semblables. »

Poëme de la Religion, chant I, v. 374 et suiv.

artis exemplar, quod rationes rerum *immutabiles* in se complectitur, fonsque primarius ingenii et inspirationis superesse nequit; et exindè, nihil nisi naturam operibus suis, exprimere potest artifex. Quapropter, atheismus *artis fundamentum* diruit.

(C.) *Ordo moralis*, jus, auctoritas, officium, religio societas civilis et domestica, Dei seu *supremi Principis* et *Domini existentiam* supponunt, eaque veritate semel negatâ, nec jus, nec officium, nec religio, nec societas concipi potest; ideoque atheismus, *fundamentum moralitatis* diruens, ad omniá socialismi consectaria, ut aliundè constat experientiâ recentis ævi, necessariò propellit. Rectè igitur et appositè scripsit Voltarius : « Je ne voudrais pas avoir affaire à un prince athée, qui trouverait son intérêt à me faire piler dans un mortier, je serais bien sûr d'être pilé. Je ne voudrais pas, si j'étais souverain, avoir affaire à des courtisans athées dont l'intérêt serait de m'empoisonner; il me faudrait prendre au hasard du contre-poison tous les jours. Il est donc absolument nécessaire pour les princes et pour les peuples, que l'idée d'un Être suprême, créateur, gouverneur, rémunérateur et vengeur, soit profondément gravée dans tous les esprits (1). » Et alibi : « Si le monde était gouverné par des athées, il vaudrait autant être sous l'empire de ces êtres infernaux qu'on nous peint acharnés sur leurs victimes (2). »

(1) *Diction. philosop.*, art. Athée. — Robespierre necessitatem Entis supremi confiteri non erubuit. — « (Le prince) qui n'a pas de religion, est cet animal terrible qui ne sent sa liberté que lorsqu'il déchire et qu'il dévore. » Montesquieu, *Esprit des lois*, c. II.

(2) *Homélies sur l'Athéisme.* — De facto, atheismus ad socialismum propulit : « C'est (l'atheisme) qui, dans Lassalle et ses disciples,

Atheismus igitur ad exitiales consequentias necessariò propellit; aliundè, rationi simul et auctoritati contradicit; necnon omni sophismatum genere scatet. Ergò, *atheismus, quocumque modo propugnetur, quam evidentissimè falsus est et perniciosus.* Idcircò, Dei existentia iterum *indirectè* demonstratur, videlicet ex atheismi falsitate.

Concilium Vaticanum, analogias fidei et rationis proclamans, atheismi consequentias his verbis expressit : « Jam omnem justi rectique normam negantes, *ima* humanæ societatis *fundamenta* diruere connituntur. » Deindè, illud portentum solemni judicio damnavit, dicens : « Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit (1). »

APPENDIX.

DE POLYTHEISMO.

I. Quomodo solvitur difficultas a polytheismo deprompta?

(* 21. Ultimam difficultatem, ab errore *Polytheismi* depromptam, afferre solent adversarii, ut argumenti moralis vim probantem impugnent. Hæc est eorum objectio : — Multi cùm apud antiquas gentes, tùm apud recentes populos, plures deos coluere, ideoque turpiter erraverunt. Ergò, existentia Entis supremi demonstrari nequit ex unanimi populorum consensione.

aboutissait au *socialisme révolutionnaire.* L'école de *Proudhon* représente assez bien chez nous cette espèce de philosophie raisonneuse, violente et chimérique. » P. Janet, *Le matérialisme contemporain,* p. 11.

(1) *Ibidem,* can. I, n. 1. — Quidam recentes argumentum in gratiam existentiæ Dei desumunt ex ipsis atheorum blasphemiis : athei, aiunt, blasphemias adversùs Deum eructant; sed, ens merè fictitium has atheorum vociferationes non excitaret; ergò, Deus existit.

Distinguo antecedens : multi quidem errârunt circà Dei *naturam, transeat;* circà Dei *existentiam, nego.* Dixi *transeat,* quià de polytheismi extensione gravis exsurgit controversia, ut infrà videbitur. *Nego consequens,* in sensu distinctionis. Ut ea solutio faciliùs concipi possit, quædam sunt recensenda de polytheismi *formis, causis, naturâ* et *diffusione.*

II. Quæ sunt formæ polytheismi?

22. *Polytheismus* est error eorum, qui *plures paucioresve deos* admittunt. Distinguitur a Monotheismo, Dualismo seu Ditheismo, et Tritheismo, de quibus infrà dicendum est, in eò quod polytheistæ deos numero *indefinitos* esse putant (1).

Error ille varias induit formas, e quibus præcipuæ sunt : *dæmonolatria,* seu cultus geniorum, sive bonorum sive malorum; viguit olim apud quosdam Græcos et Romanos, illiusque vestigia nostris etiam diebus inveniuntur apud orientales haud paucos, necnon in Oceaniâ : *Anthropolatria,* nempè cultus hominis; talis fuit in Græciâ cultus Jovis et Saturni, imperatorum in ultimis Romæ temporibus, et avorum apud Sinenses : *Zoolatria,* id est cultus animalium; floruit potissimùm in Chaldeâ, Ægypto, et Indiâ : *Sabæismus,* seu cultus siderum; celebris fuit apud Persas, et in Græciâ nonnullos sectatores habuit : *Fetichismus,* id est adoratio naturæ, fluminum, terræ, olerum; viget adhuc in nonnullis Indiæ et Africæ regionibus; olim autem grassatus est apud Ægyptios (2).

Polytheistæ statuas, imagines aut figuras deorum lapide vel ligno fingere solent, easque venerantur; ille cultus imaginum

(1) « Après qu'on eut commencé de violer la sainte unité de Dieu par l'injurieuse communication de ce nom incommunicable, on en vint successivement à une multiplication sans ordre et *sans bornes,* jusqu'à reléguer plusieurs dieux aux foyers, aux cheminées et aux écuries, ainsi que saint Augustin le reproche aux Romains et aux Grecs. » Bossuet, *Sermon pour la Conception de la sainte Vierge.*

(2) « Porrum et cepe nefas violare et frangere morsu.
» O sanctas gentes, quibus nascuntur in hortis
» Numina! » *Juvenalis.*

nomine communi vocatur *Idololatria;* qui verò tali religione non erubescunt, *pagani* dicuntur.

Cultus ille ritus et cæremonias, symbola præceptaque plùs minùsve ridicula et nefanda complectitur; imò, saltem apud quosdam populos, reperimus cultus secretos, vulgò *mysteria;* qualia sunt mysteria Eleusinis (Lenormant, *Monogr.*). Aliundè, pagani deorum originem et historiam narraverunt; exindè orta est veterum *mythologia*, quæ passim in operibus Homeri, Ovidii, Virgilii et aliorum poetarum invenitur (Pluche, *Hist. du Ciel.*)

De auctoritate mythologiæ critici et veteres et recentiores inter se dissentiunt; tres enim interpretum scholæ numerantur apud antiquos, et tot apud hodiernos; nempè : apud veteres, *schola historica,* quæ contendit deos esse homines famosos (Evemerus); *schola physica*, quæ deos habet ut mera naturæ elementa (Stoïci); *schola metaphysica*, quæ nihil in mythologià invenit, nisi symbola quibus veritates metaphysicæ modo sensibili exprimuntur (Neoplatonici). Apud recentiores, *schola biblica*, quæ in mythologià Bibliam quidem adulteratam comperire nititur (Huet, Guérin du Rocher); *schola allegorica,* quæ fabulas paganorum habet ut figuras rerum ad religionem, societatem et scientiam pertinentium (Baco, Maury); *schola* tandem *philologica,* quæ deorum naturam et multitudinem ab ignorantiâ linguarum repetit (Max Müller).

In eo interpretum jurgio, sententiam quasi mediam eligere fas est; videlicet, in mythologià invenimus et historiam quorumdam virorum adulteratam, et symbola sive ad religionem, sive ad artem politicum, sive ad scientias referenda; illudque interpretationis systema dici potest *historico-allegoricum.*

III. Quæ sunt causæ polytheismi ?

23. Ex dictis, inferre licet tres fuisse polytheismi causas : *adulterationem revelationis* primævæ; *segnitiem rationis* in inquirendâ primâ omnium Causâ; et *passiones cordis* humani.

1°, Cultus geniorum sive bonorum, sive malorum, seu dæmonolatria, traditiones quorumdam populorum de mundi ori-

gine (1), de tentatione et lapsu primi hominis, de mercede et pœnis alterius vitæ, testantur existentiam revelationis primitivæ, quæ paulatim apud populos a Judæis distinctos fuit adulterata; quapropter, adulteratio revelationis jurè habetur ut una polytheismi causa.

2°, Intellectûs segnities et imbecillitas in inquirendis veritatibus metaphysicis non paucos ad polytheismum propulit. Et verò, ut jam multoties dictum est, ad Deum ascendimus per viam causalitatis; quùm autem plures sint causæ secundæ inter primam Causam et effectus maximè remotos, qui per experientiam innotescunt, ratio, ex his effectibus exordiens, sæpè immoratur in *causis secundis;* et idcircò *primam Causam* non detegit. Sint exempla : Deus est primum vitæ, caloris lucisque Principium, hæc autem omnia producit mediantibus causis secundariis; sed, causas hujusmodi coluerunt homines ut Deos, terram scilicet, lunam et solem; ideoque, illa rationis imbecillitas et segnities haberi debet ut causa Sabæismi et Fetichismi.

3°, Ultima tandem polytheismi causa repetitur e passionibus cordis humani, eaque forsitan est ceteris universalior; nam, ut ait Origenes, « ea quæ diligunt homines, deos esse volunt, et humanis quibusque vitiis et cupiditatibus divinum nomen adscribunt. » Talis fuit præsertim anthropolatriæ origo (2).

(1) Cf. *Cosmogonie des Pomotous*, par le R. P. Montiton. — « L'étude du R. P. Montiton est une page à ajouter à tant d'autres écrites pour montrer que toutes les peuplades, même les plus sauvages, ont emprunté à une révélation primitive les parcelles de vérité que l'on retrouve dans leurs croyances. » *Missions Catholiques*, 1874, p. 342.

(2) « Les temples de Vénus la *populaire* ou la *terrestre*, furent tout autrement fréquentés que les autres temples. » Pluche, *Histoire du Ciel*, t. I, p. 200. — Origenes, *Homil.* II, in c. II *Judic.* — « Unusquisque quod præ ceteris colit, quod super omnia miratur et diligit, hoc ei Deus : si quid est in quod dilectionis lance præponderat, hoc tibi Deus est. » *Ibidem.* — « Initium fornicationis, est exquisitio idolorum ; et adinventio illorum, corruptio vitæ est. » *Sap.*, XIV, v. 12. — « Jupiter, Mars, Mercure n'étaient pas des dieux, mais des rois anciens semblables aux autres hommes, que leurs *seuls vices* avaient rendus

IV. Quæ est vera polytheismi natura?

24. Hactenùs de formis et causis polytheismi diximus; nunc verò quærenda est illius natura; videlicet, utrùm in se et essentialiter sit *error* intellectûs, aut solummodò voluntatis *depravatio*. Tres sententiæ prodierunt : alii, certitudinis fundamentum requirentes ab auctoritate generis humani, docuerunt polytheismum non esse intellectûs errorem propriè dictum, sed voluntatis crimen horribile; videlicet, omnes populi dogma *unitatis* Dei semper agnovêre, huic autem grates agere noluerunt (1). Quidam autem nihil aliud inveniunt in polytheismo, nisi quemdam deismum; id est, juxtà eos, pagani Deum esse credunt, putant autem Illum de rebus mundanis minimè curam habere; verumtamen, genios sive bonos, sive malos, vitæ nostræ curam habentes, admittunt, eosque veluti deos adorant. Tertia tandem sententia, quæ propugnari solet a maximâ parte philosophorum, asserit polytheismum non esse duntaxat voluntatis depravationem, sed intellectûs errorem propriè dictum. Quod probatur historiâ profanâ, Scripturis Sacris, et auctoritate Sanctorum Patrum. Huic sententiæ subscribere debemus (2).

V. Quid sentiendum de diffusione polytheismi?

25. Duo sunt recensenda : videlicet, *a quo tempore* polytheis-

célèbres dans le monde. » S. Catharina, patrona philosophorum, ad Imperatorem Maximinum; Giry, *Vies des Saints*, 25 novembre.

(1) « L'idolâtrie n'est pas une erreur, mais un crime. » De La Mennais, *Essai sur l'indifférence*. — « L'idolâtrie n'est pas la négation d'un dogme, mais la violation d'un précepte. » *Ibidem*. — « Hanc doctrinam damnaverunt tredecim Galliæ Episcopi, promovente Tolosano Archiepiscopo, anno 1833, quorum judicio posteà adhæserunt 33 ejusdem regionis episcopi. »

(2) Polytheistæ a peccato non fuerunt immunes; errorem enim hujusmodi excutere potuissent, secundùm Apostoli verba : « Quià quod notum est Dei, manifestum est in illis : Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas : ità ut sint *inexcusabiles*. » S. Paul., *ad Rom.*, c. I, v. 19 et 20.

mus apparuit in mundo, et *quam extensionem* habuit apud gentiles.

1°, Secundùm atheos hodiernos, homines primævi fetichismum coluêre; posteà autem fetichismo successit monotheismus; nostris tandem diebus atheismo vel pantheismo monotheismus locum cedere debet, ratione progressûs infiniti, et nullum ampliùs futurum est Numen, nisi sola humanitas (1).

Sed, econtrariò, certum est monotheismum antè polytheismum exstitisse, ut luculenter probatur historiis Hebræorum, Chaldæorum, Phœnicum, Persarum, Indorum, Sinensium, Græcorum et Romanorum (Hooke, Bergier). Item, constat historiâ polytheismum versùs annum bis millesimum apud gentes apparuisse, secundùm ea sancti Thomæ : « Prima revelatio antè legem, facta est Abrahæ; cujus tempore cœperunt homines a fide unius Dei deviare, ad idololatriam declinando; antè autem non erat necessaria talis revelatio, omnibus in cultu unius Dei persistentibus (*Sum. Theol.*, 2^a $2^{æ}$, q. 174, a. 6, et q. 94, a. 4, ad 2^{um}). »

2°, De polytheismi extensione, pejorem adhuc errorem propugnant athei; contendunt enim polytheismum apud omnes gentes, ne Hebræis quidem exceptis, olim viguisse; sic, juxtà L. Viardot, Deus Abraham, Isaac et Jacob deorum alienorum existentiam minimè negabat (2).

(1) « L'humanité se substitue définitivement à Dieu, sans oublier jamais ses services *provisoires.* » *Catéchisme positiviste.* — « Les serviteurs théoriques et les serviteurs pratiques de l'humanité viennent prendre dignement la direction générale des affaires terrestres, en excluant irrévocablement de la suprématie politique tous les divers esclaves de Dieu, catholiques, protestants ou déistes, comme arriérés et perturbateurs. » A. Comte. Ità scholæ sansimonianæ fautores, necnon increduli sæculi proximè elapsi. Cf. Bergier, *Traité de la vraie religion.*

(2) « Le Dieu des Juifs..... ne trouvait pas mauvais que les Philistins ou les Moabites eussent aussi leurs dieux, qui n'étaient pas lui... On ne trouve nulle part dans la Bible le mot de *faux dieux.* » Viardot, *Libre examen*, p. 14 et 15. — « Le monothéisme hébreu, à l'origine, consiste, non pas dans l'idée qu'il n'existe pas d'autre Dieu que Jého-

Ea autem atheorum opinio, quam enixè rejicit ipse Renan, malam fidem et ignorantiam historiæ veterum populorum arguit; etenim, indubium est monotheismum in confesso fuisse apud Hebræos. Imò, inter Gentiles non pauci, præcipuè philosophi, Numen quoddam supremum, a quo non solùm homines, sed etiam dii pendebant, existere putàrunt : « Manifestum est, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, etiam græco more philosophantibus, unum censeri ac in confesso esse Deum universi conditorem et naturâ omnes superantem, a quo facti sunt et producti ad generationem alii deinceps dii, sub intellectum et sensum, ut ipsi loquuntur, cadentes (1). »

Inter philosophos, Anaxagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero et alii, deorum pluritatem deridentes, existentiam Entis supremi agnoverunt; imprimis, audi Tullium aientem : « Ipsi, qui irridentur, Ægyptii, nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem, consecraverunt... vestrorum (autem) deorum, (nempè Romanorum,) non modò beneficium nullum (exstat), sed ne factum quidem omninò (*De naturâ Deorum*, I, 36). »

Polytheismus igitur nec semper nec ubique viguit; aliundè, circà naturam Dei solummodò versatur; ideircò, vim probantem argumenti *moralis* infîcere non potest; ceterùm, existentia Dei argumento *metaphysico*, et argumento *physico* demonstratur. Ergò, *Deus existit.* *)

vah, mais dans la conviction qu'Israël n'a, ne peut avoir, ne doit avoir que Jéhovah pour Dieu... C'est plus encore une *monolâtrie* qu'un monothéisme. » Albert Réville.

(1) *Contrà Julian.*, lib. I. Item Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Arnobius, S. Augustinus, et alii. — « Major popularitas generis humani... Deum Mosis norunt. » Tertull., *Adv. Marc.*

SECUNDA PARS THEODICEÆ

DE

NATURA DEI.

I. Quomodo dividitur secunda pars, de naturâ Dei.

26. *Deus est*, ut vidimus in primâ parte; nunc autem, inquirere debemus *qualis* sit in suâ *naturâ* spectatus (1). Nempè, per viam *causalitatis*, ex *effectibus*, existentia Entis necessarii demonstratur; illius verò naturam detegimus per viam *remotionis;* id est, ab Eo removemus quidquid imperfectionis in effectibus experimur (2). Im-

(1) « Quid, si metimur vires, magis arduum et audax,
» Quam rem infinitam brevibus comprendere chartis? »
Anti-Lucret.

(2) *Sum. contrà Gent.*, lib. I, c. XIV. — Et alibi : « Cùm creatura exemplariter procedat ab ipso Deo sicut a causâ quodammodò simili per analogiam, ex creaturis potest in Deum deveniri tribus illis modis quibus dictum est, scilicet per causalitatem, *remotionem*, eminentiam. » I *Sent.*, dist. III, q. 1, a. 3, sol. « Est viâ *remotionis* utendum, ait sanctus Thomas, præcipuè in consideratione divinæ *substantiæ*. Nam divina substantia omnem formam quam intellectus noster attingit, suâ immensitate excedit; et sic ipsam apprehendere non possumus

primis autem de rebus contingentibus prædicamus eas esse *undequaque imperfectas et finitas;* de Deo igitur primùm inferre licet Eum esse *undequaque perfectum et infinitum;* posteà, conclusiones de *attributis* essentiæ divinæ constitutivis, necnon de *Pantheismo* et ceteris erroribus circà Dei *naturam*, logicè deducuntur. Undè, tria sint capita : I, De *absolutâ perfectione* essentiæ divinæ; II, De *attributis absolutis* quibus constituitur essentia divina; III, De *pantheismo* et aliis erroribus circà Dei *naturam*.

CAPUT PRIMUM.

DE ABSOLUTA PERFECTIONE ESSENTIÆ DIVINÆ.

II. Quomodo dividitur caput primum, de absolutâ perfectione essentiæ divinæ?

27. Duo quærenda sunt; videlicet, utrùm Deus *sit* summè perfectus, et in quo *essentialiter* reponenda sit summa Dei perfectio. Undè, duo articuli : 1^us^, De *gradu* perfectionis divinæ; 2^us^, De *attributo* in quo *fundatur* perfectio divina.

ARTICULUS PRIMUS.

De gradu perfectionis divinæ.

III. Quonam sensu Deus dicitur perfectus?

28. Quùm omne ens sit *bonum* seu *perfectum*, indubium est Deum esse perfectum; imò, quùm Deus sit primum ens, indubium est etiam Eum habere *plenitudinem entis* et esse *summè perfectum*. Undè, sit sequens

cognoscendo quid est, sed aliqualem ejus habemus notitiam cognoscendo quid non est, tantoque enim ejus notitiæ magis appropinquamus, quantò plura per intellectum nostrum ab eo poterimus removere.»

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PROPOSITIO.

Deus est Ens undequaque infinitum.

Probatur e notione *entis necessarii*. — Imperfectiones rerum contingentium in Deo inveniri nequeunt; secùs enim Deus esset et ipse contingens. Sed, res contingentes sunt undequaque finitæ. Ergò, necesse est Deum esse limitum expertem. Seu etiam : Deus nec in suâ *essentiâ*, nec in suis *attributis* habet limites; ergò, necesse est ut sit undequaque *infinitus* seu summè *perfectus*.

Probatur antecedens. — Deus est Ens *a se* et *necessarium;* sed, Ens a se et necessarium limitari nequit; ergò, Deus est infinitus. Major probatur in primâ parte Theodiceæ; nempè, Deus dicitur Ens *a se*, non *positivè*, ut voluit Cartesius, videlicet sibimetipsi existentiam non est largitus; sed *negativè* tantùm, id est ab aliâ causâ non habet ut sit; aliter enim non esset prima omnium Causa. Deus vocatur etiam Ens *necessarium*, seu existens e necessitate suæ naturæ, ut aiunt; quippè, Deus non habet causam a seipso distinctam, nec a se tanquam a causâ efficiente existentiam recipere potest; undè, concipi nequit ut merè possibilis, sed jurè meritòque dicitur Ens *necessarium*. Ad rem sanctus Thomas ait : « Oportet ponere aliquod primum necessarium, quod est per seipsum necessarium; et hoc est Deus, quùm sit prima causa (*Contrà Gent.*, l. I, c. xv, 4). »

Probatur minor; scilicet, Ens a se et necessarium *nullum limitem* habere potest. Vel enim Deus limitatur in suâ *essentiâ* aut in suis *attributis*, vel est undequaque *infinitus;* sed, duo priora dici nequeunt; ergò, posterius est verum.

1°, Deus in sua *essentiâ* nullum habet limitem; etenim,

quùm Deus sit Ens necessarium, existentia et *essentia* in eo distingui nequeunt, et ideò, dicimus Deum *essentialiter existere*. Sed, in Ente necessario, existentia seu *esse* limitari non potest, eò quod Ens necessarium existit vi suæ naturæ. Ergò, *essentia* Dei est infinita (1).

2°, Idem est dicendum de attributis divinis : reverà, proprietates Entis necessarii non sunt *accidentales;* quidquid enim est accidentale potest esse aut non esse, et consequenter supponit causam, quùm autem Ens necessarium causam non habeàt, sequitur attributa divina non esse accidentalia, sed essentialia : videlicet, ab ipsâ Dei essentiâ non distinguuntur. Porrò, essentia Dei est infinita; ergò, pariter et attributa divina omnem limitem excludunt : « Ità et omnium perfectiones, ait sanctus Thomas, quæ rebus aliis secundùm diversas formas conveniunt, Deo secundùm unam ejus virtutem attribui est necesse; quæ quidem virtus non est *aliud* a suâ *essentiâ*, quùm ei nihil *accidere* possit (*Loc. cit.*, XXXI). »

Ea Dei « infinitudo « non est relativa, numerica aut extensa, sed *absoluta, una* et *simplicissima*, meritòque definiri potest : « *Omnis perfectionis et entitatis simplicissima et eminentissima complexio.* (Lessius, *De perfectionibus moribusque divinis*, c. 1.) » Illiusque perfectionis infinitæ *notitiam inadæquatam* concipimus per analogiam et *remotionem;* id est, quidquid perfectionis existit in rebus finitis, de Deo prædicamus sine limite, et ab Eo removemus omnes creaturarum imperfectiones.

(1) Sic se habent plerique scholastici : Deus est ipsa sua Essentia; in Deo idem est *esse* ac esse *subsistens*. S. Thomas, Suarez, Billuart, Sanseverino. — « Liquet Deum esse omninò Infinitum ac Perfectum, nempè quod esse Divinum in aliquo non sit receptum, sed ipse Deus per se sit suum esse subsistens. » *Sacræ Theologiæ præclara synopsis*, auctore Jacobo Constantinæo, Constantiis, 1631.

Probatur ex notione *speciei* et *generis*. — Ens, quod transcendit omnes species omniaque genera, est infinitum; porrò, Deus in nullâ specie, et in nullo genere contineri potest; nam, in entibus, quæ species et genera constituunt, invenimus relationes *æqualitatis* vel *similitudinis*, et simul unam alteramve differentiam *accidentalem* aut *essentialem* : videlicet, individua ejusdem speciei, v. gr. homines *æqualitatem* naturæ important, et jurè dicimus omnes homines esse animalia rationalia; discrepant autem nonnullis *accidentibus*, nempè staturâ, colore, acumine ingenii, et aliis similibus. Prætereà, inter species ad idem genus referendas, *similitudinem* sub quodam respectu, et quamdam differentiam *essentialem* comperimus; sic, ut exemplum afferatur, animalia cujuslibet speciei corpore organico animaque sensitivâ gaudent, sed homo solus *ratione* fruitur. Deus autem et entia omnia, quibus species et genera constituuntur, non etiam per similitudinem, nisi tantùm *analogicè*, inter se conveniunt (1); quippè, ut vidimus, Deus est necessarius vi suæ naturæ, cetera autem omnia sunt essentialiter contingentia. Prætereà, in Deo nulla est proprietas accidentalis, et attributa Ejus non discrepant ab Illius essentiâ; quapropter, Deus non secundùm unam alteramve proprietatem accidentalem aut essentialem, sed secundùm totam essentiam cetera omnia transcendit; ergò, non continetur in specie nec in

(1) « Ea quæ de Deo et rebus aliis dicuntur, neque æquivocè, neque univocè prædicantur, sed analogicè; hoc est, secundùm ordinem vel respectum ad aliquod unum. » S. Thomas, *Sum. contrà Gent.*, lib. I, c. XXXIV; Cf. c. XXXII et XXXIII. Et alibi : « Licet aliquo modo concedatur, quod creatura sit similis Deo, nullo tamen modo concedendum est, quod Deus sit similis creaturæ. » *Contrà Gent.*, lib. I, c. XXIX.

genere (1). Sed, si essentia divina esset limitata et finita, quadam perfectione careret, eaque perfectio in alio ente concipi posset; jamque, Deus ab illo ente specificè differret, quod est impossibile, ut vidimus. Oportet igitur concludere, post sanctum Thomam, « essentiam divinam esse simpliciter *infinitam*, quià est absoluta ab omni circumscriptione *generis* vel *speciei* (*Quodlib.* III, q. 2, a. 3). »

Probatur ex notione *entis*. — Idea *entis in genere* magnoperè differt ab ideâ Dei; prior enim per abstractionem simplicissimam innotescit; posterior autem ope ratiocinii comparatur; idea *entis* in genere est universalissima, scilicet extenditur ad omnia etiam merè possibilia; sed idea Dei nobis exhibet Ens necessarium ex se quidem existens (S. Thomas, *De Ente et essentiâ*, c. VI).

Porrò, quùm notiones hujusmodi inter se comparamus, ad hanc conclusionem logicè progredimur : notio entis universalissima, in quantùm repræsentat entia *possibilia*, nullum habet limitem; nam, ut aiunt philosophi, *possibilia* sunt *infinita*, non *actu*, sed *in potentiâ*. Infinitum autem in potentiâ non est possibile, quin sit Ens quoddam *actu* et realiter *infinitum;* quidquid enim est possibile supponit causam realem, sufficientem et proportionatam;

(1) Ad rem sanctus Thomas argutè scripsit : « Omnia quæ sunt in genere uno communicant in quidditate vel essentiâ generis, quod prædicatur de eis in eo quod quid est; differunt autem secundùm esse, non enim idem est esse hominis et equi, nec hujus hominis et illius hominis. » Et ibidem : « Cùm esse Dei sit ejus essentia, si Deus esset in aliquo genere, oporteret quod genus ejus esset ens; nam genus significat essentiam rei, quùm prædicetur in eo quod quid est. Ostendit autem Philosophus quod ens non potest esse genus alicujus. Omne enim genus habet differentias, quæ sunt extrà essentiam generis; nulla autem differentia potest inveniri, quæ esset extrà ens, quià non ens non potest esse differentia; undè relinquitur, quod Deus non sit in genere. » *Sum Theol.*, p. 1, q. 3, a. 5).

Deus igitur est actu infinitus; scilicet, nec ab essentiâ suâ, nec a seipso, nec ab alio ente limitatur.

In hoc sensu, Deus continet plenitudinem entis (*Sum. Theol.* I, q. 4, a. 2), et rectè vocatur *Ens simpliciter :* « Dixit Deus ad Moysen : Ego sum qui sum (*Exod.* III, 14). » Et illam entis plenitudinem totam simul possidet, meritoque nominatur *actus purus :* « Deus est purus actus et simpliciter et universaliter perfectus, neque in eo aliqua imperfectio locum habet (q. 25, a. 1). »

(* Probatur ex *erroribus* recentiorum, præsertim Hegelii, Renan, Vacherot et Taine. — Nonnulli philosophi, notionem infiniti ambiguè sumentes, de infinitâ Dei perfectione falsa docuerunt; eorum sententiæ ad tres præcipuas revocari possunt.

1°, Aliqui, teste sancto Thomâ (I *Sent.*, dist. XLIII, a. 1), per infinitum nihil aliud intelligunt, nisi *quantitatem* aut extensionem materiæ; quapropter, asserunt essentiam divinam non esse infinitam. Sententia hujusmodi est merè transitus de genere ad genus; non agitur enim de mole infinitâ.

2°, Alii dicunt Deum esse infinitum *secundum quid*, aut *relativè;* sed non absolutè et simpliciter : ità, quidam philosophi sæculi proximè elapsi sapientiam, bonitatem, providentiam aliave attributa Deo denegabant (Locke, Hobbes, Robinet).

3°, Tandem, Hegelius et Germani non pauci, deindè apud Gallos, Renan, Vacherot et Taine, ideam merè *subjectivam* entis in genere ab Ente necessario, necnon « infinitatis » *conceptum* ab Infinito *reali* minimè secernentes, perperam asserunt Deum non esse aliquid *reale* et « *personale*, » nisi tantùm in intellectu nostro. Quapropter, ut aiunt, Deus est summâ intelligentiâ præditus, nullaque perfectione caret, verumtamen habendus est solummodò ut « *categoria idealis.* » — Ad rem scripsit E. Renan : « Dieu est pour l'humanité, le résumé transcendant de ses besoins suprasensibles, la *catégorie de l'idéal*, c'est-à-dire, la forme sous laquelle nous concevons l'idéal, comme l'espace et le temps sont les catégories des corps, c'est-

à-dire les formes sous lesquelles nous concevons les corps (1). »

II. Taine, naturalismi instaurator, existentiam primæ causæ a naturâ distinctæ rejicit; sed « *axiomati*, » seu « *formulæ* » cuidam abstractæ largitur omnes perfectiones Entis Infiniti (2).

Talia commenta confutatione non indigent; tria tantùm recenseri juvat. 1°, Qui Deum merè idealem et abstractum, seu « *categoricum*, » esse putant, atheismum evidentissimè profitentur; Deus enim hujusmodi nullam habet realitatem extrà mentem nostram; quâ de re, sub illo respectu, sophisticæ magistri ab atheis, de quibus dictum est suprà, minimè discrepant. 2°, Sophistæ, post Cartesianos non paucos, de ipsamet ideâ Infiniti falsa sentiunt; hæc enim idea, *subjectivè* sumpta, seu quatenùs in nobis est, dici nequit perfecta et *adæquata*, sed imperfecta et *inadæquata*; videlicet, ut aiunt scholastici, habemus notio-

(1) *Liberté de penser*. Et etiam : « Ne nions pas qu'il y ait des sciences de l'*éternel*; mais mettons-les bien nettement *hors de toute réalité*. » — Addit D. Vacherot : « (Dieu est un) être de raison dont la *perfection* est toute *idéale*. C'est le Dieu de la pensée pure, le Dieu que Platon et Descartes poursuivent en vain comme un être *réel*. Ce Dieu-là n'a d'autre trône que l'esprit, ni d'autre vérité que l'idée. Quand les théologiens lui assignent pour objet un être réel, ils réalisent une abstraction. » *La Métaphysique et la Science*, t. III, p. 217.

(2) « Au suprême sommet des choses, au plus haut de l'éther lumineux et inaccessible, se prononce l'*axiome éternel*, et le retentissement prolongé de cette *formule créatrice* compose, par ses ondulations inépuisables, l'immensité de l'univers. Toute forme, tout changement, tout mouvement, toute idée est un de ses actes. Elle subsiste en toutes choses, et elle n'est bornée par aucune chose... Elle remplit le temps et l'espace, et reste au-dessus du temps et de l'espace. Elle n'est point comprise en eux, et ils dérivent d'elle. Toute vie est un de ses moments, tout être une de ses formes... L'indifférente, l'immobile, l'éternelle, la toute-puissante, la créatrice, aucun nom ne l'épuise; et quand se dévoile sa face sereine et sublime, il n'est point d'esprit d'homme qui ne ploie, consterné d'admiration et d'horreur. Au même instant cet esprit se relève; il oublie sa mortalité et sa petitesse; il jouit par sympathie, de cette *infinité qu'il pense*, et participe à sa grandeur. » *Les philosophes classiques au* XIX^e^ *siècle*, p. 370 et 371.

nem « *infinitatis*, » aut « *infinitudinis*, » potiùs quam *Infiniti* propriè dicti; aut etiam, Infinitum, quatenùs in se est, nonnisi per analogiam et remotionem agnoscere possumus. Eapropter, idea Infiniti est limitata; sed, Hegelius ejusque discipuli contendunt Infinitum ab ipsamet ideâ non esse distinctum; ergò, juxtà eos, Infinitum est limitatum; scilicet nullum est Infinitum.

3°, Tandem hegelianismus ad teterrimam et exitialem consequentiam necessariò propellit; nempè : si Deus ab ideis nostris pendeat, unusquisque sibi Deum fingere potest, ut egregiè scripsit E. Caro, dicens : « Y a-t-il tant de distance de la négation pure et simple de Dieu à cette liberté laissée à chaque homme de se faire un Dieu à sa taille et comme au niveau de son esprit? Voyez se produire les plus étranges conséquences, et d'abord comme il va naître de là une théodicée aristocratique! Il y aura le Dieu des grandes races et celui des races inférieures, résultat physiologique des aptitudes que chacune de ces races apporte dans son tempérament. Il y aura le Dieu des grands esprits et celui des esprits inférieurs, le Dieu des *parties simples* et celui des *parties cultivées* de l'humanité. Il y aura le Dieu des petites gens, Dieu bourgeois; il y aura le Dieu des bonnes gens, Dieu voltairien. Il y aura le Dieu de la haute culture intellectuelle qui élirait domicile sous la coupole de l'Institut, s'il était plus assuré d'exister (1). »

Ergò, *directè* et *indirectè* probatur thesis generalis; videlicet : Ens *a se* dici debet *undequaque*, seu *absolutè infinitum*. Id est, in se continet omnis entitatis et perfectionis simplicissimam et eminentissimam *complexionem*. *)

(1) *L'Idée de Dieu*, p. 71. Aliundè, jam ipsi Germani Hegelianismum irrident; ex. gr. Schopenhauer, philosophiam hegelianam vocat : « Un *minimum* de pensée dilué dans cinq cents pages de phraséologie nauséabonde; » et Hegelium appellat : « Une tête médiocre, qui par tous les moyens connus, a voulu se faire passer pour un grand philosophe, et est arrivé à se poser en idole devant quelques très-jeunes gens d'abord subornés, et maintenant à jamais bornés. »

ARTICULUS SECUNDUS.

In quo attributo fundatur perfectio divina.

I. Quid dicendum de attributis Dei in genere?

29. Creaturarum imperfectiones, ut diximus, a Deo removeri debent; idcircò, logicè concludimus Deum esse infinitum, id est, omni *perfectionum* genere præditum, et limitum expertem : « Nous savons que Dieu est, in-inquit A. de Margerie. Nous savons qu'il possède la plénitude de l'être, qu'il est l'infini et le parfait (*Théodicée,* c. IX). » Aliundè, diximus perfectiones seu *attributa* Dei nequaquam ab Ejus essentiâ differre; verumtamen, juxtà nostrum concipiendi modum, plura sunt in Deo attributa, e quibus unum est primarium et quasi essentiæ divinæ *constitutivum.* Ad rem tria sunt dicenda : 1°, de attributorum *naturâ;* 2°, de *divisione* attributorum; 3°, de attributo Dei *constitutivo.*

II. Quid est Dei attributum?

30. Attributum est *perfectio,* quam ab *essentiâ Dei* dimanare *concipimus.* Dicitur *perfectio,* seu proprietas, non accidentalis, quià, ut diximus, accidens in Deo reperiri nequit; sed essentialis. Eamque proprietatem de *essentiâ* Dei, juxtà nostrum *concipiendi* modum, prædicamus; id est, etsi realiter nullum sit in Deo attributum ab ejus essentiâ differens, attamen per *analogiam,* asserimus bonitatem, justitiam, sanctitatem et alia similiter ab essentiâ Dei dimanare, quià perfectiones hujusmodi conspicimus in creaturis.

Attributa divina *inter se* non differunt, nisi *distinctione rationis,* ut aiunt; videlicet, attributa, quatenùs *in Deo* spectata, non sunt proprietates inter se distinctæ; Deus enim est ens absolutè infinitum, omnisque limitis expers;

sed, proprietates inter se diversæ jam evidenter supponunt quosdam limites et imperfectiones; eapropter, attributa divina differre nequeunt distinctione *reali*. Sed relativè *ad nos*, in quantùm scilicet ab intellectu nostro dignoscuntur, eadem attributa differunt distinctione *rationis;* id est, quùm intellectus noster Deum agnoscere non possit, nisi per conceptus incompletos et præcisos, ut ità dicam, nec Eum nisi variis nominibus exprimere, dicimus Ens necessarium esse simplex, immensum, omnipotens (1).

Itemque, attributa Dei ab Ejus *essentiâ* realiter non distinguuntur; etenim, in Ente necessario et infinito nullum accidens, et nulla mutatio invenitur; quapropter, attributa Dei sunt essentialia : videlicet, « in Deo idem est *esse* et *essentia*, pariterque unum et idem est *essentia* cum *attributis* (S. Thomas, *Contrà Gent.*, I, c. XXII). Ad rem egregiè scripsit Ludovicus de Grenade : « Toutes les choses créées reçoivent des différences, et se peuvent aisément distinguer les unes des autres; mais Dieu ne souffre aucune distinction, à cause de la simplicité de son essence; de sorte que son *être* est son *essence*, son essence est sa *puissance*, sa puissance est sa *volonté*, sa volonté est son *entendement*, son entendement est son *être*, son être est sa *sagesse*, sa sagesse est sa *bonté*, sa

(1) « Toutes les perfections de Dieu n'en font qu'une, et, si je les multiplie, c'est par la faiblesse de mon esprit, qui, ne pouvant embrasser d'une seule vue le tout qui est infini et parfaitement un, le multiplie pour se soulager, et le divise en autant de parties qu'il a de rapports à diverses choses hors de lui..... Ainsi, je me représente cet être unique par diverses faces, pour ainsi dire; et c'est ce qu'on nomme perfections ou attributs. » Fénelon, *De l'existence de Dieu*, deuxième partie, ch. VI, art. 2e. — Distinctio rationis vocatur gallicè : « Une diversité d'aspects. » A. de Margerie, *Théodicée*.

bonté est sa *justice*, et sa justice est sa *miséricorde;* et quoique sa miséricorde produise des effets contraires à sa justice, parce que le devoir de l'une est de pardonner, et que celui de l'autre est de punir, elles sont néanmoins si absolument en lui une même chose que sa justice est sa miséricorde, comme sa miséricorde est sa justice (1). »

(* De præsente quæstione gravis exsurgit disceptatio inter *Thomistas* et *Scotistas*. Juxtà Thomistas, attributa Dei a se invicem et ab ipsamet essentiâ differunt *distinctione rationis ratiocinatæ;* Scotistæ verò *distinctionem formalem* in Deo reponendam esse contendunt. Thomistarum sententia propugnari debet; nam, 1°, Scotistarum distinctio non tantummodò subtilis, verùm etiam impossibilis videtur; omnis enim distinctio vel est realis, vel non; ideoque, nulla inter utramque media cogitari potest. 2°, Jurè meritòque perfectiones divinæ in sensu præfato thomistarum secerni debent; nam, extrà Deum effectus diversos producunt, aut qualitates designant inter se distinctas; quales sunt misericordia et justitia. Verumtamen, in Deo nulla, etiam minima, distinctio fingi potest, secundùm ea sancti Thomæ : « (Constat nomina quæ Deo) attribuuntur non esse *synonyma*, quamvis rem omninò *unam* significent. Non enim est eadem nominis significatio, quùm nomen per priùs conceptionem intellectûs quam rem intellectam significet (2). » *)

(1) *Sum. contrà Gent.*, lib. I, c. xxxv. Cf. Lherminier, *Dissertations sur la distinction des attributs de Dieu.* — « Quæcumque nomina divina protuleris, unum est perpetuò, quod significatur. » S. Basilius, *Epist.* 80. Itemque S. Dionysius, S. Gregorius Nyssenus, et alii SS. Patres. — « Il ne faut point s'étonner que quand je contemple la Divinité, mon opération ne puisse point être aussi une que mon objet. Mon objet est infini et infiniment un; mon esprit et mon opération ne sont ni infinis, ni infiniment uns; au contraire, ils sont infiniment bornés et multipliés. » Fénelon, *De l'existence de Dieu.*

(2) Louis de Grenade, *La guide des pécheurs,* traduite par M. Girard, tom. I, p. 8 et 9, an. 1824. S. August., *Médit.*, c. xii et xix. — « Les attributs de Dieu (sont) réellement identiques les uns aux autres et à

III. Quomodo attributa Dei dividi possunt?

31. Post ea, quæ dicta sunt de attributorum *naturâ*, de illorum *divisione* tria recenseri debent : 1°, Variæ philosophorum sententiæ; 2°, principium solutionis; et, 3°, divisio seligenda.

(A.) De variis philosophorum *sententiis*. — Philosophi nonnulli, tramitem veterum deserentes, divinas perfectiones vario modo dividere intendunt : alii enim putant attributa Dei esse vel *metaphysica*, vel *moralia;* scilicet, immensitas, æternitas et cetera hujusmodi sunt metaphysica; providentia autem, justitia, sanctitas, ad perfectiones morales referuntur. Alii verò docent attributa dividi posse in *quiescentia* et *operativa;* Deus enim, aiunt, vel ut quiescens vel ut operans intelligi solet ab hominibus. Quidam autem secernunt perfectiones *incommunicabiles* et *communicabiles;* reverà, immensitas, immutabilitas rebus finitis communicari nequeunt; dùm intelligentia, justitia, gradu finito, reperiuntur in homine.

90. (B.) De principio *solutionis*. — Ut divisio a scholasticis et SS. Patribus allata facilè concipi possit, quædam sunt prænotanda. Creaturarum perfectiones, quæ, remotis limitibus, Deo tribuuntur juxtà nostrum conci-

l'essence divine. Leur diversité est une diversité d'*aspects*. » A. de Margerie, *Théodicée*, p. 399. — « In primis supponimus tanquam *de fide* certum perfectiones illas, quæ formaliter attribuuntur Deo eique verè insunt, non esse res distinctas realiter ab ipsamet substantiâ Dei; ità supponunt omnes theologi sine controversiâ. » Suarez, *De Deo*, lib. I, c. x. « Undè sententia cujusdam Gualteri, quem ferunt posuisse attributa hæc realiter distincta ab essentiâ intellectâ, ut sonat, de propriâ distinctione reali, *hæretica est*. » *Ibidem*. — « Nous émiettons cette simplicité infinie, cette perfection unique pour la comprendre autant que cela nous est possible, comme les enfants qui épellent lettre par lettre des mots qu'ils ne peuvent lire d'un seul coup. » Antonin de Roaldès, *Les penseurs du jour*, p. 320.

piendi modum, dividi solent in *simplices* et *mixtas;* priores ex se nullum defectum involvunt, nec repugnat eas prædicari de Ente infinito; ut sunt vita, intelligentia, sapientia, libertas. Posteriores autem imperfectionem quamdam important, et in Ente summè perfecto propriè concipi nequeunt; videlicet, extensio, motus, compositio. Porrò, scholastici docent perfectiones *simplices*, si spectentur *in se*, secundùm formam propriam, seu *formaliter* in Deo reperiri; sic, ex. gr. Deus est *sapiens*, *justus*, *omnipotens*. Dixi, si spectentur *in se;* nam, si considerentur *in rebus* finitis, defectibus admixtæ sunt; v. gr. hominis intellectus non est limitum expers, intelligentia verò divina nullam agnoscit imperfectionem. Eâ de re, sapientia, voluntas et ceteræ perfectiones simplices non sunt *formaliter* eædem in creaturis et in Deo; verumtamen, hujusmodi perfectiones, quatenùs *in se* sunt, remotis limitibus, inveniuntur in Deo secundùm *formam* sibi propriam. Aliæ verò perfectiones, quæ mixtæ vocantur, non sunt in Deo nisi *virtualiter* et *eminenter;* id est, modo præstantiori. Sit exemplum : *extensio* materiæ non est formaliter in Deo; modo tamen excellentissimo et eminentissimo perfectiones extensionis in *immensitate* divinâ reperiuntur.

(C.) De attributorum divisione *seligenda.* — Ex dictis eruitur attributorum divisio a scholasticis, necnon a sanctis Patribus allata; scilicet, attributa Dei, secundùm nostram concipiendi rationem, sunt *negativa*, vel *positiva* seu *affirmativa;* attributa negativa de Deo prædicantur modo quidem *eminentissimo*, nempè per *remotionem* aut negationem omnis imperfectionis : sic, Deus dicitur : « *Increatus*, *Incorporeus*, *Infinitus*, *Immensus*, *Immutabilis*,..... *Æternus.* » Attributa verò positiva de Deo *formaliter* prædicantur, per viam *excellentiæ;* qua-

les sunt *intelligentia*, *voluntas*, *potentia*, *providentia*, *sanctitas*.

Præterea, juxtà scholasticos, si attributa spectentur relativè ad creaturas, alia sunt *absoluta;* nullam scilicet important relationem ad res contingentes, ut *simplicitas*, *unitas;* Deus enim esset unus et simplex, etiamsi mundus nunquam exstitisset. Alia verò attributa supponunt quamdam relationem ad orbem physicum; ità, Deus dicitur *Creator* et *Providens*, quià de facto mundum condidit eumque gubernat; eapropter, attributa hujusmodi *relativa* nuncupantur (S. Thomas, *Sum. Theol.*, I, q. 14).

IV. Quæ sunt dicenda de attributo Dei constitutivo?

32. Inter attributa Dei unum vocatur *primarium* seu *constitutivum*. De attributo hujusmodi quatuor dicenda sunt : 1°, quid intelligatur per attributum constitutivum; 2°, quid sentiant philosophi de præsenti quæstione; 3°, quænam opinio sit amplectenda; 4°, tandem, quomodò divinæ perfectiones ab attributo primario dimanent.

(A.) Quid intelligatur per attributum constitutivum?

Attributum Dei constitutivum est illud quod prius *a nobis concipitur*, et a quo cetera, tanquam a fonte communi, defluunt; ideoque, *relativè ad nos*, constituit *essentiam* divinam : « Jam, etsi quævis perfectio in Deo, ait Sanseverino, ejus essentiam constituat, tamen nobis, qui non possumus uno mentis intuitu divinas perfectiones complecti, inquirere licet, quænam ex ipsis tanquam divinam Essentiam constituens spectari possit (*Theol. natur.*). »

(B.) Quid sentiant philosophi de attributo primario?

Ut alias opiniones omittamus, de quatuor præcipuis aliqua tantummodò dicemus. 1°, Non pauci, saltem inter

scotistas veteres, docuerunt attributum Dei constitutivum esse « *infinitatem radicalem*, » seu, ut aiunt, « *exigentiam* » omnium perfectionum. 2°, A scotistis parùm differunt ontologistæ, qui putant, « notam Dei primariam in eo consistere, quod omnem entis *plenitudinem* in se contineat; » et verùm, ut ipsi dicunt, entis plenitudo designat « esse supremum, esse *infinitum*, esse simpliciter. » 3°, Non desunt thomistæ, qui sentiant attributum Dei constitutivum esse « *intellectionem actualem*, » scilicet actum, quo Deus seipsum cognoscit, vel « *intellectionem radicalem*, » seu vim intelligendi, quâ Deus essentialiter præditus est. 4°, Tandem, alii thomistæ, præsertim inter recentiores, enixè propugnant « *aseitatem*, » videlicet attributum, quo Deum *a se* quidem, et non ab alio, existere prædicamus, esse omnium primum et divinæ naturæ constitutivum.

(C.) Quænam opinio sit amplectenda?

Ecce, ut opinamur, hujus quæstionis solutio. Si Deus consideratur *relativè ad nos, aseitas* est attributum *primarium*, in eo sensu quod primò, antè alia, concipitur a nobis; etenim, ut vidimus, per viam *causalitatis* Deus cognoscitur tanquam prima omnium causa; sed illicò deducimus eam conclusionem : Deus est *a se*, quià non potest esse prima causa simul et effectus. Eapropter, *aseitas* dici debet attributum *primarium*.

Si autem quærimus attributum *fundamentale*, seu universale, ut ità dicam, quod scilicet in omnibus aliis inveniatur, et haberi possit quasi eorum mensura, illud est « *infinitas radicalis*, » videlicet omnium perfectionum « exigentia; » et verùm, Ens a se, ut dictum est suprà, debet esse *undequaque* infinitum; utputà, remotis limitibus, dicitur *immensum, æternum, immutabile, simplex* et *unum*.

Aliundè, si Deus jam spectatur ut *vivens*, et operans, actus quo intelligit, seu *intellectio actualis*, » ut aiunt, attributum *vitæ* divinæ *constitutivum* haberi potest; et sane, quemadmodùm vis intelligendi jurè meritòque dicitur fons et radix vitæ rationalis in homine, sic, per analogiam, asserere fas est « intellectionem » esse fontem et radicem vitæ divinæ (1).

Brevius : *aseitas* est attributum *primarium*, quod a nobis dignoscitur antè alia; *infinitas* est attributum *fundamentale*, quod ceteris communis est; intellectio est attributum *constitutivum*, a quo vita Dei dimanat, juxtà nostrum concipiendi modum.

(D.) Quomodo divinæ perfectiones ab attributo primario dimanent?

Relativè ad cognitionem nostram, seu *logicè*, attributa omnia, sive negativa, sive positiva defluunt ab attributo primario; videlicet, ex hujus cognitione ad notitiam aliorum devenimus hoc modo : 1°, Per viam *causalitatis*, existentiam Dei comprobamus, et illicò deducimus Ejus *aseitatem*, seu attributum *primarium*. 2°, Per viam *remotionis*, omnis imperfectio a Deo removetur, et illius *infinitas*, id est attributum *fundamentale* concipitur; Ens enim *a se* debet esse undequaque infinitum; posteà, concludimus Deum esse immutabilem, æternum, immensum, simplicem et unum. 3°, Per viam *excellentiæ*, probatur Ens a se summâ quidem intelligentiâ gaudere; seipsum autem intelligere non potest, quin suas perfec-

(1) Sic se habet sanctus Thomas : « In Deo non est forma quæ sit aliud quam suum esse. Undè cùm ipsa essentia sit etiam species intelligibilis, ex necessitate sequitur quod ipsum ejus *intelligere* sit ejus essentia et ejus *esse*. Et sic patet ex omnibus præmissis, quod in Deo intellectus intelligens, et id quod intelligitur, sunt omninò unum et idem. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 4, c.

tiones necessariò diligat; ex intellectione, scilicet, tanquam ex *attributo* vitæ *constitutivo*, defluunt scientia, voluntas, amor, potentia, providentia, et omnia quibus vita Dei constituitur.

Et ità, *triplici ascensione*, ad Dei notitiam, quantùm fieri potest in statu præsenti, devenimus (1). Hæc omnia tabulâ sequenti exprimuntur :

1ª,
MENTIS ASCENSIO,
in quâ, per viam *causalitatis*,
detegitur attributum *primarium* :

Aseitas.

2ª,
MENTIS ASCENSIO,
in quâ, per viam *remotionis*, ex aseitate deducitur attributum *fundamentale : Infinitas;* et exindè innotescunt immutabilitas, æternitas, immensitas, simplicitas, unitas.

3ª,
MENTIS ASCENSIO,
in quâ, per viam *excellentiæ*, ex aseitate deducitur attributum vitæ *constitutivum : Intellectio ;* et indè dimanant scientia, voluntas, potentia, providentia, beatitudo.

Eaque omnia complectitur

Deus.

(1) Via remotionis viam excellentiæ præcedit, secundùm ea Suarezii : « Prædicata negativa propriissimè de Deo dicuntur,... quià quùm Deus sit perfectissimus, nihil verius de ipso loquimur quam quùm ab eo imperfectionem removemus. Undè rectè dicit Damascenus... Quùm Deus nobis incomprehensibilis sit, hoc solum de eo comprehendimus, quod incomprehensibilis sit, ipsam ergò negationem propriissimè concipimus, et Deo illam attribuimus. » *De Deo*, c. IX, n. 8.

CAPUT SECUNDUM.

DE ATTRIBUTIS ABSOLUTIS QUIBUS CONSTITUITUR ESSENTIA DIVINA.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de attributis absolutis quibus constituitur essentia divina?

33. Hactenùs dictum est de perfectione Dei *in genere;* nunc verò dicendum est *in specie* de attributis, quibus ea perfectio coalescit. Etsi, juxtà nostram concipiendi rationem, innumerabiles sint Dei perfectiones (1), hic solummodò disserimus de quibusdam attributis, quæ ad Dei *naturam* ineffabilem et infinitè perfectam præ aliis referuntur; nam ea, quæ pertinent ad *vitam* divinam, objectum tertiæ partis absolvunt. Jam attributa, de quibus disceptare solent philosophi, sunt præsertim *immutabilitas*, *æternitas*, *immensitas*, *simplicitas* et *unitas;* quæ illo ordine concipiuntur : 1°, Ens *a se*, undequaque *infinitum* est *immutabile;* 2°, Ens immutabile est *æternum;* 3°, Ens immutabile et æternum est *immensum;* 4°, Ens

(1) Lessius, *De perfectionibus moribusque divinis;* Suarez, Billuart, *De Deo.* — Mahumetani, ut constat ex eorum ritibus, *nonaginta novem* attributa secernunt : « Les ablutions terminées, l'Arabe se tourne du côté de la Mecque, et commence sa prière dans un recueillement tel que, quoi qu'il puisse arriver autour de lui, il ne semble plus y prendre garde..... Il s'incline, lève ensuite les mains vers le ciel, et enfin met le front dans la poussière en prononçant ces mots : « Allah Akbar! Dieu est très-grand! » La même cérémonie se produit trois fois : il s'assied ensuite sur ses talons, prend dans ses mains le chapelet en grains d'ébène ou d'ivoire qu'il porte à son cou, et, dans l'attitude d'un homme en repos, commence à réciter, sur les quatre-vingt-dix-neuf grains de ce chapelet, les *quatre-vingt-dix-neuf* perfections de Dieu. » *Les Missions catholiques*, 24 décembre 1875.

immutabile, æternum et immensum est *simplex;* 5°, Ens immutabile, æternum, immensum et simplex est *unum.* Ad rem igitur quinque sint articuli : 1us, Deus est *immutabilis,* scilicet ab Eo *removetur* imperfectio *contingentiæ;* 2us, Deus est *æternus,* videlicet ab Eo *removetur* imperfectio *temporis;* 3us, Deus est *immensus,* nempè *spatii* imperfectio ab Eo *removetur;* 4us, Deus dicitur *simplex,* id est *excludit compositionis* defectum; 5us, Deus vocatur *unus,* hoc est, *æqualem* sibi penitùs *excludit.*

ARTICULUS PRIMUS.

De Immutabilitate : Deus est immutabilis; scilicet, ab eo removetur imperfectio contingentiæ.

II. **Utrum et quo sensu Deus est immutabilis?**

34. Quùm investigamus attributa Dei negativa et absoluta, primitùs ab Ente infinito removemus defectum *contingentiæ generalem,* nempè *mutabilitatem;* et ità concipitur *Immutabilitas.* Quippè, res contingentes et in *esse,* et in *operari* sunt e naturâ suâ mutabiles, eaque variatio jurè dicitur imperfectio; quocircà, Deus, qui rerum contingentium defectus habere nequit, est immutabilis; videlicet, illâ *perfectione* gaudet, juxtà quam nec in suâ *naturâ* seu *physicè,* nec in suis *decretis* seu *moraliter, variationem* experiri potest. In eo sensu, statuitur sequens

PROPOSITIO.

Deus est immutabilis physicè et moraliter; id est, nec in suâ naturâ, nec in suis decretis mutationem experiri potest.

Probatur. — Deus est Ens a se et infinitè perfectum. Sed, Ens a se et infinitè perfectum, est immutabile. Ergò, Deus est immutabilis. Major patet. Probatur mi-

nor. — Deus est a se, non effectivè, ut diximus, sed essentialiter; id est, nec ab alio, nec etiam a seipso tanquam a causâ efficiente accipit existentiam; eapropter, Ens hujusmodi est actus purus, ut aiunt, nihil scilicet *accipere*, nihil *amittere* potest; secundùm ea sancti Doctoris : « Primum ens oportet esse purum actum absque permixtione alicujùs potentiæ, eò quod potentia simpliciter est posterior actu. Omne autem quod quocumque modo mutatur, est aliquo modo in potentiâ. Ex quo patet, quod impossibile est Deum aliquo modo mutari (*Sum. Theol.*, I, q. 9, a. 1). »

Prætereà, Deus est infinitus, videlicet in se continet plenitudinem entis; Ens autem infinitum « non potest aliquid *acquirere*, » ut patet; a fortiori, non potest aliquid *amittere*, ampliùs enim non esset infinitum (1).

Item, mutatio in decretis Enti summè perfecto competere nequit; mutatio enim hujusmodi supponit defectum in intellectu, qui ab initio non perpendit omnia diligenter; aut arguit imperfectionem in voluntate, quæ modò rem unam, modò aliam, sine ratione sufficienti, prosequitur. Atqui, Deus est summè perfectus, ut dictum est. Ergò, nulla mutatio esse potest in decretis divinis.

Deus igitur est immutabilis physicè et moraliter; id

(1) « Deus, quùm sit infinitus comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis totius esse, non potest aliquid acquirere, nec extendere se in aliquid ad quod priùs non pertingebat. Undè nullo modo sibi competit motus. Et indè est quod quidam antiquorum, quasi ab ipsâ veritate coacti, posuerunt primum principium esse immobile. » S. Thomas, *Ibidem.* — « Necesse est perpetuam aliquam et *immobilem* substantiam esse. » Arist., *Metaphys.*, lib. XIX, c. VI. — « Inter vulgaris philosophiæ decreta hoc est : Divinum omne, ac primum, summumque, necessariò est immutabile. » Sallust. — Cf. Script. Sacr. : « Ego Dominus, et non mutor. » *Numer.*, 23.

est, nec in suâ naturâ, nec in suis decretis mutationem experiri potest.

(* Probatur indirectè, ex erroribus philosophorum.

De immutabilitate Dei erraverunt progressistæ omnes, post E. Renan, et eclectici non pauci, duce V. Cousin. 1°, Juxtà progressistas, Deus non est immutabilis; sed *progressùs infiniti* legibus obtemperat. Imprimis, E. Renan duplicem Deum agnoscit, unum immutabilem et æternum, sed merè *abstractum* (1); alterum *realem*, sed imperfectum et progressûs capacem : « En ce sens, Dieu sera plutôt qu'il n'est ; il est *in fieri*, il est en voie de se faire. » Sed, ex unâ parte, Deus idealis est mera fictio, ut alibi diximus ; ex alterâ parte, Deus ad progressum habilis non differt ab hac rerum universitate : « Il est synonyme de la totale existence. » Quapropter, ut infrà videbitur, systema progressistarum nihil est, nisi pantheismus immanens, et etiam crassissimus.

2°, Econtrariò, V. Cousin et deinceps eclectici non pauci, libertatem ab immutabilitate penitùs everti sentientes, docent omnia Dei decreta esse necessaria, ità ut Deus in orbem condendo non sit magis liber, quam in Seipsum amando. Ea verò difficultas non immutabilitatem, sed libertatem Dei præsertim impugnat; de illâ ergò dicendum est in ultimâ parte, ubi de voluntate divinâ tractatum habemus (2). *)

(1) Dieu est l'absolu. Il est l'ordre où les mathématiques.....; il est le lieu de l'idéal, le principe vivant du bien, du beau et du vrai. Envisagé de la sorte, Dieu est pleinement et sans réserve; il est éternel et immuable, sans progrès ni *devenir*. » *Les sciences de la nature et les sciences historiques*, 1863.

(2) Quidam adversùs immutabilitatem objiciunt verba Scripturæ Sacræ; ut sunt : Deus irascitur, Illum pœnitet, etc. Hæc verba *metaphoricè*, non autem sensu *litterali* sumenda sunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De æternitate : Deus est æternus; scilicet, ab eo removetur imperfectio temporis.

I. Quid est æternitas et utrùm Deo competit?

35. Ut vidimus in Ontologiâ (n. 121), e temporis notione, quæ per abstractionem comparatur, ad altiores notitias *ævi* et *æternitatis* assurgit intellectus; nempè, limitibus temporis sémel remotis, concipimus durationem sine motu physico, sed cum successione saltem in actibus, et hoc dicitur *ævum;* iterumque, ab ævo removere possumus omnem successionem, et ità comparatur notio durationis perfectissimæ, id est æternitatis.

In eo sensu æternitas definitur a quibusdam philosophis : « Incessans existentia, initio et fine carens. » Sæpiùs autem a scholasticis, post Boëtium, definiri solet : *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* Dicitur *possessio interminabilis*, quia initio et fine caret : « Id quod est in æternitate, ait sanctus Thomas, est interminabile; id est principio et fine carens (*Sum. Theol.*, I, q. 10, a. 1). » Æternitas est possessio *tota simul et perfecta;* proindè, differt a tempore, necnon ab ævo; in his enim quædam successiones inveniuntur : « Æternitas, addit sanctus Thomas, successione caret, tota simul existens; » undè, quamvis « in cognitionem æternitatis oporteat nos venire per tempus, » æternitas tamen imperfectiones temporis non habet (*Ibidem*). Æternitas vocatur etiam possessio *vitæ;* nam, ut advertit Lessius, « vita est perfectissimum esse, ac proindè in ejus possessione meritò ponitur æternitas, quæ est perfectissima duratio (*De perfect. divinis*, IV, c. 1). »

Ex dictis inferre licet quænam sit inter immutabilita-

tem et æternitatem distinctio; immutabilitas est attributum « *commune*, » secundùm quod *omnis* mutatio a Deo removetur; æternitas autem est attributum *particulare*, per quod *specialem* temporis imperfectionem ab Ente necessario removemus. Eapropter, æternitas est quasi *species* immutabilitatis, et ad eam habetur ut *particulare* ad magis *commune*. Undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Ens immutabile *est* æternum; *quapropter*, æternitas *est attributum Dei speciale.*

Probatur. — Ut Deus sit æternus in sensu definitionis allatæ, tria *requiruntur* et *sufficiunt;* videlicet, ut Ens immutabile *initio*, *fine* et *successione* careat; sed, hæc tria vera sunt; ergò, Deus est æternus. Major constat. — Probatur minor. — Eò quod Deus est immutabilis, oportet Eum esse æternum, initio scilicet, successione et fine carere; secundùm ea sancti Doctoris : « Ratio æternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum..... Undè, quum Deus sit maximè immutabilis, sibi maximè competit esse æternum (*Loc. cit.*, a. 2). » Re quidem verâ, *initium*, *successio* et *finis*, mutationem quamdam aut in naturâ, aut in actibus important; Ens igitur immutabile, quem Deum nominamus, æternitate gaudet, et ab eo removetur omnis imperfectio temporis.

Prætereà, Deus vocatur Ens necessarium, a se quidem existens, et non ab alio; sed, ens hujusmodi, ut evidenter apparet initium habere nequit. Deus quoque dicitur Ens summè perfectum et undequaque infinitum; id est vitam possidet totam simul et perfectissimam, minimè verò per successionem motuum, actuumve seriem,

ut fieri solet in rebus creatis ; nullam igitur in Deo successionem nullumque progressum invenire possumus (1). Aliundè, in Deo esse et essentia non discrepant, et Deus a se et essentialiter est subsistens ; ens verò quod essentialiter subsistit interire nequit. Deus igitur initio, successione, et fine caret. Ergò, Deus est *æternus* (2).

Dei æternitas est vitæ possessio, eaque tota simul, perfectissima, et nobilissima ; ità ut Deus, dicente sancto Thomâ, sit sua æternitas : « Nec solùm est æternus, inquit, sed est sua æternitas ; quùm tamen nulla alia res sit sua duratio, quià non est suum esse. Deus autem est suum esse uniforme. Undè sicut est sua essentia, ità est sua æternitas (*Ibidem*). »

Hinc, 1°, non est in Deo *præteritum*, neque *futurum* ; sed omnia præterita et futura nuda sunt et aperta oculis ejus, et in fluxu sæculorum mutatio fit tantùm in creaturis. Quod exemplo illustrari potest : « Respectu temporis, ait R. P. Liberatore, æternitas non incongruenter assimilabitur immoto centro, quod quùm individuum sit et permanens, vi linearum, quæ indè ducuntur, punctis omnibus sphæræ respondet, quæ circà ipsum fortè volvatur (*Theol. natur.*, III, 2, 38). »

Hinc, 2°, æternitas in eo sensu est attributum Dei in-

(1) « Dire que Dieu se développe et *progresse*, c'est dire que l'Être, qui possède actuellement toutes les perfections, manque actuellement de plusieurs perfections et travaille à les acquérir. » A. de Margerie, *Théodicée*, p. 304.

(2) De æternitate Dei lege Scripturam Sacram : « Deus in æternum permanet. » *Psal.* 9. — « Tu idem ipse es, et anni tui non deficient. » *Psal.* 110. — « *Vivo* ego in æternum. » *Deuteron.*, 23. — « Deus creator.... solus... omnipotens et æternus. » *II Machab.*, I. — Ad rem Tertullianus ait : « Deus si est vetus, non erit ; si est novus, non fuit. Novitas initium testificatur, vetustas finem comminatur. » *Adv. Marc.*

communicabile, quod videlicet soli Deo convenire potest; Deus enim solus est absolutè immutabilis, et creaturæ, etiam perfectissimæ, vitam sine præterito et sine futuro possidere nequeunt (1).

Hinc, 3°, Lockius, Clarkius, et nonnulli scotistæ erraverunt circà Dei æternitatem. Lockius enim perperam asseruit æternitatem constitui ex infinità temporis multiplicatione; aliundè, Clarkius voluit tempus abstractum ab ipsamet æternitate non esse distinctum; scotistæ verò nonnulli docuerunt æternitatem non excludere successiones, et illam definierunt : « seriem infinitam instantium sine initio et sine fine sibi succedentium. » Falsæ sunt hujusmodi sententiæ, quià successiones, easque numero infinitas, in æternitate Dei reponunt.

ARTICULUS TERTIUS.

De Immensitate : Deus est immensus; nempe, spatii imperfectio ab eo removetur.

1. Quæ sunt dicenda de immensitate?

36. De immensitate divinà quinque recenseri debent : 1°, quomodò immensitatis notitia comparetur; 2°, quomodò immensitas definiri possit; 3°, utrùm Deus sit immensus; 4°, quænam sint hujus dogmatis consequentiæ; 5°, quot errores prodierint circà divinam immensitatem.

(1) « Æternitas verè et propriè in solo Deo est : quià æternitas immutabilitatem consequitur; solus autem Deus est omninò immutabilis. » S. Thomas, *Loc. cit.*, a. 3, c. — Cf. Lessius, Suarez, Billuart. « Æternitas, ait Lessius, soli Deo propriè convenit. » *De perfectionibus divinis.* Lib. IV, c. II. — « O æternitas, omni boni primæva et interminabilis complexio : omnis vitæ insenescibilis tota simul et perfecta possessio : omnis beatitudinis sine principio et fine superplenissima fruitio! » *Ibidem.*

II. Quomodo comparatur immensitatis notitia?

37. *Abstractionis* ope cognoscitur immensitas divina; nempè, primariò, locus *realis* innotescit contemplatione rerum physicarum; corpus enim extensione præditum concipi non potest sine superficie, in quâ claudi debeat et circumscribi. Deindè verò per abstractionem concipimus notitiam spatii *generalem*. Ultimò tandem, si removemus ab ideâ spatii omnem imperfectionem, ascendimus ad notitiam altiorem *immensitatis*, hoc modo :

Spatium triplici perfectione caret : 1°, non est a corporibus separatum, et corpus existit in loco *circumscriptivè*, ut aiunt philosophi; 2°, spatium limitatur, nam extrà mundum nullà realitate gaudet; 3°, spatium illud immensum, quod extrà physicum orbem concipitur, non est aliquid reale, sed imaginarium. Ens autem a quo removeri debent imperfectiones hujusmodi, quod scilicet est præsens omnibus et singulis corporibus quin tamen ab illis *præfiniatur*, cujus essentia rebus physicis *limitari* nequit, et quod tandem omnibus entibus, locis, atque spatiis merè *possibilibus* adesset, si reapsè existerent, jurè ac propriè dicitur *immensum*. Hinc apparet solutio secundæ quæstionis (1).

III. Quomodo immensitas definiri potest?

38. Ex dictis, immensitatem, post philosophos non

(1) « Les idées d'espace et de temps sont comme une première et grossière ébauche qu'essaie notre raison pour se représenter l'infini à propos du fini; et de même que l'artiste, revenant sur l'esquisse de son œuvre, y efface les traits défectueux qui rompaient l'harmonie de l'ensemble, ainsi la raison, poussant plus avant, efface de ces deux idées tout ce qui rappelle le monde imparfait et divisible où elle avait trouvé un point d'appui pour son élan vers l'intelligible; et n'y laissant que ce qui porte véritablement le caractère de l'infini, elle conçoit l'éternité et l'*immensité* divines. » A. de Margerie, *Théodicée*, c. x, p. 322.

infimæ notæ, definire possumus : *attributum*, quo *substantia* Dei est *actualiter*, aut *virtualiter præsens omnibus*, quin ab illis *definiatur*.

Dicitur attributum, quo *substantia* Dei est *præsens* ubique; videlicet, triplici modo Deum rebus creatis adesse concipimus, et per *potentiam*, et per *scientiam* et per *essentiam;* nempè, « (Deus) est in omnibus per potentiam, in quantùm omnia ejus potestati subduntur. Est per præsentiam in omnibus, in quantùm omnia nuda sunt et aperta oculis ejus. Est in omnibus ut causa essendi (S. Thomas, *Sum. Theol.*, I, q. 8, a. 3). » Porrò, immensitas de quâ nunc agitur, designat præsentiam in omnibus non solùm per *potentiam* et *scientiam*, sed per *essentiam;* propterea diximus : immensitas est attributum quo *substantia* seu essentia Dei adest omnibus.

Additur Deum esse præsentem omnibus *actualiter*, aut *virtualiter;* id est, non solùm rebus creatis, sed etiam entibus, locis seu spatiis merè *possibilibus* essentia divina præsentiam suam exhibere, necnon ea quasi permeare potis est; idcircò dicitur præsens omnibus et ubique. Verumtamen, iis quæ reapsè condita sunt Deus *actualiter* adest; ceteris autem omnibus nonnisi præsentiam *virtualem* exhibet; nempè, si existentiam accepissent, in his, non secùs ac in illis Deum esse oporteret : « Quotcumque loca ponantur, ait sanctus Thomas, etiamsi ponerentur *infinita* præter ista quæ sunt oporteret in omnibus esse Deum, quià nihil potest esse nisi per eum (*Ibidem*, a. 4). » .

Est præsens *omnibus;* Deus scilicet « per se *totum*, » seu secundùm totam essentiam suam omnibus et singulis rebus, omnibus locis, « omnibus punctis spatii » est intimè præsens (1).

(1) Lessius, *Loc. cit.* — S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 8, a. 1 et

Deus adest omnibus, quin tamen ab illis *præfiniatur;* nempè, 1°, Deus non est in loco « *circumscriptivè;* » corpus enim solum, quùm sit materiale et partibus constet, in spatio claudi potest et circumscribi; hoc autem Deo prorsùs repugnat. 2°, Deus etiam non est in loco « *definitivè;* » quià spiritus creati meritò dicuntur esse in loco definitivè, eò quod eorum actio certos limites excedere nequit; sed Deus omnes limites, omnia loca superexcedit et transcendit (1). 3°, Deus, modo sibi proprio et *ineffabili*, est in *omnibus* et *ubique; nusquam* verò continetur. Est in omnibus, ait sanctus Thomas, ut « agens » adest operi suo, ut illi conferat « esse, » « virtutem, (seu potentiam ad agendum,) » et « operationem. » (*Sum. Theol.*, I, q. 8). » Nullibi verò continetur; priusquam enim mundus fieret, Deus erat immensus; et tunc orbi terrarum eodem modo aderat, quo nunc adesse dicitur enti merè possibili. Creatione verò semel effectâ, jam Deus præsentiam suam rebus physicis actualiter exhibuit; illius tamen immensitas non est aucta, sed eadem semper et necessariò permansit, permanet atque permanebit.

Immensitas igitur, etsi negativè concipiatur a nobis, est attributum maximè positivum et absolutum; non

2 : « Oportet quod Deus sit in omnibus rebus et intimè... Deus omnem locum replet non sicut corpus (corpus enim dicitur replere locum, in quantùm non compatitur secum aliud côrpus,) sed per hoc quod Deus est in aliquo loco, non excluditur quin alia sint ibi; imò per hoc replet omnia loca, quod dat esse omnibus locatis quæ replent omnia loca. »

(1) « Planè colligitur utrumque modum, quo res creatæ sunt in loco, nempè *circumscriptivè*, vel *definitivè*, Deo prorsùs repugnare. » Sanseverino. — « Incircumscriptus Dei spiritus omnia intrà semetipsum habet; quæ tamen et implendo circumdat, et circumdando implet; et sustinendo transcendit, et transcendendo sustinet » S. Greg. Magnus, *Moral.* XVI.

differt ab Esse divino, in quantùm nec *mensurari* potest, nec in spatio contineri circumscriptivè, aut definitivè : « L'immensité, ait A. de Margerie, c'est l'être de Dieu, tel que nous le concevons lorsqu'arrivant à lui par la voie que nous ouvre la considération des choses étendues, nous affirmons qu'il est présent partout sans se diviser, sans sortir de lui-même, sans être dans le lieu (p. 324) (1). »

IV. **Utrum Deus est immensus?**

39. Ex dictis de immutabilitate et æternitate, immensitas in sensu definitionis allatæ Deo competere debet; undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Ens immutabile et æternum est immensum; eapropter, immensitas jurè dicitur attributum Dei speciale.

Probatur *ratione* et *auctoritate*. — 1° *Ratione*. — Deus est immutabilis et æternus; sed, immutabilitas et æternitas important immensitatem; ergò, Deus est immensus. Major patet. — Probatur minor. — Si Deus immensitate careat, non adest omnibus per essentiam suam, et consequenter ejus essentia, saltem sub hoc respectu, est limitata. Ens verò limitatum augeri potest aut minui;

(1) « Ubi erat (Deus) antequam mundus fieret, ibi est. Non est quod quæras ultrà ubi erat; præter ipsum nihil erat; ergò in seipso erat. » S. Bernardus, *De consider.* — « Immensitas dicitur quasi sine mensurâ : undè si spectatur quantùm ad divinum esse, est infinitas; si quoad durationem, est æternitas; si quoad locum, est *incircumscribilitas;* et de immensitate hoc ultimo sensu sumptâ hic agitur. » Billuart, *De Deo*, Dissert. III, a 6. — « Addendum est... Deum ità esse nunc ubique, id est, in omnibus rebus existentibus, ut non definiatur nec circumscribatur illis. » Suarez, *De Deo*, c. II, n. 8.

ST. JOSEPH'S COLLEGE LIBRARY

quod fieri nequit sine *mutatione;* sed Deus est immutabilis ; ergò dici debet immensus. Item, æternitas excludit *successionem* non solùm in substantiâ, verùm etiam in actibus ; si autem Deus immensitate careat, præsentiam suam diversis entibus *successivè* tantùm exhibere potest, quod evidenter notioni æternitatis repugnat; ergò, dicendum est Deum esse immensum eò quod est æternus.

(* Thomistæ, post sanctum Anselmum et sanctum Doctorem, argumentum fundamentale in gratiam immensitatis divinæ desumunt ab axiomate celeberrimo : *Non est actio in distans.* Deus, aiunt, est prima omnium causa efficiens; quùm autem agens operi suo conjungi debeat, sequitur Deum esse omnibus intimè præsentem : « Deus, est in omnibus per essentiam, ait sanctus Thomas, in quantùm adest omnibus ut *causa essendi* (1). » Undè, juxtà eosdem philosophos, 1° : « Existentia Dei secundùm substantiam in omnibus rebus probatur efficaciter ex ejus operatione in illis. » Et, 2° : Dei operatio in rebus, quæ dicitur « *virtualiter transiens,* » est « ratio *formalis* » per quam existit intimè in omnibus (2).

Scotus autem et ejus discipuli contendunt agens summè perfectum, nempè Deum, actionem suam in distans exercre posse, per virtutem a se diffusam. Indè gravis orta est contentio inter Thomistas et Scotistas. Quidquid autem sit de subtili Scotistarum argumentatione, principium, *Non est actio in distans,* est verum, præsertim quùm agitur de virtute creatrici, quæ rebus

(1) *Sum. Theol.,* p. I, q. 8, a. 3. « Deus est in omnibus rebus, non quidem sicut pars essentiæ, vel sicut accidens, sed sicut agens adest ei in quod agit. Oportet enim omne agens conjungi ei in quod immediatè agit, et suâ virtute illud contingere ; undè in VII *Physic.* probatur, quod motum et movens oportet esse simul. » *Ibidem,* a. 1.

(2) Billuart, *De Deo,* dissert. III, a. 6. Scholastici distinguunt *virtutem transeuntem*, et virtutem diffusam : agens quod operatur per virtutem transeuntem, « a se indistinctam, et sibi identificatam, » adest per essentiam effectui suo; agens verò quod per virtutem diffusam operaretur, non esset effectui suo intimè nec immediatè præsens.

finitis communicari nequit; eapropter, immensitas Dei probatur ab Ejus operatione in rebus creatis. *)

2°, *Auctoritate*. — Dei ubiquitatem insinuat Apostolus, dicens : « Non longe (est) ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, et movemur et sumus (*Act.* XVII, 27 et 28). » Item, Psalmista dicit : « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tuâ fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades (*Psalm.* 138). » Et etiam : « Deus in cœlo sursùm, et in terrâ deorsùm (*Deuteron.*, 4). » Et alibi : « Numquid non cœlum et terram impleo? dicit Dominus (Jerem., 23). » Et expressiùs iterùm : « Excelsior cœlo est...., profundior inferno, largior terrâ mensura ejus, et latior mari (Job., 11). » Et tandem : « Immensus est et non habet finem (Baruch., III). »

Patres Ecclesiæ, imprimis sanctus Dionysius, Athenagoras, sanctus Gregorius Magnus, clarè et expressè docent Deum esse immensum : « Immensitas divinæ magnitudinis ità est, ait sanctus Isidorus, ut intelligamus eum intrà omnia, sed non inclusum; extrà omnia, sed non exclusum; et ideò interiorem, ut omnia contineat : ideò exteriorem, ut incircumscriptà magnitudinis suæ majestate omnia concludat. Per id ergò quod est exterior, ostenditur esse creator : per id quod interior, gubernare omnia demonstratur (*De Sum. bono*, c. II). » Insuper ea legimus in Symbolo sancti Athanasii : « Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.»

Ratione ergò tenendum est et *fide* credendum immensitatem esse Dei attributum speciale.

V. Quænam sunt hujus dogmatis consequentiæ?

40. 1°, Ex immensitate Dei recolligi debet Ejus suprema *majestas*, ut ait Lessius : « Magnus es, Domine, et laudabilis valdè, et magnitudinis tuæ non est finis,

excelsior cœlo, latior mari, profundior abyssis; implens omnia, circumdans omnia, et tanquam sphæram modicam totum hoc universum palmo circumplectens. Tu sphæra incomprehensibilis, cujus centrum ubique, ambitus et circumferentia nusquam, ut quidam philosophus rectè dixit, si sano sensu intellexit (*Lib.* II, c. IV). »

2°, Immensitas *ubiquitatem* importat; videlicet, cò quod Deus est essentialiter immensus, oportet Eum omnibus locis præsentiam suam exhibere; eâ de re *nobis* adest per potentiam, scientiam et essentiam. Hinc tres oriuntur consequentiæ : Deus est præsens hominibus per potentiam; ideoque omnes Illi *subjiciuntur*. Deus adest per scientiam, et omnia nuda sunt et aperta oculis Ejus; *peccatum* igitur *odio* prosequi debemus. Deus tandem adest unicuique nostrûm per essentiam; Huic ergo *cor* nostrum adhærere debet, et intimè uniri. In eo sensu recordatio præsentiæ Dei meritò habetur ut via perfectionis, secundùm ea Scripturæ Sacræ : « Ambula coram *Me*, et esto perfectus (*Genes.*; XVII, 1). »

VI. Quot errores prodierunt circà immensitatem divinam?

(* 41. Inter diversos errores, quibus impugnatur immensitas divina, quatuor sunt præcipui : nempè, 1°, quidam negârunt Dei « omnipræsentiam, » seu ubiquitatem; ità Manichæi putabant Deum non esse in omnibus per potentiam, quià, secundùm eos, spiritualia tantùm subjecta sunt divinæ potestati. Aliundè, nonnulli autumârunt Deum non esse præsentem ubique per essentiam, sed tantummodò per potentiam et scientiam; ex. gr. Cartesius, si verba illius usurpare velimus ut sonant, Deum omnibus inesse per essentiam apertè negavit (1). 2°, Aliqui, post

(1) Ipse Fenelonius ea, saltem ambigua, scripsit in opere, cui titulus, *De l'existence de Dieu* : « Mais où est-il donc? n'est-il nulle part?

Newton et Clarke, tenuerunt immensitatem esse spatium infinitum : « Spatium est increatum, infinitum, immutabile, necessarium, ac denique unum et simplex (1). » 3°, Alii, duce Spinozâ, per immensitatem non intelligunt attributum cujusdam Entis individui, sed collectionem omnium rerum : « Omnia sunt Deus, ut aiunt, Deus est omnia; creator et creatura idem sunt. » In hoc minimè discrepant ab atheis, qui, rejectâ Dei existentiâ, spatium tamen immensum admittunt. 4°, Scepticus Bayle immensitatem Dei impugnandam esse judicavit; nam, juxtà illum, immensitas et simplicitas in Deo conciliari nequeunt.

Adversùs Manichæos et Cartesium, probavimus Deum omnibus adesse per essentiam; itemque, Newtonis sententiam in Ontologiâ rejecimus; pantheismus verò Spinozæ refelletur in tertio capite; hìc igitur tantummodò dicendum est simplicitatem et immensitatem apprimè conciliari, quinimò, Deum esse simplicem eò quod est immensus. *)

ARTICULUS QUARTUS.

De simplicitate : Deus dicitur simplex; id est, excludit compositionis defectum.

I. Utrum et quo sensu Deus est simplex?

42. Simplicitas est attributum, quo *essentia* Dei ab *omni compositione immunis* est. Nempè, juxtà sanctum Thomam, triplex compositio distingui potest in rebus mundanis : *logica* scilicet, *metaphysica* et *physica*. Compositio logica reperitur in entibus, quæ constant *genere*

Non, il n'est en aucun lieu : il existe trop pour exister avec quelque borne, et par conséquent pour être présent par *sa substance* dans un certain lieu. » 2e partie, n. 103.

(1) « Newton et Clarke font du temps et de l'espace deux attributs de Dieu : « Dieu, disent-ils, n'est pas le temps et l'espace, mais en durant partout et toujours, il constitue le temps et l'espace. » A. de Margerie, *Théodicée*, t. I, p. 316.

et *specie;* compositio metaphysica competit entibus, in quibus *potentia* et *actus*, *existentia* et *essentia*, *substantia* et *attributa* distinctione quadam reali afficiuntur; compositio tandem physica nihil est aliud nisi *compages* ea *partium*, quibus res materiales coalescunt. Ens autem trium hujusmodi compositionum expers, meritò dicitur absolutè simplex, seu simplicitas absoluta est *immunitas ab omni compositione*. Porrò, Deus, quùm sit immutabilis, æternus et immensus, eâ simplicitate absolutâ gaudet; undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Ens immutabile, æternum et immensum, omni compositione vacat; idcircò, Deus est logicè, metaphysicè, et physicè simplex.

Probatur. — Jam, ostensum est Deum in nullâ specie et in nullo genere contineri, cò quod est *a se;* nunc autem in gratiam ejusdem veritatis novum argumentum afferre licet. Nempè, æqualitas aut similitudo existit inter entia ejusdem speciei vel generis, ut alibi dictum est (n. 27). Sed, ens immutabile, æternum et immensum, nullam cum aliis entibus æqualitatem, et nullam similitudinem propriè dictam habere potest; hæc enim attributa sunt Deo specialia, et rebus finitis communicari nequeunt. Deus igitur in nullo genere et in nullâ specie continetur, et consequenter immunis est a compositione *logicâ*.

Itemque, simplicitas *metaphysica* deducta est ex ascitate; sed evidentiùs infertur ex immutabilitate et æternitate. Quippè, Deus omnem mutationem excludit et omnem successionem, vitamque totam simul et perfectissimè possidet; in Eo scilicet *potentia* et *actus*, ut jam suprà dictum est, *essentia*, *esse* et *attributa* nullâ distinctione reali afficiuntur. Porrò, hæc omnia constituunt simpli-

citatem metaphysicam. Ergò, Deus est *metaphysicè* simplex (1).

Prætereà, simplicitas non solùm cum immensitate conciliari potest; sed etiam ab eâ deducitur (2). Nam, ex immensitate sequitur ubiquitas seu omnipræsentia, ut vidimus; Deus autem non potest præsentiam suam exhibere per contactum « *physicum*, » sed tantummodò per contactum « *virtutis*, » id est, Deus adesse nequit in locis modo corporali, seu « circumscriptivè, » ut aiunt; corpus enim immensum omnia spatia compleret, ità ut nullum aliud corpus existere posset. Necesse est igitur Deum esse *physicè* simplicem (3).

Aliundè, simplicitas Dei probatur ex ipsamet naturâ corporum : nam, omne corpus partibus constat, videlicet est compositum; sed, ut ait sanctus Thomas, « omne compositum causam habet; quæ enim secundùm se diversa sunt, non conveniunt in unum, nisi per aliquam

(1) « Oportet quod Deus sit sua deitas, sua vita, et quidquid aliud sic de Deo prædicatur. » S. Thomas, *Ibidem*, a 3. « Deus non solùm est sua essentia, sed etiam suum esse. » *Loc. cit.*, a. 4.

(2) De immensitate et simplicitate Dei scripsit sanctus Augustinus : « In eo ipso, quod dicitur Deus ubique *diffusus*, carnali resistendum est cogitationi, et mens a corporis sensibus avocanda, ne quasi spatiosâ *magnitudine* opinemur Deum per cuncta diffundi sicut humus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur. Omnis enim hujusmodi magnitudo minor est in suî parte, quam in toto. » *Epist. ad Dardanum*. Cf. Battaglini, *Metaphys.*

(3) « Incorporalia non sunt in loco per contactum quantitatis dimensivæ, sicut corpora, sed per contactum virtutis. » — « Sicut anima est tota in qualibet parte corporis; ità Deus totus est in omnibus et singulis. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. 1, q. 8, a. 2, ad 1^um^ et ad 3^um^. — Hinc, apparet solutio difficultatis a quibusdam allatæ : Deus, aiunt, est in omni loco; ergò, nihil præter Deum existere potest. Deus est in omni loco per contactum *virtutis, concedo;* per contactum *physicum, nego.* Undè, *nego consequens.*

causam adunantem ipsa; Deus autem non habet causam, quùm sit prima causa efficiens (q. 3, a. 7). » Oportet ergò dicere Deum non esse corpus.

(* Ex dictis inferre licet, post Angelicum Doctorem, Ens summè perfectum esse omninò simplex, id est immune ab omni compositione, sive logicâ, sive metaphysicâ, sive physicâ : « Quùm enim in Deo non sit compositio neque quantitativarum partium, quià non est corpus; neque compositio materiæ et formæ; neque in eo sit aliud natura et suppositum; neque aliud essentia et esse; neque in eo sit compositio generis et differentiæ, neque subjecti et accidentis; manifestum est quod Deus nullo modo compositus est, sed est omninò simplex (*Ibidem*). »

Hinc, circà Dei naturam errârunt *Gentiles*, qui formam corpoream Numini tribuerunt; *Anthropomorphitæ*, qui contenderunt Ens supremum, haud secùs ac hominem, habere pedes, brachia, oculos; *Pantheistæ*, qui Deum ab hac rerum universitate non esse distinctum, aut res mundanas ab essentiâ Dei manasse docuerunt. *)

ARTICULUS QUINTUS.

De Unitate : Deus vocatur unus; id est, æqualem sibi penitùs excludit.

I. Utrum et quo sensu Deus dicitur unus?

43. Duplici modo Deus potest esse unus; nam, ut vidimus in Ontologiâ (n. 37), duplex distinguitur unitas : una quidem *positiva*, *specifica* et *interna;* altera verò *numerica*, *externa* et *exclusiva*. Unitas positiva competit omni individuo, in quantùm est in se indivisum; in eo sensu, Petrus dicitur *unus* homo. Unitas negativa, quæ vocari solet « *unicitas*, » convenit Enti, quod aliud sibi *æquale* penitùs excludit; sic Deus, et ille solus, appellatur *unicus*. Porrò, duplex illa unitas essentiæ divinæ competit; nempè,

PROPOSITIO.

Deus, quùm sit immutabilis, æternus, immensus et simplex, non solùm est unus, sed etiam maximè unicus.

1°, Deus est *unus*, in Eo scilicet invenitur ea unitas interna et positiva, quam appellant etiam philosophi unitatem *simplicitatis*.

Probatur ex ipsâ *simplicitate* divinâ. — Deus est logicè, metaphysicè et physicè simplex; sed, ea simplicitas omnem divisionem excludit; ergò, Deus est unus. Quippè, ut jam multoties vidimus, Deus non continetur in genere, nec in specie; prætereà, distinctio realis inter Illius naturam et attributa, vel inter ipsamet attributa, existere nequit; et ideò perfectissima est et absoluta Dei unitas : « Il n'y a en (Dieu), ait sanctus Franciscus Salesius, qu'une très-simple infinie perfection, et en cette perfection qu'un seul très-unique et très-pur acte, ainsi, pour parler plus sainctement et sagement, Dieu est une seule, très-souverainement unique, et très-uniquement souveraine perfection; et cette perfection est un seul acte très-purement simple, et très-simplement pur, lequel n'estant autre chose que la propre essence divine, il est par conséquent toujours permanent et éternel (1). »

2°, Deus est *unicus*, videlicet sibi consortem habere non potest.

(1) *Traité de l'amour de Dieu*, l. II, c. II. « Tout ce qui est en (Dieu) n'est que luy-mesme; et toutes les excellences que nous disons estre en luy en une si grande diversité, elles y sont en une très-simple et très-pure *unité*. » *Ibidem*, c. I. — « Deus est maximè indivisus, ait sanctus Thomas, in quantùm neque dividitur actu, neque potentiâ secundùm quemcumque modum divisionis, quùm sit omnibus modis simplex. » *Sum. Theol., loc. cit.*, a. 4.

Probatur ex immutabilitate, æternitate, et præsertim *immensitate*. — Deus est immutabilis, æternus et immensus. Atqui, evidentissimè repugnat duo vel plura esse simul immutabilia, et æterna, et immensa. Ergò, Deus est maximè unicus. Major patet. Minor etiam est evidens. Ea scilicet attributa, ut diximus, prædicari nequeunt nisi de Ente infinito et summè perfecto. Sed, Ens infinitum et summè perfectum est maximè unicum, secundùm ea sancti Doctoris : « Deus comprehendit in se totam perfectionem essendi. Si ergò essent *plures dii*, oporteret eos differre. Aliquid ergò conveniret uni quod non conveniret alteri, et si hoc esset privatio, non esset simpliciter perfectus; si autem hoc esset perfectio, alteri eorum deesset. Impossibile est ergò plures esse deos. Undè et antiqui philosophi, quasi ab ipsà coacti veritate, ponentes principium infinitum, posuerunt unum tantum principium (*Loc. cit.*, q. 3). » Item, ens imperfectum non est immutabile, eò quod *augeri* potest; ens imperfectum non est æternum, eò quod non habet vitæ *plenitudinem;* ens imperfectum non est immensum eò quod præsentiam suam simul exhibere non posset entibus et spatiis infinitis, si existerent. Quùm autem unum ens sit absolutè perfectum, unum etiam est immutabile, æternum immensum. Unus igitur est Deus.

(* Aliud argumentum desumitur ex simplicitate. « Manifestum est enim, ait sanctus Doctor, quod illud undè aliquid singulare est hoc aliquid, nullo modo est multis communicabile : illud enim unde Socrates est homo, multis communicari potest; sed id, undè est hic homo, non potest communicari nisi uni tantum. Si ergò Socrates per id esset homo per quod est hic homo, sicut non possunt esse plures Socrates, ità non possent esse plures homines. Hoc autem convenit Deo : nam ipse Deus est sua natura. Secundùm igitur idem est Deus et hic Deus. Impossibile est igitur esse plures Deos (*Ibidem*). » *)

Ex *auctoritate*. — Centies in Libris Sacris hæc et alia similia legimus : « Audi, Israel, Deus noster Deus unus est (*Deuter.*, 6). » « Videte quod ego sum solus, et non sit alius Deus præter me (*Ibidem*, 32). » « Ego sum primus, et novissimus, et absque me non est Deus (*Isaï.*, 44). » « Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum (*Psal.*, 17). » « Deus tuus, Deus unus est (*S. Marc.*, 12). » « Nullus est Deus, nisi unus (*Ad Corinth.*, VIII). »

Itemque, Patres Ecclesiæ Dei unitatem unâ voce confitentur; imprimis, audi sanctum Cyprianum : « Unus omnium est Dominus Deus, ait; neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem : unus est mundi rector, qui universa, quæcumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat (*Litt.*). »

Sancta quoque Mater Ecclesia « credit in *unum* Deum; » et nuperrimè Concilium Vaticanum eamdem veritatem decreto solemni sanxit, dicens : « Si quis *unum* verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit. Anathema sit (1). »

Ergò, *ratione* simul tenendum est et *fide* credendum Ens a se, summè perfectum, immutabile, æternum, immensum et simplex, esse necessariò *unicum*.

(1) *Constit. dogm.*, can. 1, n. 1. — « Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, *unum* esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cœli et terræ, omnipotentem, *æternum, immensum*, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique *perfectione infinitum;* qui quùm sit *una, singularis, simplex omninò* et *incommutabilis* substantia spiritualis, prædicandus est re et essentiâ a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quæ præter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter *excelsus*. » *Ibidem*, c. 1.

CAPUT TERTIUM.

DE PANTHEISMO ET CETERIS ERRORIBUS CIRCÀ DEI NATURAM.

I. Quomodo dividitur caput tertium, de Pantheismo et ceteris erroribus circà Dei naturam?

44. Philosophi non pauci, tùm apud antiquos, tùm apud hodiernos, de *creatione* ex nihilo, vel de *coexistentiâ* Infiniti et finiti, vel etiam de *origine* boni et mali errantes, commenta docuerunt circà Dei *naturam*. Alii tenuerunt res omnes, et materiales et spirituales, aut saltem spirituales esse quasdam *evolutiones*, vel *emanationes* substantiæ divinæ; et ideircò, prolapsi sunt in *Pantheismum*. Alii verò dixerunt plura, aut saltem duo esse rerum principia, unum scilicet bonum, alterumque malum; et hi sunt *dualismi*, *tritheismi*, necnon *polytheismi* fautores. Adversùs errores hujusmodi tres sint articuli : 1^us^, De expositione pantheismi; 2^us^, De *confutatione* Pantheismi; 3^us^, De *dualismo*, et quibusdam aliis erroribus circà Dei *naturam*.

ARTICULUS PRIMUS.

De expositione Pantheismi.

II. Expone Pantheismum in genere.

45. De Pantheismo generatim inspecto tria recenseri debent : 1°, natura et *definitio;* 2°, *formæ diversæ;* 3°, *divisio* generalis.

(A) De naturâ et *definitione* Pantheismi. — *Pantheus*, e vocabulis πᾶν et θεὸς, erat apud gentiles quædam divini-

tas, attributis ceterorum deorum stipata; exindè, vox pantheismus usurpata fuit ad designandum systema eorum, qui perperam asserunt omnia, etiam opposita, concurrere ad unam substantiam generalem constituendam, aut res mundanas ab essentiâ Dei manare tanquam e fonte communi. Undè, pantheismus in genere definiri potest : *Systema* eorum, qui putant *universitatem rerum* esse *evolutionem*, vel *emanationem substantiæ divinæ*.

(B.) De diversis Pantheismi *formis*. — Pantheismus veterum et recentiorum formas penè innumeras induit (1); quæ tamen ad quatuor præcipuas revocari possunt videlicet ad *identitatem formalem*, *emanationem transeuntem*, *evolutionem immanentem* et *progressum infinitum*. Nam, alii, duce Spinosâ, contenderunt « unam eamdemque esse substantiam, » cujus *formæ* seu attributa sunt cogitatio et extensio; et talis est pantheismus *formalis*. Nonnulli autem dogma creationis *e nihilo* impugnantes, dixerunt res « finitas » « e divinâ substantiâ emanasse; » et hic est pantheismus *emanationis transeuntis*. Multi verò docuerunt omnia esse « manifestationem » et « evolutionem » Entis Absoluti; et ille est pantheismus *evolutionis immanentis*. Aliqui tandem dixerunt

(1) Voir le décret du Concile d'Agen, 1859, *De recentioribus circà naturam divinam erroribus*, tom. I, c. II. — « On s'est fait des dieux à sa guise; il s'en est produit de toute marque. Nous avons eu le dieu qui règne et ne gouverne pas..... Nous avons eu le dieu-idée : idéal absolu, échappant par sa nature même à toute définition... Nous avons eu le dieu-être : l'être qui est, mais qui n'existe pas... Il y a eu le dieu-progrès, le dieu-aspiration : le dieu qui est un immense avenir... Voisin et parent de celui-ci, il y a eu le dieu-monde, le dieu-cosmique : âme du monde, force secrète... Que dirai-je? Il y a eu le dieu-néant, le dieu-mal, le dieu-hostile, jaloux, tyrannique, oppresseur : je m'arrête. » DD. Pic, episcopus Pictaviensis, *Instruction synodale*, tom. VII, p. 206.

Deum esse quasi indefinitum, et indeterminatum; at, « sese determinando » et perficiendo, rerum universitatem constituit; et talis est pantheismus *progressûs infiniti* (1).

(C.) De Pantheismi *divisione* generali. — Quatuor pantheismi formæ revocari possunt ad duas *species* generales; undè, duplex est pantheismus, unus *absolutus*, alter *mitigatus*.

Pantheismus absolutus, qui dicitur etiam *immanens*, seu systema *evolutionis immanentis*, est error eorum qui contendunt omnia, sive materialia, sive spiritualia, reapsè non distingui ab Ente absoluto. Ille etiam pantheismus est duplex, unus *realis*, alter verò *idealis*.

Pantheismi mitigati fautores Deum quidem ab universitate rerum secernere connituntur; sed, creationis dogmate rejecto, perperam asserunt res mundanas ab essentiâ Dei emanasse; quapropter, illud systema vocari solet *emanatismus*.

III. Evolve Pantheismum præsertim ævi recentis.

(* 46. Omnia philosophorum commenta exhibere circà Dei naturam, inutile foret, imò fastidiosum; idcircò, summis tantum labiis veterum systemata delibare satis erit; *recentiorum* autem errores fusiùs exponere juvabit.

1°, Pantheismus *absolutus realis*.

Jam nonnulli, saltem apud Orientales, olim docuerant unam

(1) (* Nota : De pantheismi formis, ea scripsit Vaticanum Concilium : « Si quis dixerit, *unam* eamdemque esse Dei et rerum omnium *substantiam* vel essentiam; anathema sit. Si quis dixerit *res finitas*, tùm corporeas, tùm spirituales, aut saltem spirituales, e divinâ *substantiâ emanasse;* aut divinam essentiam sui *manifestatione* vel *evolutione* fieri omnia; aut denique Deum esse *ens universale* seu indefinitum, quod sese *determinando* constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit. » *)

esse substantiam, cujus omnia sunt modificationes et accidentia. Sed errorem hujusmodi sæculo XVII°, renovavit ac perfecit vir luctuosæ celebritatis, nomine Baruch Spinosa, qui, rejecto judaismo, nullam ampliùs religionem est adeptus.

Spinosa methodo Cartesii imbutus est, verumtamen a magistri doctrinâ recessit; nam pantheismum, qui materialismum et atheismum redolet, enixè propugnavit. Ejus systema tribus iis propositionibus exprimitur : I, *Unica est substantia;* II, *Duo sunt illius substantiæ attributa, cogitatio et extensio;* III, *Substantia hujusmodi quæ dicitur Deus, est infinita* (1).

Juxtà Spinosam, substantia infinita non distinguitur a *naturâ;* quapropter, eam vocat « *naturam naturantem,* » illiusque modificationes appellat « *naturam naturatam;* » et sic materialismo et atheismo præbet ansam. Aliundè, Spinosismus fatalismum gignit; etenim, quidquid evenit in mundo, ait Spinosa, necessitati absolutæ subjacet, quià modificationes essentiæ infinitæ necessariò producuntur.

2°, Pantheismus *absolutus idealis.*

Pantheismus *absolutus idealis* qui « absurditatis culmen attingit, » ut ait R. P. Tongiorgi, olim viguit et etiam nunc viget apud Indos (Lenormant); nam, in libris, quos nominamus *Vedas,* ea legere est : *Brahma* solus existit; cetera non sunt nisi

(1) « Le juif Baruch Spinoza ou Spinosa... naquit à Amsterdam en 1632..., il mourut à la Haye en 1677. » Tennemann, *Histoire de la Philosophie.* Illius opera sunt : *Ethica; Renati Descartes princip. philos. more geometrico demonstrata; Tractatus theologico-politicum; Annotationes; Cogitata metaphysica; Opera posthuma,* etc. — « Spinosa... étudia... la philosophie, spécialement celle de Descartes. » Tennemann. — « Per Deum, inquit, intelligo ens absolutè infinitum, hoc est, substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam et infinitam essentiam exprimit. » — « Spinosa fut amené à la théorie, *préparée par Descartes,* suivant laquelle il n'existe qu'une seule substance, Dieu, l'Être infini avec ses attributs infinis d'étendue et de pensée; toutes les choses finies étant de pures apparences, des déterminations ou modes de l'étendue infinie, et de l'infinie pensée. » Tennemann, tom. II, p. 105.

meræ illusiones; Brahma autem est æternus, purus, illimitatus et quasi indefinitus.

Item, apud Græcos, nonnulli e scholâ Eleatensi, præcipuè Xenophanes et Parmenides, ea docuerunt: *Ens* existit, illud enim cogitamus; quùm autem omnis creatio vel nova productio essentialiter repugnet, Ens existit ab æterno, ceteraque omnia non sunt nisi phænomena sine realitate; Ens etiam a cogitatione non differt: *quod enim cogitat*, et *quod cogitatur, unum et idem est.*

Prætereà, Neoplatonici, quorum systema vocatur *mysticismus philosophicus*, propter unionem arcanam et mysticam quæ, juxtà illos, existit inter Deum et animam, tria de Ente supremo tenuerunt: 1°, scilicet, nihil existit præter ideas, quin etiam, omnes ideæ particulares in ideis generalibus, necnon ideæ generales in ideâ universalissimâ Entis, tanquam in *unitate absolutâ* resolvuntur; undè nulla est realitas extrà ideam Entis universalem. 2°, Ab unitate absolutâ, quæ est indeterminata et indefinita, defluunt *intelligentia suprema*, *anima* et *materia*; iterùm ex animâ et materiâ defluit *orbis universus*, qui non est realis, sed tantùm apparens. 3°, Quemadmodùm omnia defluunt ab unitate absolutâ, velut a fonte communi; sic omnia, post aliquod tempus, in eadem unitate resorberi debent (1).

Illud systema parùm differt ab idealismo *progressistarum* ævi nostri, ut infrà videbitur.

Apud recentiores, Kantius, licet forsitan invitus, latissimam pantheismo viam aperuit; etenim, ille philosophus *realitatem objectivam* cognitionum rationis puræ in dubium revocavit; deindè, ut scepticismum fugeret, existentiam Dei comprobavit notione *officii*, quam nobis suppeditat ratio practica. Illius verò discipuli argumentum a ratione practicâ desumptum rejecerunt;

(1) Vacherot, *Loc. cit.* et *Métaphysique et science.* « (L'éclectisme alexandrin est) une *synthèse merveilleuse*, où cesse enfin le long divorce entre la raison et l'expérience, entre le monde intelligible et le monde sensible, où l'universel et l'individuel se confondent à tous les degrés de l'être dans la nature, dans l'âme, dans l'intelligence, dans la *suprême unité.* » T. III, p. 459.

et deinceps, ut gurgitem scepticismi vitarent, apertè docuerunt subjectum cogitans et veritatem cogitatam esse *unum* et *idem*.

(A.) Imprimis Fichte, ut transitum subjecti cogitantis ad objectum cogitatum faciliùs explicaret, asseruit *objectum* illud non esse distinctum a *subjecto*, quod vocatur τὸ *Ego cogitans*; ideoque, præter *Ego*, nihil existit, et omnia sive spiritualia, sive materialia, Deus, anima, mundus, non sunt nisi modificationes, formæ, determinationes subjecti hujus absoluti. — Τὸ *Ego*, quùm sit prædituм activitate infinitâ, quidquid existit creare debet; et primò quidem, ope cogitationis, seipsum producit, hoc judicium enuntians : *Ego* sum *Ego*. Et sic, per reflexionem seu conscientiam, subjectum assequitur notionem objecti. — Sed in hac evolutione, τὸ *Ego* quemdam obicem invenit, et sese limitat novum judicium enuntians; id est : τὸ *Ego* non est τὸ *non-Ego*. — Mox autem, propter activitatem suam, obicem hunc transgreditur, aliaque innumera procreat, v. gr. orbem physicum, et omnia quæ in eo continentur. — Denique, illud *Ego* cogitans apprimè dignoscit se esse prorsùs independens ab omnibus, et suam activitatem nullo limite contineri; omnia autem ab ipso pendent et in ipso identificantur.

Pantheismus hujusmodi jurè dicitur Idealismus *subjectivus* transcendentalis (2).

(2) « J. Gottlieb Fichte, né en 1762, à Ramenau en Lusace, mort à Berlin en 1814. » Tennemann, Bouillet. Hæc sunt præcipua illius opera : *Idée de la doctrine de la science; Principes fondamentaux de la doctrine de la science; Droit naturel; Système de morale; Destination de l'homme; Théorie de la religion*, etc. — « Moi est moi. Tel est le principe certain par lui-même de la philosophie et de tout savoir exprimant la forme nécessaire et le contenu nécessaire de la conscience. » Fichte; Cf. Tennemann, *Hist. de la philos.*, t. II, p. 267. « Le moi se pose absolument lui-même; il est l'agent et en même temps le produit de l'acte. » *Ibidem*. « Second principe, déterminé par le premier : Le moi n'est pas non-moi. » Tennemann, *Loc. cit.* « Le *moi absolu* est essentiellement et infiniment actif : cette activité n'est qu'un perpétuel besoin de produire, d'être cause de quelque chose. Avec ce besoin, le *moi* se lance dans un mouvement *illimité*. » Tennemann, *Ibidem*, p. 271 et 272.

(B.) Econtrariò, Schelling, ut nexum inter subjectum et objectum institueret, asseruit omnia non in τὸ *Ego absoluto*, sed in ipsamet *Identitate* absolutâ resolvi : « L'absolu, inquit, n'est ni infini ni fini, ni être ni connaître, ni sujet ni objet : c'est ce en quoi se confondent et disparaissent toute opposition, toute diversité, toute séparation, comme celle de sujet et d'objet, de savoir et d'être, d'esprit et de nature, d'idéal et de réel; c'est donc indivisiblement l'être et le savoir absolus, ou l'essence collective de tous deux. C'est l'absolue *identité* de l'idéal et du réel, l'absolue indifférence du différent, de l'unité et de la pluralité; c'est l'*un* qui est en même temps tout (*Archives philos.*) (1). »

Ens autem illud absolutum vi suæ activitatis seipsum manifestat, et duplicem ordinem producit, unum realem et alterum idealem.

In ordine reali,	In ordine ideali,
gignit gravitatem-materiam,	procreat veritatem-scientiam,
lumen-motum,	
organismum-vitam,	bonitatem-religionem,
denique hominem-mundum.	pulchrum-artem, et ultimò rempublicam-historiam.

Activitas quidem Entis absoluti diversa producit; sed cogitatio ejusdem Entis omnia comprehendit, et revocat ad unitatem ac identitatem perfectam.

Pantheismus ille meritò dicitur *objectivismus* idealis, systema *identitatis* absolutæ, vel etiam *naturalismus* transcendentalis.

(C.) Hegel, aliâ viâ procedens, ad eumdem scopum pervenit;

(1) « Fréd.-Guill.-Joseph de Schelling, né en 1775 à Leonberg (Wurtemberg), mourut en 1854. » Tennemann, Bouillet. Præcipua ejus opera sunt : *Idées pour établir une philosophie de la nature : De l'âme du monde; Premier plan d'un système de phil. de la nature; Système de l'idéalisme transcendental; De la Méthode; Dialogue; Philosophie et religion; Recherches philosophiques*, etc. « (Fichte) place au sommet de son système le *moi* sujet-objet, Schelling part de l'*absolu*. » Tennemann.

nam, juxtà illum, unio subjecti et objecti non est reponenda in τὸ *Ego* absoluto, neque in *Identitate* absolutâ, sed in *Ideâ* absolutâ. Quæque scripsit ille philosophus de *Deo-Ideâ* reduci possunt ad quatuor principia :

Primum principium : Nihil existit præter Ideam absolutam; in eâ enim continentur subjectum et objectum, logica et natura, concretum et abstractum; imò, subjectum et objectum sunt unum et idem; undè : « Quidquid est *rationale,* est etiam *reale;* et quidquid est *reale,* est etiam *rationale* (1). »

Secundum principium : Idea absoluta non est finita nec infinita, non est singularis nec universalis; finitum enim et infinitum, singulare et universale sese mutuo destruunt, quia finitum est negatio infiniti, et infinitum negatio finiti; unitas excludit pluralitatem, et pluralitas excludit unitatem. Imò, Idea non est magis ens quam nihilum; nam, ens et nihilum sunt correlativa, et etiam : « Ens et nihilum identificantur; l'être et le néant sont identiques. »

Tertium principium : Ex dictis constat Ideam absolutam esse « *indefinitam,* » « *indeterminatam,* » seu potius, *Deus-Idea* est « *Ens-nihilum;* » vel etiam, « τὸ *Fieri* absolutum; » « Il est le perpétuel *Devenir.* » « Propterea, *Deus est in fieri.* Formula hæc est compendium hegeliani delirii. »

(1) Georges-Guill.-Frédéric Hegel, né à Stuttgard en 1770, mourut en 1831. » Tennemann, Bouillet. Ecce præcipua Hegelii opera : *Logique; Phrénologie de l'esprit; Différence de Fichte et de Schelling; Encyclopédie des sciences philosophiques; Esthétique; Philosophie du droit, de la nature, de l'histoire,* etc. « Hégel rejeta l'*intuition* intellectuelle de la philosophie de la nature, et s'attacha à faire de la philosophie une connaissance intelligible au moyen de la *dialectique.* » Tennemann, t. II, p. 347. « L'élément de la logique réside dans l'unité du subjectif et de l'objectif; cette unité est le savoir absolu auquel l'esprit s'élève comme à sa vérité absolue, laquelle consiste en ce que l'*idée* pure est seule la vraie *existence.* » Tennemann, p. 348. — « Hégel a posé ce principe mémorable (post philosophos e scholâ Eleatensi) : Ce qui est rationnel est réel, et ce qui est réel est rationnel. » Tennemann, p. 348.

Quartum principium : Ratione *progressûs* et vi suæ activitatis, τὸ *Fieri* sese determinat, suique manifestatione constituit universa, quæ triplicem ordinem constituunt : *logicum*, *naturalem* et *intellectualem* (1).

In ordine *logico*, Idea manifestatur per abstractionem, dialecticam et speculationem.	In ordine *naturali*, Idea manifestatur ope cujusdam extrà seipsam *egressûs*.	In ordine *intellectuali*, Idea manifestatur ope cujusdam ad seipsam *regressûs*.

Ex ordine intellectuali defluunt *genus humanum*, libertas, jus, moralitas, historia, politica; hæc autem omnia minimè discrepant ab Ideâ absolutâ; nam, in eâ identificantur.

Vetustissimus hujusmodi pantheismus, quem olim Parmenides, e scholâ Eleatensi, et Plotinus, inter neoplatonicos celeberrimus, enixè propugnârunt, apud Germanos hodiernos enixè propugnatus est. In Gallià etiam, E. Renan, qui modò atheismum, modò pantheismum, modò nescio quid aliud admittit, systema hegelianum non semel approbat; audi potiùs illum dicentem, « Dieu est *immanent*, non-seulement dans l'ensemble de l'univers, mais dans chacun des êtres qui le composent. Seulement, il ne *se connaît* pas également dans tous. Il se connaît plus dans la plante que dans le rocher, dans l'animal que dans la plante, dans l'homme que dans l'animal. Voilà la thèse fondamentale de toute notre théologie. Si c'est bien là ce qu'a voulu dire Hégel, soyons Hégéliens (2). »

(1) « La philosophie se divise 1°, en *logique*, considérée comme la science de l'idée en soi; 2°, en philosophie de la *nature*, considérée comme la science de l'idée, en tant que celle-ci se représente en dehors; 3°, en philosophie de l'*esprit*, en tant que l'idée, en se représentant au dehors, rentre en elle-même. » Tennemann, p. 347.

(2) *Revue des Deux-Mondes*, 1863. Non aliter sapiunt in Oceaniâ pauperculi sylvicolæ : « Il était, aiunt : Taaroa était son nom; il se tenait

Progressistæ, vulgò dicti Saint-Simon et Fourier, necnon idealista Vacherot, pantheismum absolutum amplexi sunt : « L'infini est réel, ait Vacherot, il est vivant dans l'univers, dans le monde de la Nature et de l'Esprit. » Ii verò philosophi deliria Germanorum respuunt, et quasi medium tenent inter Spinosam et Hegelium (Cf. D. Caro, *l'Idée de Dieu*).

3°, De Pantheismo *mitigato*, qui dicitur *Emanatismus*.

Emanatismi vestigia reperimus apud Indos et Persas; gnostici verò, et præcipuè Valentinus, sæculo II°, pantheismum hujusmodi expressè docuerunt. Juxtà eos, in principio, ens unicum erat, cui nomen *Abyssus*. — Cetera omnia prodierunt ex Abysso per *emanationem*. — Abyssus tandem, mediante principio secundario, nomine *Demiurgo*, mundum produxit.

Sæculo XI°, Scotus Erigena; Amalricus Carnutensis et David a Dinando, sæculo XIII°; Jordanus Bruno, sæculo XVI°, et quidam alii pantheismum mitigatum professi sunt.

Ætate præsenti, scholam eclecticam a notâ pantheismi, saltem mitigati, vix purgare possemus. Etenim, imprimis Victor Cousin non semel asseruit Deum esse omnia, finitum et infinitum, unitatem et pluralitatem, tempus et spatium, essentiam et vitam (1). Aliundè, creationem e nihilo apertè rejecit; sic se habet : « Il faut abandonner la définition que *créer*, c'est tirer

dans le *vide*. Point de terre, point de ciel, point d'homme. Taaroa appelle; mais rien ne lui répond; et, seul existant, il se change en l'univers. Les pivots sont Taaroa, les *rochers* sont Taaroa, les sables sont Taaroa. C'est ainsi que lui-même s'est nommé. Taaroa est la clarté; il est le germe; il est la base, il est l'incorruptible, le fort qui créa l'univers, l'univers grand et sacré, qui n'est que la coquille de Taaroa : c'est lui qui le met en mouvement et en fait l'harmonie. » De Quatrefages, *Les Polynésiens*.

(1) « Dieu est à la fois un et plusieurs, éternité et temps, espace et nombre, essence et vie, individualité et totalité, principe, fin et milieu, au sommet de l'être et à son plus humble degré, infini et fini tout ensemble, triple enfin, c'est-à-dire à la fois Dieu, nature et humanité. En effet, si Dieu n'est pas tout, il n'est rien. » Cousin, *Fragments philosophiques*, t. I, p. 76.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

du *néant.* » Itemque, Saisset, Jouffroy, Janet, Ravaisson, et alii non pauci ambiguè loquuntur de creatione *ex nihilo.*

Attamen, præfati auctores pantheismum absolutum enixè respuunt, ut videre est in eorum operibus. Quùm autem fieri non possit ut notio creationis e nihilo rejiciatur, quin emanatismus, seu productio rerum e substantiâ Dei, necessariò propugnetur, difficile est Victorem Cousin et quosdam alios rationalistas ævi nostri a pantheismi labe penitùs expurgari.

Inter progressistas, Petrus Leroux pantheismum absolutum, quem ipsi Saint-Simon et Fourier apertè confessi sunt, rejiciendum esse putavit; prolapsus est autem in emanatismi errorem. Quippè, tenuit Deum esse personalem, et omnia quæ in mundo sunt a Deo distingui; sed, creatione rejectâ, docuit hominem et aspectabilem rerum universitatem e divinâ substantiâ emanasse.

Talis est error ille pantheismi, quem recentiores a veteribus Indis et Græcis mutuati sunt. *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De confutatione Pantheismi.

I. Quomodo confutatur Pantheismus?

47. Etsi Pantheismus confutatione non egeat, ut appareat ex ejus expositione, sit tamen sequens

PROPOSITIO.

Pantheismus in genere, cùm absolutus, tùm mitigatus, evidenter falsus est atque perniciosus

Probatur ex ipsâ pantheismi *fortunâ;* ex hominum *sensu* communi; e *principiis* et *methodo* sanæ philosophiæ; e lugendis pantheismi *consectariis;* et ultimò tandem e *solutione objectorum*, quæ ab adversariis afferuntur. Ergò, certa est propositio.

1°, E pantheismi *fortunâ*. — Ea fuit pantheistarum dissensio, ut tot ferè prodierint systemata, quot homines. Imò, apud gentes excultas, error iste, nisi ad tempus, vigere non potuit. Ità, Scotus Erigena, Abælardus, Amalricus Carnutensis et David Dinantius nullos aut paucos sectatores habuerunt. Ipse Spinosismus mox evanuit (1).

Ætate quidem præsenti, pantheismus ubique in Germaniâ, Belgio, Italiâ, Galliâ et Angliâ, grassatus est; ità ut philosophus egregiæ notæ ea scribere potuerit : « Qui profectò error adeò hac nostrâ ætate pervagatus est, tamque latas quaqueversùs egit radices, ut non solùm scientias metaphysicas, sed etiam morales, physicas, physiologicas, imò et historiam, litteras et artes immane quantùm deturparet (Sanseverino). » Paucis autem abhinc annis, pantheismi fautores præcipui e vivis sublati sunt, aut ad meliorem frugem se receperunt, eorumque systema jam in contemptionem venit, et ipse Germanus Schopenhauer opportunè scripsit : « Le panthéisme est tombé si bas et a conduit à de telles platitudes, qu'on est arrivé à l'exploiter pour en faire un moyen de vivre soi et sa famille. La principale cause de cet extrême aplatissement a été Hégel, tête médiocre, qui, par tous les moyens connus, a voulu se faire passer pour un grand philosophe, et est arrivé à se poser en idole devant quelques très-jeunes gens d'abord subornés,

(1) Sæculo XVI° atheismum probabilius docuit Vanini : « L'athéisme paraît avoir été soutenu par Vanini, né en 1596, brûlé à Toulouse en 1619. Sa doctrine qui n'a rien de bien remarquable, s'appuyait sur divers principes puisés dans les écrits d'Averroës, de Pomponat et de Cardan. » De Salinis et de Scorbiac, *Précis de l'histoire de la Philosophie*, p. 319. — Tunc verò temporis pantheismus vix unum sectatorem annumeravit.

et maintenant à jamais bornés. De tels attentats contre l'esprit humain ne restent pas impunis. » Proindè, ut alibi dictum est, pantheismo successit atheismus, qui mox aliis erroribus locum cedet; quippè, sola veritas manebit in æternum.

2°, Ex hominum *sensu communi.* — Hominum sensus communis pantheismum respuit. Ecquis sanâ mente putaret se esse Deum; omnia unam et eamdem esse substantiam; lapides, plantas, porros, cæpas, animalia esse partes supremi Numinis? Ecquis dicere vellet bonum et malum, vitium et virtutem, materiam et spiritum non esse nisi modificationes, aut evolutiones ejusdem Entis Infiniti (1)? Sed, hominum consensio, in re tanti momenti, lex naturæ putanda est; ergò, pantheismi falsitas ex hominum sensu communi refellitur.

3°, E *principiis* et *methodo* sanæ philosophiæ. — Pantheistæ diruunt *principia* fundamentalia non solùm philosophiæ, sed omnium scientiarum. Primò quidem apertè rejiciunt principium *contradictionis;* nam, juxtà eos, Deus est simul finitus et infinitus, necessarius, et contingens, immutabilis et mutabilis, imperfectus et perfectus, bonus et malus.

Secundò, pantheistæ præsertim Germani nullam distinctionem agnoscunt inter subjectum cogitans et veritatem cogitatam, seu inter ordinem *logicum* et ordinem

(1) Suis-je moins intimement, moins nécessairement, moins évidemment convaincu que moi et un autre homme, ou, si vous voulez qu'une roche et mon âme ne sont pas la même substance, que je suis convaincu que trois et quatre ne sont pas le même nombre? On peut dire à ce sujet tant de verbiage qu'on voudra, par méthode géométrique; mais tout cela ne fera pas changer de nature à ce qui s'appelle raison et *sens commun.* » Buffier, *Exposition des preuves les plus sensibles de la religion,* n. 28.

realem; nempè, docent post Parmenidem, « id quod cogitat, et id quod cogitatur esse *unum* et *idem;* » aut etiam, asserunt « omne ens *rationale* esse *reale*, et omne ens *reale* esse *rationale*. » Quùm autem lapides, corpus, materiam et alia similia cogitemus, sequitur, secundùm pantheismi doctrinam, cogitationem esse lapidem, corpus, materiam; quod sane rationi contradicit.

Quoad *methodum*, pantheistæ ordiuntur ab *assertionibus* merè *gratuitis;* deindè, contexunt *a priori* scientiam *hypotheticam* et *arbitrariam*, quæ scatet omni genere *sophismatum* et *contradictionum*.

Imprimis, Baruch Spinosa, qui jure dicitur pater et instaurator pantheismi recentis, proficiscitur ex ambiguâ substantiæ notione; nam, per substantiam nihil aliud intelligere videtur, nisi ens *a se*, necessarium et infinitum, quod ab alio *concipi* non potest. Exindè, concludit unam et eamdem esse substantiam in omnibus, quia Ens a se, quod ab alio *concipi* nequit, est unicum. Hæc autem Spinosæ methodus *petitione principii* nititur.

Itemque, Germani Fichte, Schelling, Hegel et alii falsò contendunt τὸ *Ego* absolutum, *Identitatem* vel *Ideam* absolutam esse omnia; quapropter, ut aiunt, Deus, anima, mundus, materia, corpus, extensio, spiritus, sunt evolutiones ejusdem του *Ego* absoluti, Identitatis vel Ideæ absolutæ. Ea verò theoria transcendentalis et a priori non solùm haberi potest ut *hypothesis* merè gratuita; sed etiam dici debet « *dogmatismus effrenatus*, » qui scatet omni contradictionum et sophismatum genere. Ergò, pantheismus omninò contradicit principiis et methodo sanæ philosophiæ.

4°, E lugendis pantheismi *consectariis*. — Pantheismus ad *atheismum* propellit, et evertit *morum principia;* ergò, *perniciosus* est et *rejiciendus*.

Primò, pantheismus ad atheismum propellit; imò, habendus est ut atheismus « fucatus. » Nam, hujus erroris fautores immutabilitatem, simplicitatem ac unitatem Deo denegant; sed, attributa hujusmodi sunt Deo essentialia, ut vidimus; ergò, pantheismus est negatio Dei saltem *indirecta*.

Ipsi pantheistæ fatentur Ens summè perfectum, quod distinguere volumus a rerum universitate, non esse nisi « *categoriam* idealem. » Undè, solo sermone discrepant ab atheis.

Secundò, pantheismus evertit morum *principia;* si enim omnia sint evolutiones vel emanationes *necessariæ* substantiæ divinæ, notiones *libertatis*, juris et officii, vitii et virtutis, justi et injusti, mercedis et pœnæ concipi nequeunt; et idcircò morum fundamenta diruuntur. Ipse Spinosa tales consequentias e suo systemate deduxit, dicens : « Le droit naturel n'est autre chose que les lois de la nature de chaque individu selon lesquelles il est déterminé à agir d'une certaine manière.... Or, tout ce qu'un être fait d'après les lois de sa nature, il le fait à bon droit, puisqu'il ne peut agir autrement..... Donc, quiconque est censé vivre sous le seul empire de sa nature a droit absolu de convoiter tout ce qu'il juge utile, qu'il soit porté à ce désir par la saine raison ou par la violence des passions; il a le droit de se l'approprier de toute manière, par force ou par ruse; par conséquent, de tenir pour ennemi celui qui veut l'empêcher de satisfaire ses désirs (*Tractatus Theol. politic.*). »

Non solùm *theoreticè*, sed etiam *practicè* pantheismus ad exitiales hujusmodi consequentias duxit; nam, ut afferamus exempla, pantheistæ Saint-Simon, Fourier et Leroux in Gallià, Guillelmus Marr in Helvetià (1), Fer-

(1) Germanus G. Marr, qui socialismum in Helvetià disseminavit, e

rari et Franchi in Italiâ *socialismum* e pantheismo deduxerunt.

II. Solve difficultatem, quæ sumitur e mysterio coexistentiæ finiti et infiniti.

(* 48. E falsis notionibus *Creationis* et *Infiniti* oriuntur præcipua objecta, quibus pantheistæ, cum ipsis atheis, sanam theistarum doctrinam impugnare connituntur. Nempè, per creationem intelligunt eductionem substantiæ ex nihilo tanquam e causâ præeunte, et sic argumentari solent, duce Parmenide : E nihilo nihil fit; ergò, quidquid existit est evolutio vel emanatio substantiæ Dei. Jam semel et iterùm ea difficultas hoc modo soluta est :

Resp. *Distinguo antecedens :* ex nihilo, tanquam e causâ materiali, nihil fit, *concedo;* ex nihilo, id est, nullâ materiâ præeunte, *subdistinguo :* nihil fit, deficiente causâ efficienti *infinità, concedo;* virtute causæ efficientis *infinitæ, nego.* Undè, *nego consequens.*

Prætereà, sicut et athei, pantheistæ per Infinitum designant Ens, quod *extensivè* et *numericè* continet in se omnium rerum *complexionem;* ideoque, juxtà illos, *infinitas* non exprimit *plenitudinem perfectionis,* sed *universalitatem rerum.* Hinc objectio famosa :

Ens infinitum est omnia, vel nihil est; Deus igitur omnia complecti debet, vel non existit.

Resp. *Distinguo antecedens :* Ens infinitum est omnia, scilicet *plenitudinem* perfectionis involvit, *concedo; universalitatem* re-

pantheismo ad atheismum perrexit eaque scribere non est veritus : « La foi en un Dieu *personnel* et *vivant* est l'origine et la cause fondamentale de notre misérable état social. » Et etiam : « L'idée de Dieu est la clef de voûte de la civilisation vermoulue; détruisons-la... Point de salut sur la terre, tant que l'homme tiendra au Ciel par un fil... Apprenons à l'homme qu'il n'y a pas d'autre Dieu que lui-même, qu'il est l'alpha et l'oméga de toutes choses, l'être supérieur et la réalité la plus réelle. » Cf. E. Naville, *Le Père céleste*, p. 121.

rum in se continet, *nego. Distinguo* pariter consequens : Deus omnia complectitur, *eminenter* et excellenti modo, *concedo; formaliter* et numericè, *nego.* Deus enim, ut vidimus, dicitur infinitus, quià omnes perfectiones sine *limite* possidet; ea autem infinitas nequaquam designat illud monstrum, quod esset, in sensu pantheistarum, complexio finiti et infiniti, spiritûs et materiæ, boni et mali, virtutis et vitii.

Eadem difficultas his verbis apud nonnullos pantheistas exprimitur : Infinitum augeri nequit; sed, substantia infinita, quæ differret a rebus mundanis, posset augeri, videlicet *additione* finiti; necesse est igitur ut una et eadem substantia sit in omnibus.

Resp. *Distinguo minorem :* Substantia infinita augetur additione finiti, quoad *numerum, concedo;* quoad *perfectionem, nego.* Id est, creatione semel effectà, *plura* sunt *entia*, sed non est *plus entis*, quià Deus, omnis limitis expers, habet in se quidquid perfectionis reperitur in universitate rerum; ideò, neque major, neque minor dici potest antè vel post creationem.

Ultimo tandem quæritur a pantheismi fautoribus quomodò substantia infinita, immensa, immutabilis, alia entia secum admittere possit.

Respondetur : 1°, etiamsi *mysterium coexistentiæ* Infiniti et finiti non posset explicari, nihil indè sequeretur contrà thesim nostram; evidens est enim omnem pantheismum rectæ rationi omninò contradicere; atqui, secundùm effatum in scholis pervulgatum, *clara non sunt neganda propter obscura.* 2°, Nihil obstat quominùs Infinitum et finitum coexistere possint; nam, ut ait Suarezius, infinitas Dei non est infinitas « *multitudinis*, sed *intensiva* entis; » id est, plenitudo entis. « Et ideò, inquit idem philosophus, non tollit quin possint esse alia entia, a quibus distinguatur Deus, hoc ipso quod Deus est infinitus, alia verò finita : ille est a se, alia ab ipso (1). »

(1) *De Deo, Loc. cit.*, n. 8. — « Dieu est, et rien n'est que par lui Donc, de même que la permanence non successive de sa vie *coexiste* à tous les instants de la durée de ses créatures changeantes, de même

Sequens enim propositio nullam contradictionem involvit : Coexistunt entia, e quibus Unum, *personale* quidem, est a se, necessarium, infinitè perfectum; alia verò sunt creata, contingentia, undequaque limitata. Econtrariò, in hac propositione contradictiones pullulant : Unum est ens *impersonale*, omnia, sive spiritalia sive materialia, bona et mala, justa et injusta, lapides, plantas et animalia complectens. *)

ARTICULUS TERTIUS.

De Dualismo et quibusdam aliis erroribus circà Dei naturam.

III. Quid dicendum de Dualismo?

(* 49. Præter illam pantheismi luem, quæ, ineunte sæculo XIX°, ubique grassata est, portentosa quoque *polytheismi*, *tritheismi* et *ditheismi* seu *dualismi* systemata prodière. Polytheismus de quo fusiùs in primâ parte diximus, est error eorum qui plures esse Deos opinantur. Rationi evidentissimè repugnat; nam, unicum esse debet Ens infinitum, æternum, immensum et simplex.

Nonnulli, tritheistæ dicti, Personas in Trinitate ab ipsâ Naturâ non secernentes, docuerunt tres esse Deos; error autem hujusmodi non solùm fidei, sed etiam rectæ rationi contradicit, unitatem enim substantiæ divinæ rejicit.

Ditheismus tandem est systema eorum, qui *duplex* admittunt principium, unum a quo *bona* procedunt, et alterum a quo *mala* sumunt exordium. Error ille *dualismus*, vel etiam *manichæismus* appellari solet.

Dualismus, sicut et ipse polytheismus, tollit unitatem divinam; et idcircò rejiciendus est. Quùm autem fautores hujus systematis fucosam difficultatem, ab *origine boni* et *mali* desumptam, afferre soleant, ut Dei unitatem validius impugnent, eorum *placita* recensere, et *objecta* explodere libet.

la simplicité absolue de son être *coexiste*, par une présence aussi certaine qu'incompréhensible, à tous les points de leur extension. » A. de Margerie, *Loc. cit.*, p. 309.

1°, Dualistarum *placita* recensentur. — A maximâ antiquitate dualismi vestigia reperiuntur apud Chaldæos et Assyrios, Syros, Phœnices et Carthaginienses, Ægyptios et Pelasgas. Multi tamen opinabantur unum ex his duobus principiis alteri præstare; sic, ut exemplum afferatur, juxtà Pelasgas, primariò tantùm aderat *Chaos;* mox autem produxit *Tellurem,* « quæ genuit *Cœlum,* et ex ipso peperit Titanas, « inter quos eminuit Saturnus. »

Zoroastres expressè docuit, post Persas veteres, duplex esse principium, *Ormuzd* seu principium bonum, et *Ahriman* seu principium malum; utrumque verò procedit a quodam ente supremo, cui nomen *Zervanes-Akerena.*

Manes, qui Manichæus quoque dicitur, e Perside oriundus versùs annum 240, dualismum ad tria puncta revocavit : 1°, Duo sunt principia, unum a quo *bona* procedunt, et alterum a quo *mala* dimanant; 2° Duo hæc principia sunt æterna, et a se invicem minimè pendent; 3°, Principium malum semper necessarioque dimicat adversùs principium bonum, et omnia, quæ defluunt ab illo, divexare non cessat. Ad rem sanctus Augustinus scitissimè scripsit : « Manes duo principia inter se diversa et *adversa,* eademque *æterna* et *coæterna,* hoc est semper fuisse, composuit; duasque naturas, atque substantias, boni scilicet et mali, sequens alios antiquos hæreticos, opinatus est (*De Hæresib.* 46). »

Sæculo XVII°, scepticus Bayle, « nebularum seminator, » ait Manichæismum non esse verum, nec falsum; non est verus, quià rationi repugnat duo principia, unum bonum alterumque malum, simul existere; sed non est falsus, quià difficultates a Manete allatas solvere nequimus.

2° *Objecta* dualistarum exploduntur. — Ex dictis facilè evincitur dualismus; quippè, ut vidimus, primum principium est infinitum, immensum, simplex et unum; sed, impossibile est admittere duo principia hujusmodi; si enim duo vel plura essent rerum principia, « aliquid conveniret uni quod non alteri, » et sic neutrum dici posset infinitum et necessarium; ergò, manichæismus rationi contradicit.

Objic. Est malum in mundo ; sed, malum procedere nequit nisi a principio malo; ergò, existit principium malum.

Resp. : *Distinguo majorem :* est malum in mundo, nempe *negatio* boni, *concedo; entitas* autem essentialiter mala, *nego.* Ideoque, manichæismi fundamentum est petitio principii; nam, illius systematis fautores asserunt malum esse aliquod ens, essentialiter distinctum a bono. Sed, econtrariò, ut docent ferè omnes philosophi, malum ut sic, est privatio cujusdam perfectionis debitæ; quocircà non est ex se entitas, sed mera negatio. Undè *nego minorem,* donec probetur; et *nego* pariter *consequens.*

Inst. Probatur minor : Effectus malus a principio bono procedere nequit; ergò, malum nonnisi a principio malo sumit exordium.

Resp. *Distinguo antecedens :* effectus malus non potest *immediatè* et *directè* a principio bono procedere, *concedo; mediatè* et *indirectè; nego.* Deus enim, quùm sit essentialiter bonus, non potest ex se quemdam effectum malum producere; sed, nihil impedit quin nobis largiri queat *liberum arbitrium,* ex cujus *abusu* malum oriatur. Undè, *nego consequens.*

Inst. Probatur antecedens : Effectus malus etiam mediatè et indirectè a principio malo procedere debet; etenim : causa *causæ* est causa *effectûs,* seu « *causati,* » ut aiunt; ergò, principium a quo libertas, et exindè libertatis effectus procedunt, est ens quoddam essentialiter malum (1).

Resp. *Distinguo antecedens :* causa causæ est causa effectûs, quandò effectus *necessariò* producitur, *concedo;* quandò *liberè*

(1) Huic difficultati responsum dedit sanctus Thomas dicens : « Effectus causæ mediæ procedens ab eâ, secundùm quod subditur ordini causæ primæ, reducitur etiam in causam primam, sed si procedat a causâ mediâ, secundùm quod exit ordinem causæ primæ, non reducitur in Dominum, ut in causam primam : sicut si minister faciat aliquid contrà mandatum domini, hoc non reducitur in dominum sicut in causam. Et similiter peccatum, quod liberum arbitrium committit contrà præceptum Dei, non reducitur in Deum sicut in causam. » *Sum. Theol.,* 1ª 2æ, q. 79, a. 1, ad 3um.

producitur, *subdistinguo :* quoties effectus a primâ causâ *intenditur, concedo ;* quoties non intenditur, sed solummodò *permittitur*, iterùm *subdistinguo :* si effectus malus permittitur *sine ratione* sufficiente, *concedo ;* si *adest ratio* sufficiens, *nego.* Id est, Deus, liberum arbitrium hominibus largiendo, non intendit malum ex abusu liberi arbitrii profuturum ; sed, ex dono suæ munificentiæ, hanc sanam libertatem nobis concedit, ut copiosam mercedem promereri valeamus (S. Cyrill.).

Ex dictis, operæ pretium est eam conclusionem inferre : sophismata, quibus Manichæi, pantheistæ et alii similes, falsa de Dei naturâ propugnare nituntur, veritatem haud parùm corroborant ; quis enim commentum illud a Manete, Spinosâ, Fichte, Schelling, Hegel et eorum asseclis in lucem editum, Deo infinito, immutabili, æterno, immenso, simplici et uno, pluris facere vellet (1)? *)

(1) « Toute doctrine qui explique autrement que par la création la coexistence de Dieu et du monde altère la notion de l'un et de l'autre : le dualisme, en imaginant une matière éternellement indépendante de Dieu dans le fond de son être, le panthéisme plus encore, en concevant le monde comme substantiellement identique à Dieu... Le panthéisme considéré en lui-même, est destructif de toute morale. .; il est métaphysiquement *absurde* et contradictoire... Considéré dans ses développements historiques, il aboutit... à l'*athéisme.* » A. de Margerie, *Théodicée*, t. II, p. 350.

TERTIA PARS THEODICEÆ

DE

VITA DEI.

I. Quomodo dividitur tertia pars, de vitâ Dei?

50. In Deo, ut jam multoties vidimus, *esse*, *natura* et *vita* non differunt distinctione reali; verumtamen, secundùm nostram concipiendi rationem, hæc tria de Deo inquirimus : 1°, *Utrùm existat;* 2°, *Quid sit;* et 3°, *Quid agat.* Id est, primariò Dei *existentiam* comprobamus; deindè *naturam* Ejus, et attributa absoluta, quibus hæc natura conflatur, investigat intellectus; et ultimò tandem *vitam* divinam et actus, quibus vita hujusmodi exercetur, detegere tentamus. Porrò, vita Dei spectari potest vel *in ipso* Deo, vel *extrà* Deum; Deus enim in seipso vivit, et extrà seipsum operatur. Undè, duo erunt capita, quibus accedet appendix : I, *De vitâ Dei ad intrà;* II, *De vitâ Dei ad extrà;* appendix, *De Dei definitione.*

CAPUT PRIMUM.

DE VITA DEI AD INTRA.

II. Quomodo dividitur caput primum, de vitâ Dei ad intrà?

51. Dicendum est *quænam* sit vita divina et quibus

actibus exerceatur; undè, tres articuli : 1^us^, *De naturâ* vitæ divinæ; 2^us^, *De intellectu* divino; 3^us^, *De voluntate* divinâ.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura vitæ divinæ.

III. Quænam est vita divina?

52. Indubium est Deum vivere; quippè, vita est perfectio; sed, quænam sit natura vitæ divinæ? Ad solutionem hujus quæstionis, sit sequens

PROPOSITIO.

Ens summè perfectum vitâ intellectuali, cujus imaginem in homine comperimus, excellenti modo fruitur.

Probatur ex *naturâ humanâ*. — Videlicet, Ens infinitum perfectiones rerum contingentium, modoque superexcellenti, possidet; secùs enim non esset summè perfectum, neque dici posset prima omnium Causa, seu ratio sufficiens. Sed, vita intellectualis, quam in homine comperimus, est *ex se* perfectio *simplex;* ergò, Deus vitâ intellectuali superexcellenti modo fruitur (1).

Patet major. — Minor probatur. — Id per quod homo convenit cum aliis animantibus, ut esse corpus materiale, vegetativum et sensitivum, imperfectionem denotat; undè, non potest de Deo prædicari nisi per remotionem, id est, remotâ imperfectione. Id autem per quod homo

(1) « Quidquid est entitatis et bonitatis in creaturis, totum est a Creatore : imperfectio autem non est ab Ipso, sed accidit ex parte creaturarum, in quantùm sunt ex nihilo. Quod autem est causa alicujus, habet illud excellentius et nobilius. Undè oportet quod omnes nobilitates omnium creaturarum inveniantur in Deo nobilissimo modo, et sine aliquâ imperfectione. » S. Thomas, I *Sent.*, dist. II, q. 1, a. 2, sol.

distinguitur a ceteris animantibus, videlicet esse vivens *rationale*, *in se* non includit imperfectionem; nam, etsi vita rationalis in homine sit limitata, nullam tamen imperfectionem denotat, si spectetur *in se*, seu in suo conceptu; ideoque, dicitur perfectio simplex. Sed, necesse est ut Deus has perfectiones *formaliter* et absolutè possideat; aliter enim aliqua perfectio deficeret in causâ, quæ tamen adesset in effectu. Deus igitur verè et perfectè fruitur vitâ intellectuali, cujus imaginem et « adumbrationem » in homine conspicimus.

Probatur ex *naturâ vitæ intellectualis*. — Vita rationalis est perfectior aliis vitæ gradibus, seu constituit summum vitæ gradum. Porrò, quidquid summum vitæ gradum constituit, in Deo reperitur. Ergò, Deus maximè et perfectè vivit, vitâ scilicet intellectuali eaque excellentissimâ. Vita enim, ut alibi diximus, est activitas substantialis per quam ens seipsum movet, aut operatur; ità ut ex se, sine auxilio agentis extrinseci, finem suum assequi valeat. Ad rem sanctus Thomas : « Vivum, ait, non est prædicatum accidentale, sed substantiale. » Et : « Vivere dicuntur aliqua secundùm quod operantur ex seipsis, et non quasi ab aliis mota (*Sum. Theol.*, I, q. 18, a. 2 et 3). » Gradus autem diversi reperiuntur in viventibus. Alia scilicet, ut vegetalia, omni cognitione destituuntur, et naturæ viribus inconsciis moveri debent, ut finem suum obtineant. Gradu superiori exstant animalia irrationalia, quæ secundùm impressionem per sensum acceptam seipsa movent; quùm autem ratione careant, non moventur nisi instinctu quodam a naturâ præstito. Gradu verò altiori præcellunt homines, qui finem suum et ea, quæ ad finem ordinantur, cognoscere possunt et eligere. Ea autem cognitio supponit rationem, secundùm illa sancti Doctoris : « Sunt

(animalia) quæ movent seipsa, etiam habito respectu ad finem quem sibi præstituunt : quod quidem non fit nisi per *rationem* et *intellectum* cujus est cognoscere proportionem finis, et ejus quod est ad finem, et unum ordinare in alterum (*Ibidem*). » Quùm autem ratio humana passivè se habeat ad multas veritates, vita intellectualis, licet *in se* perfectissima, limitatur in homine. Deus autem omni imperfectione vacat; ideoque modo superexcellenti possidet ea, quæ summum vitæ gradum constituunt; vita igitur intellectualis Ei maximè et perfectissimè convenit. Ad rem iterùm appositè scripsit S. Thomas : « Illud cujus sua natura est ipsum ejus *intelligere*, et id quod naturaliter habet non determinari ab alio, hoc quidem obtinet *summum gradum* vitæ. Tale autem est Deus ; undè in Deo maximè est vita. Undè Philosophus, ostenso quod Deus sit intelligens, concludit quod habet vitam *perfectissimam* et *sempiternam*, quià intellectus ejus est perfectissimus et semper in actu (*Loc. cit.*). »

Probatur ex *naturâ Dei*. — In Deo *esse*, *intelligere* et *vivere* « convertuntur; » videlicet, unum et idem sunt. Ergò, Deus vitâ intellectuali superexcellenti modo fruitur; imò, omnia in Ipso vita sunt.

Probatur antecedens. — Esse, substantia et attributa, ut vidimus, non distinguuntur in Deo distinctione reali; quà de re, *esse* divinum et *intelligere* sunt unum et idem; aliundè, intelligere seu *intellectio actualis* est attributum vitæ Dei constitutivum; nam, ex illo defluunt scientia, sapientia, voluntas, libertas, amor, sanctitas, beatitudo et alia similia, quibus vita divina conflatur. Ergò, unum et idem sunt in Deo *esse*, *intelligere* et *vivere;* quocircà, non solùm Deus vitâ intellectuali superexcellenti modo fruitur, verùm etiam « vita est » et omnia in Eo vita sunt.

« *Vivere* Dei, ait sanctus Thomas, est ejus *intelligere*. In Deo autem est idem intellectus, et quod intelligitur, et ipsum *intelligere* ejus. Undè quidquid est in Deo ut intellectum, est ipsum *vivere* vel vita ejus : undè quùm omnia quæ facta sunt a Deo, sint in Ipso ut intellecta, sequitur quod omnia in Ipso sunt ipsa vita divina (1). »

ARTICULUS SECUNDUS.

De intellectu divino.

I. Qui sunt actus vitæ divinæ?

53. Vita rationalis, per quam homo dicitur imago Dei, duabus potentiis exercetur, *intellectu* et *voluntate*. Meritò igitur inferimus omnem operationem in Deo ad *intellectionem* et *volitionem* esse revocandam; id est, Deus cognoscit et amat; deindè, cetera referuntur ad *unum* aut ad *alterum*, aut ad *utrumque* simul e duobus illis actibus. Eapropter, attributa, quibus in se et in creaturis Deus operatur, ad *intellectum*, vel ad *voluntatem*, vel ad intellectum *simul* et voluntatem *speciali* quodam modo revocari possunt. Imprimis, dicendum est de *veritate* et *scientia*, quæ spectant ad *intellectum*.

(1) *Ibidem*, a. 4, c. — « Creaturæ in Deo esse dicuntur dupliciter. Uno modo in quantùm continentur et conservantur virtute divinâ; sicut dicimus ea esse in nobis, quæ sunt in nostrâ potestate; et sic creaturæ dicuntur esse in Deo etiam prout sunt in propriis naturis; et hoc modo intelligendum est verbum Apostoli dicentis : « In ipso vivimus, movemur et sumus; » quià etiam nostrum *vivere*, et nostrum *esse*, et nostrum *moveri* causantur a Deo. Alio modo dicuntur res esse in Deo sicut in cognoscente : et sic sunt in Deo per proprias rationes, quæ non sunt aliud in Deo ab essentiâ divinâ; undè res prout sic in Deo sunt, sunt essentia divina. Et quià essentia divina est vita, non autem motus, indè est quod res hoc modo loquendi in Deo non sunt *motus*, sed *vita*. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 8, a. 4, ad 1^um.

II. Utrum et quo sensu Deus est veritas?

54. Quùm veritas sit adæquatio rei et intellectûs, facilè probari potest Deum esse summam primamque veritatem. Undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Deus est summa et prima veritas.

1°, Deus est *summa* veritas. — Etenim, *esse* et *intelligere*, *verum*, *visio* et *enuntiatio* veritatis distingui non possunt in Deo; veritas igitur et esse divinum sunt unum et idem. Porrò, Deus est summum Ens. Ergò, dici debet ipsa summa veritas. Itemque, veritas in Deo est adæquatio intellectûs et essentiæ; sed, intellectus divinus adæquans et essentia adæquata excludunt omnem limitem, seu omnem imperfectionem; rectè igitur Deus vocatur Ens summè verum, id est summa veritas.

2°, Deus est *prima* veritas. — Videlicet, non solùm Deus est *objectum* excellentissimum cognitionis nostræ, sed etiam in Eo invenitur *mensura* et *causa* omnis veritatis, quæ splendet in rebus creatis, et in quolibet intellectu finito; nam, quidquid entis et perfectionis existit in creaturis, de Deo prædicari debet modo superexcellenti, et ab Eo procedit ut a principio.

Undè, veritas, quæ non est in intellectu nostro nisi *creata* et *mutabilis*, jurè tamen habetur ut participatio quædam veritatis æternæ ac immutabilis.

(* Deum esse summam primamque veritatem argutè demonstrat S. Thomas, dicens : « *Esse* (Dei) non solùm est conforme suo intellectui, sed etiam est ipsum suum *intelligere;* et ejus intelligere est *mensura* et *causa* omnis alterius *esse* et omnis alterius *intellectûs;* et ipse est suum *esse* et *intelligere*. Undè sequitur quod non solùm in ipso sit veritas, sed quod ipse sit ipsa *summa* et *prima* veritas (q. 16, a. 5). »

Hinc, et in ordine supernaturali, et in ordine naturali, idem unusque Deus est summè verus et summè *veræ;* falli igitur non potest, neque fallere : « Deus negare seipsum non potest, ait Concilium Vaticanum, nec verum vero unquam contradicere. » Ergò, « etsi fides sit suprà rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest. » *)

III. Quot sunt dicenda de scientiâ Dei.

55. Deus est summa et prima *veritas;* sed utrùm et quo sensu scientia sit in Deo? Circà præsentem quæstionem, quatuor sunt dicenda : 1°, Utrùm scientia *sit* in Deo; 2°, *Quid* sit scientia divina; 3°, Quodnam sit *objectum* scientiæ Dei; 4°, Tandem, utrùm et quomodò *ideæ* sint in Deo.

(A.) Utrùm scientia *sit* in Deo?

Scire, seu intuitu intellectûs veritatem quasi intùs legere ac videre, Deo maximè convenit. Nam, ex unâ parte, *intellectio actualis* est attributum vitæ Dei constitutivum, et, ex alterâ parte, Deus est *summa veritas :* sed intellectio actualis summæ veritatis constituit scientiam eamque perfectissimam; scire igitur Deo maximè convenit. Imò, ut aiunt, *lux* est Deus.

Insuper, eo perfectior est scientia, quo subjectum cognoscens magis exuitur a dependentiâ materiæ; sic intellectus est « magis cognoscitivus » quam sensus, quià « magis separatus est a materiâ. » Quùm autem Deus « sit in summo immaterialitatis, sequitur quod ipse sit in summo cognitionis (S. Thomas, *Sum. Theol.*, I, q. 14, a. 1). »

(B.) *Quid* sit scientia divina?

Scientia divina definiri potest : *actus purus, comprehendens omnem veritatem.*

Scientia Dei est *actus* seu intellectio actualis; in Deo

enim intelligere et esse sunt unum et idem; sed, esse divinum est essentialiter in actu; ideoque, scientia Dei non est partim in potentiâ; nec etiam vocari potest habitus, « sed substantia et actus purus. » Undè, penitùs eximitur a defectibus cognitionis humanæ.

Scire in Deo dicitur actus *purus;* nempè, Deus seipsum et omnia cognoscit, actu simplicissimo, sine compositione, divisione, vel discursu. « Licet in intellectu divino non sit compositio et divisio, ait sanctus Doctor, tamen secundùm suam simplicem intelligentiam judicat de omnibus, et cognoscit omnia complexa (q. 16, a. 5, ad 1^um^). »

Scientia Dei *comprehendit* omnem veritatem; et hoc verbo exprimitur hujus scientiæ perfectio. Ea quippè scientia dicitur perfecta, quæ comprehendit suum objectum adæquatè, sicut cognoscibile est; sed, « tanta est virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas ejus in existendo; » undè, quùm Deus plenitudinem entis comprehendat « in existendo, » pariter et « in cognoscendo » plenitudinem veritatis comprehendit.

Scire Dei complectitur *omnem veritatem;* et illæ voces extensionem scientiæ divinæ significant. Nempè, Deus cognoscit quidquid est verum et cognoscibile; ità ut, creatione semel effectâ, non sit plùs veritatis, plùs intelligentiæ, plùs scientiæ, licet de facto plures sint veritates, plures intelligentiæ et plures scientiæ.

(C.) Quodnam sit *objectum* scientiæ Dei?

Ex dictis, apparet solutio quæstionis de *objecto* scientiæ Dei; videlicet, quùm scientia divina comprehendat omnem veritatem, seu omne ens intelligibile, sequitur Deum cognoscere, 1°, *seipsum;* 2°, quidquid *existentiam* nancisci debet; 3°, quidquid est *possibile.* Consequenter, Deus *infinita* cognoscit, eaque scientia est *causa* rerum,

ut aiunt scholastici (1); videlicet, res contingentes existunt, quià Deus eas *cognoscit* et vult.

Secùs enim, scientia Dei non esset infinita; Deus edoceri posset; Ejus providentia in multis esset vacillans et incerta; tandemque, non posset omni quærenti responsum dare. Undè, tùm essentia divina infinitè perfecta et immutabilis, tùm operatio Dei in se vel in creaturis, absolutè requirunt ut scientia divina extendatur ad omnia, sive possibilia, sive actu existentia, sive præterita aut futura, sive necessaria, libera vel conditionata; eaque scientia non est successiva et discursiva, ut vidimus, sed tota simul et simplicissima, ità ut Dei « oculis » omnia, etiam futura et præterita, « nuda » sint et « aperta. » Ad rem sacrosanctum Concilium Vaticanum sic habet : « Omnia nuda et aperta sunt oculis (Dei), ea etiam quæ libera creaturarum actione futura sunt. »

(D.) Utrùm et quomodò *ideæ* sint in Deo?

Quùm scientia esse non possit sine *conceptu* quodam intellectùs, per quem forma rerum exprimitur in cognoscente; jam, perspicuum est ideas esse in Deo, secundùm ea sancti Doctoris : « Ideæ sunt rationes in mente divinà existentes, ut per Augustinum patet; sed omnium quæ cognoscit Deus, habet proprias rationes : ergò omnium quæ cognoscit, habet ideam (*Sum. Theol.*, p. I, q. 15, a. 3). »

Sed quid sit idea in Deo? Non est sane ipsa creatura, ut quidam pantheistæ volunt; aliundè, licet infinita cognoscat Deus, Ejus tamen simplicitas nullum offendiculum patitur. Quippè, juxtà scholasticos, ideæ in mente

(1) « Deus per intellectum suum causat res, cùm ejus *esse* sit ejus *intelligere* : undè necesse est, quod sua scientia sit *causa rerum*, secundùm quod habet *voluntatem conjunctam.* » *Loc. cit.*, a. 8.

divinà sunt ipsamet *essentia* Dei cognita, non præcisè quatenùs *in se* est, sed in quantùm est « *participabilis* et *imitabilis* » a creaturis; sic, ut exemplum afferatur, « domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cujus similitudinem domum in materià format (*Ibidem*). »

Idea autem hujusmodi, ad cujus imitationem Deus universa condidit, meritò et recte dicitur *exemplar* divinum; Deus scilicet est exemplar omnis creaturæ; dùm econtrà omnis creatura est quædam *imitatio* et *participatio Dei* (1). *Exemplarismus* igitur, de quo dicendum est infrà, fundatur in ideis seu « *prototypis* » æternis.

IV. Quodnam est medium scientiæ divinæ?

(* 56. Ad solutionem hujus quæstionis intricatissimæ, quatuor sunt inspicienda : 1°, Quænam sint *divisiones* scientiæ Dei; 2°, Quid intelligatur per *medium* scientiæ divinæ; 3°, In quo consistat celeberrima Thomistarum et Molinistarum controversia; 4°, Quænam sententia sit amplectenda.

(A.) Quænam sint divisiones scientiæ Dei?

Licet cognitio divina sit absolutè una et simplicissima, verumtamen, quùm plura sint et diversa hujus cognitionis objecta, divisiones in scientiâ Dei fingere possumus, juxtà nostram concipiendi rationem.

Imprimis, hæc scientia vocatur *necessaria*, cujus objectum nec etiam a voluntate Dei pendet; talis est cognitio essentiæ

(1) « Cum ideæ a Platone ponerentur principia cognitionis rerum et generationis ipsarum, ad utrumque se habet idea, prout in mente divinâ ponitur : et secundùm quod est principium factionis rerum, *exemplar* dici potest et ad practicam cognitionem pertinet; secundùm autem quod principium cognoscitivum est, propriè dicitur *ratio* et potest etiam ad scientiam speculativam pertinere. » S. Thom., *Ibidem*, a. 3. — « Deus est *exemplar* hujus vel illius creaturæ quæ nihil est aliud quam imperfecta Dei imitatio et participatio. » Billuart, *de Deo*, dissert. VI, a. 7.

divinæ et omnium possibilium quæ in ipsâ eminenti modo continentur. Scientia verò cujus objectum a liberâ Dei voluntate pendet, dicitur *libera;* talis est cognitio rerum contingentium. Scientia Dei dividitur iterùm in *speculativam* et *practicam;* speculativa contemplatur suum objectum, sed illud non efficit; practica autem suum objectum cognoscit et efficit; ex. gr. Deus res merè possibiles speculativè solummodò contemplatur, res verò contingentes practicè cognoscit. Philosophi et Theologi secernunt etiàm in Deo scientiam *approbationis* et *reprobationis;* nempè, Deus bona practicè cognoscens, ea vult et approbat; mala verò per bona dignoscens, illa quidem permittit, sed reprobat.

Juxtà celeberrimam thomistarum divisionem, scientia Dei partitur in scientiam *intelligentiæ* et in scientiam *visionis*. Scientia *intelligentiæ* ea est, cujus objecta sunt omnia possibilia, quæ non fuerunt, nec sunt, nec erunt. Ad eamdem scientiam, aiunt thomistæ, referri debet cognitio eorum, quæ dicuntur *futura conditionata;* et verò, futura hujusmodi evenirent, tali talive conditione positâ; sed de facto nunquam evenient et merè sunt possibilia. Scientia *visionis* est cognitio eorum, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt; eaque scientia, quatenùs ad futurum respicit, includit futura *absoluta, contingentia* et *libera*. Futurum, seu, ut aiunt Thomistæ, « id quod est determinatum in suis causis ad habendam existentiam in tempore sequenti, » dicitur absolutum quando necessariò sequitur e causis positis; aliter, vocari solet futurum contingens. Futurum liberum supponit exercitium liberæ voluntatis hominum; ex. gr. Petrus et Joannes cras peccabunt vel deambulabunt. Scientia futurorum sæpè dicitur *præscientia*.

Nonnulli recentes, duce Molinâ, alium cognoscendi modum admittunt : nempè, juxtà eos, Deus non cognoscit futura conditionata per simplicem intelligentiam, neque per visionem propriè dictam, sed per scientiam inter utramque mediam; undè nomen *scientiæ mediæ*. Thomistæ verò, ut videbitur infrà, jurè contendunt divisionem in scientiam intelligentiæ et visionis esse adæquatam.

(B.) Quid intelligatur per *medium* scientiæ divinæ?

Ut quæstiones agitatas in scholis, præsertim inter Thomistas et Molinistas, intelligere possimus, necesse est priùs dicere quid sit *medium* scientiæ Dei. Porrò, tale medium non est *principium* illud quod vocari solet « forma idealis, » vel « species intelligibilis, » aut etiam « principium formale, » quo, ut ità dicam, efficitur cognitio. Tale principium non differt ab essentiâ Dei, secundùm ea sancti Doctoris : « Intelligere Dei est ejus esse... Si igitur intelligeret per aliquam speciem, quæ non sit sua essentia, esset per aliquod aliud a suâ essentiâ; quod est impossibile. Non igitur intelligit per aliquam *speciem*, quæ non sit sua essentia (*Contrà Gent*, l. I, c. 46). » — Hic quoque non agitur de *modo* cognoscendi; certum est enim Deum omnia præterita, præsentia et futura unico et simplicissimo intuitu videre.

Per medium autem scientiæ Dei intelligere debemus *id omne, cujus cognitio includit cognitionem alterius;* seu etiam « est cognitionis medium id omne, cujus cognitio ratio est, ut aliquid aliud cognoscatur. » Sic, ut exemplum afferatur, causa ex quâ procedunt futura contingentia dici potest medium scientiæ, quià in comprehensione illius causæ Deus etiam comprehendit omnia, quæ ab eâ subsecutura sunt.

Brevius : Id *quo* Deus intelligit dicitur principium formale, seu forma idealis scientiæ divinæ; eaque forma est ipsamet essentia Dei. Prætereà modus *secundùm quem* Deus omnia comprehendit, est actus unicus et simplicissimus, qui reapsè non differt ab esse divino. Tandem, id cujus cognitio includit cognitionem alterius, vocatur medium *in quo* Deus alia a se distincta intelligit, sed ad rem gravissima orta est difficultas, nempe :

(C.) In quo consistat celeberrima Thomistarum et Molinistarum controversia?

Philosophus, omissis quæstionibus ad sacram theologiam directè spectantibus, ea quæ pertinent ad theologiam naturalem summis tantùm labiis delibare potest; idcircò, nonnisi breviter exponemus Thomistarum et Molinistarum sententiam. Imprimis,

juxtà Thomistas, scientia Dei est amplissima *synthesis;* nempè, 1°, Deus *seipsum* comprehendit *adæquatè* tanquam objectum *primarium* et necessarium suæ cognitionis. 2°, Deus *quidquid* est intelligibile vel cognoscibile in *seipso intelligit* et cognoscit velut objectum *secundarium* cognitionis suæ. 3°, Deus merè *possibilia intelligit,* id est cognoscit scientiâ simplicis intelligentiæ *in essentiâ suâ,* quatenùs est a creaturis imitabilis et participabilis. Eaque scientia est necessaria et præcedit omne decretum. 4°, Deus *præterita, præsentia* et *futura* sive *absoluta,* sive *libera* cognoscit scientiâ visionis *in seipso,* tanquam *in causâ* seu in *decreto* quo determinantur ad existentiam. 5°, Deus cognoscit *futura conditionata in essentiâ suâ* quatenùs sunt merè *possibilia,* et *in suis decretis conditionatis* quatenùs sunt *conditionata.*

Brevius : Deus *seipsum* cognoscit ut objectum *primarium;* — et *alia* tanquam objectum *secundarium in seipso* intelligit et videt; — *possibilia* intelligit in essentiâ suâ velut in *archetypo;* — *præterita, præsentia* et *futura* sive *absoluta,* sive *libera,* sive *conditionata* videt aut intelligit in seipso tanquam *in causâ* seu in *decreto* vel *absoluto,* vel *libero,* vel *conditionato,* quo omnia *determinantur,* vel *determinarentur* ad existentiam, tali talive *conditione positâ.* Undè, scientia Dei est *synthesis* amplissima; nempè, Deus actu simplicissimo et *seipsum* et omnia *in seipso* contuetur (1).

Recentioribus autem sæculis, nonnulli philosophi, relicto tramite sancti Doctoris, Molinæ vestigiis adhærent. Non consentiunt inter se; alii dicunt, post Vasquezium, Deum omnia a se distincta immediatè *in seipsis* videre. Alii, duce Molinâ, contendunt Deum futura contingentia in « *supercomprehensione* » cau-

(1) « Deus cognoscendo suam essentiam alia cognoscit, sicut per cognitionem causæ cognoscuntur effectus. Omnia igitur Deus cognoscit, suam essentiam cognoscendo, ad quæ sua causalitas extenditur. » S. Thomas, *Cont. Gent.,* lib. I, c. LXVIII, 2. « Deus seipsum videt in seipso, quià seipsum videt per essentiam suam. Alia autem a se videt non *in ipsis,* sed *in seipso,* in quantùm essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso. » *Sum. Theol.,* p. 1, q. 14, a. 5.

sarum secundarum, antè omne decretum, intelligere. Alii docent futura libera videri a Deo in seipsis, videlicet in liberâ hominis *determinatione*.

Quoad futura conditionata, Molina excogitavit celeberrimum cognoscendi modum, qui dicitur *scientia media*. Definiri potest, *cognitio*, quâ Deus, antè omne decretum, certò prævidet quid voluntas hominis ageret, si talis talisve conditio poneretur. Eaque « futura conditionata a Deo cognoscuntur, secundùm esse ipsorum proprium quod haberent, si certa illa adjuncta ponerentur. »

(D.) Quænam sententia sit amplectenda?

Absit ut tot virorum, acuitate mentis insignium, auctoritas hac in re despiciatur; sed, procul dubio, tenenda est sententia Thomistarum, quadruplici de causâ; nempè : 1°, *Perfectio* et eminentia scientiæ divinæ requirunt ut Deus omnia in essentiâ suâ et in suis decretis intelligat et videat; perfectius est enim per causas ultimas quam per effectus videre. Cæterùm, in eminentissimâ comprehensione causæ innotescit quidquid in effectibus, etiam maximè remotis, contineri potest; ideoque Deus in adæquatâ suî cognitione alia a se intelligit et videt. 2°, Sententia Thomistarum viam pandit philosophis et theologis ad solvendas quæstiones de concursu *prævio* et gratiâ *efficaci*. 3°, Eadem sententia auctoritate confirmatur; nam, opinio contraria, etsi non fuerit expressè damnata, nova dici potest et a plerisque philosophis et theologis hucusque fuit impugnata et enixè rejecta. 4°, Molinistæ Deum quasi *passivum* efficiunt in cognoscendo, et scientiam, ut ità dicam, *experimentalem* in Eum introducunt; nam, quomodò Deus futura in causis secundis intueri posset, nisi per modum cujusdam perceptionis experimentalis? Non liquet. Aliundè, præterquam opinio Molinistarum de cognitione futurorum liberorum et de scientiâ mediâ non vacat ambiguitate, videtur inutilis etiam ad finem propter quem inventa fuit; Molinistæ scilicet non faciliùs ac Thomistæ difficultatem de concordiâ præscientiæ Dei et libertatis hominis solvere queunt. *)

V. Quomodo prescientia Dei et libertas hominis conciliari possunt?

(* 57. Pullulant errores circà scientiam divinam. Imprimis, omnes pantheistæ, quùm pessima docuerint de naturâ Dei, prolapsi sunt in errores teterrimos, quùm aggressi sunt difficillimam quæstionem de scientiâ divinâ. Unum et alterum affertur exemplum : Deus est impersonalis et inscius, juxtà Spinozam; quapropter neque seipsum, neque alia cognoscere potest, nisi tantùm in homine; undè, illius scientia dici nequit infinita. Itemque, Deus Germanorum Fichte, Schelling, Hegel et omnium progressistarum, non cognoscit omnia actu simplicissimo, sed successivè, ratione evolutionum suarum. Imò, secundùm E. Renan, Deus hucusque non cognoscit orbem physicum nisi tantùm imperfectè, ità ut vix in Academiâ sedere posset; at rudis ille Deus est *in fieri*, et ratione progressûs ad scientiam infinitam fortè perveniet (1).

Nonnulli inter theistas falsa docuerunt circà Dei scientiam; ità, Cicero tenuit Deum futura libera penitùs ignorare; secùs enim, ait ille philosophus, homo libertate careret. Posteà, Sociniani dixerunt inesse Deo quamdam futurorum liberorum *prævisionem*, minimè verò scientiam propriè dictam.

Ætate præsenti, rationalistæ non pauci, præsertim inter eclec-

(1) « Que sera le monde quand un million de fois se sera reproduit ce qui s'est passé depuis 1763, quand la chimie, au lieu de quatre-vingts ans de progrès, en aura cent millions? Tout essai pour imaginer un tel avenir est ridicule et stérile. Cet avenir sera cependant. Qui sait si l'homme ou tout autre être intelligent n'arrivera pas à connaître le dernier mot de la matière?... Qui sait en un mot si la *science infinie* n'amènera pas le pouvoir infini?... L'être en possession d'une telle *science* et d'un tel pouvoir sera vraiment maître de l'univers. L'espace n'existant plus pour lui, il franchira les limites de sa planète. Un seul pouvoir gouvernera réellement le monde : ce sera la *science*, ce sera l'esprit. Dieu alors sera complet, si l'on fait du mot Dieu le synonyme de la totale existence. En ce sens, Dieu sera plutôt qu'il n'est : il est *in fieri*, il est en voie de se faire. » E. Renan, *Les sciences de la nature et les sciences historiques*.

tismi fautores, errorem Ciceronis in lucem iterùm ediderunt; et ferè omnes, post Damiron, enixè propugnàrunt scientiam futurorum liberorum cum libertate humanâ conciliari non posse; quocircà, ut libertatem humanam servarent illæsam, scientiæ Dei obtrectare connixi sunt (1). Sic argumentari solent :

Obj. *Præscientia* Dei et *libertas* hominis conciliari non possunt; ergò, vel Deus futura libera ignorat, vel homo non est liber (2).

Resp. *Nego antecedens;* undè pariter, *nego consequens.* Etenim, præscientia Dei e naturâ suâ non tollit libertatem hominis; id est, eò quod Deus prænoscit futuras hominum actiones, non indè sequitur homines agere necessariò. Non enim ea est præscientiæ et libertatis connexio, ut prior ex se alteram evertere debeat; imò, nos ipsi multa prænoscimus, quæ tamen liberè ventura sunt; ex. gr. professor non temerè judicat alumnos e scholâ, jubente tintinnabulo, mox egressuros; prævisio autem hujusmodi libertatem tironum non evertit (3).

(1) Sic se habet Damiron : « Dieu sait d'avance que l'homme créé libre sera libre; mais précisément parce qu'il le sait, il ne doit, il ne peut prévoir, il serait contre sa perfection de prévoir quand, où et comment, et par quels actes précis, il exercera son libre arbitre : ce serait concevoir le pour et le contre à la fois, la liberté et la nécessité. La vraie prescience divine, touchant la liberté, est exclusive de cette prescience qui ne permet ni ne souffre dans les agents auxquels elle s'étend aucune possibilité de faire ou de ne pas faire ce à quoi ils sont destinés. » Damiron, *Psychologie*, t. II, p. 76 et 77. — « Comment concilier un homme qui veut librement avec un Dieu qui prévoit infailliblement? » Jules Simon; ità Gœthe.

(2) Damiron, *Loc. cit.;* Destrem : « Il me répugne de concevoir Dieu comme un sorcier immense devinant l'avenir. » — Quidam eclectici eam objectionem contemnunt : « Au fond cette objection célèbre n'en est pas une. » C. Lévêque, *La science de l'Invisible.*

(3) Ad rem argutè scripsit Frayssinous : « Mais, dira-t-on, Dieu a tout prévu; une chose qu'il a prévu devoir arriver, il faut bien qu'elle arrive : sa science est infaillible; il n'est pas en mon pouvoir de la faire trouver en défaut en faisant le contraire de ce qu'elle a prévu. Comment donc concilier la liberté de l'homme avec la prescience di-

Inst. Quod a Deo prænoscitur, eveniet; ergò, præscientia Dei libertatem hominis evertit.

Resp. *Distinguo antecedens :* quod a Deo prænoscitur, *certò* eveniet, *concedo ; necessariò* eveniet, *subdistinguo :* si pendet a decreto Dei *absoluto, concedo;* si pendet a decreto *conditionato, nego.* Undè, *nego consequens.* Et sane quidquid prænoscitur certò eveniet, sed aliquid potest certò et liberè simul evenire, secùs enim, etiam in systemate rationalistarum, libertas hominis corrueret. Et verò, ea quæ cras liberè evenient, hodiè procul dubio in se vera sunt; sic, e supposito, Petrus verè, sed liberè, cras peccabit, vel deambulabit. Sed, ut dictum est, Deus intelligit quidquid est verum; ergò, futura libera prænoscit, quin libertas hominis evertatur. Consequenter præscientia Dei et libertas hominis conciliari possunt.

Dixi : quod a Deo prænoscitur, eveniet *necessario, liberè* vel *conditionatè*, scilicet in quantùm pendet a decretis Dei absolutis, aut conditionatis. Tale est systema conciliationis, quod a Thomistis propugnari solet; nempe : 1°, Deus actu simplici cognoscit omnia in seipso; ità ut, relativè ad Eum, nullum est præteritum, neque præsens, neque futurum. 2°, Futura cognoscuntur in decretis divinis, quibus ad existentiam determinantur. Decreta autem hujusmodi possunt esse absoluta, libera, vel conditionata; undè, futura possunt esse absoluta, libera, aut conditionata. 3°, Illud systema perfectioni Dei, et naturæ hominis

vine? Messieurs, cette difficulté, qui est bien ancienne, est devenue banale à force d'être répétée; elle a je ne sais quelle apparence qui éblouit, mais au fond elle n'a rien de solide : je vais y répondre brièvement. La science qu'a Dieu des événements futurs ne change pas leur nature; il connaît comme libre ce qui doit être libre, et comme nécessaire ce qui doit être nécessaire. Dieu savait d'avance, Messieurs, que vous et moi nous nous réunirions aujourd'hui dans ce temple, mais librement; en sorte que, si en cela nous n'avions pas été libres, c'est alors que sa science aurait été trompée... Ainsi je prévois bien que, cette conférence finie, vous et moi allons quitter cette assemblée; et cependant cette prévision ne nous imposera pas la nécessité de nous séparer. » *Défense du Christianisme,* Libre arbitre.

maximè congruit : perfectioni divinæ, quià Deus omnia in seipso cognoscere debet; naturæ humanæ, nam creatura pendet a Deo, nec nisi virtute decreti Illius actiones suas et absolutas et liberas exerere potest.

Nonnulli, duce Molinâ, aliam solutionem proponere tentârunt; juxtà eos, Deus futura libera cognoscit scientiâ *consequente*, non *antecedente*; id est, futura non eveniunt quià Deus ea prævidet, sed ea prævidet quià realiter eveniunt; undè, præscientia Dei libertatem hominis non evertit. Sed, illa opinio, præterquam rationi contradicere videtur, ut dictum est suprà, novam solutionem non exhibet; quippè, scientia Dei, sive sit consequens sive antecedens, futuras hominum actiones præcedit, secundùm nostram concipiendi rationem; difficultas igitur eadem est in quolibet systemate (1). Aliundè, quùm theoria sancti Thomæ scientiam divinam excellenti modo sublimet, huic adhærere juvat. *)

ARTICULUS TERTIUS.

De voluntate divinâ.

I. Quot sunt dicenda de voluntate Dei?

58. In vità rationali, per quam homo fit imago Dei, comperimus *intellectum* et *voluntatem*. Ab *intellectu* procedit *scientia*, et *amor* gignitur a *voluntate*; nempè, per analogiam asserimus Deum *intelligere* et *velle*, necnon *scientiam* ab Ejus intellectu, et *amorem* a voluntate Illius oriri, juxtà nostrum concipiendi modum. Hactenùs, de intellectu et præcipuè de scientiâ dictum est; nunc igi-

(1) Rationalistæ Molinistarum solutionem rejiciunt; ex. gr. sic se habet Damiron : « Ce n'est qu'avec de grands scrupules que nous rejetons cette explication. Mais si plausible et si sage qu'elle nous paraisse dans ce qu'elle a de vrai, elle ne nous semble cependant pas atteindre le but qu'elle se propose, et prouver ce qu'elle doit prouver. » *Psychologie*, t. II, p. 75.

tur, quùm *velle* sequatur *intelligere*, recensere debemus ea, quæ pertinent ad voluntatem divinam. De eâ quæstione non solùm in se præstantissimâ, verùm etiam iis omnibus, qui puro sunt corde, studio gratissimâ et fructibus uberrimâ, *quatuor* dicenda sunt : 1°, De *pulchritudine* et *bonitate;* 2°, De *voluntate* et *amore;* 3°, De *libertate* Dei ; 4°, Quomodò *libertas* et *immutabilitas* conciliari possint.

II. Loquere de pulchritudine et bonitate.

59. Probandum est utrùm Deus sit ipsa pulchritudo et bonitas, et proindè summè amabilis. Ad solutionem hujus quæstionis, sit sequens

PROPOSITIO.

Deus, quùm sit ipsa pulchritudo et bonitas, dici debet summè amabilis

Probatur. — 1°, Non solùm Deus est summa veritas, ut vidimus; sed etiam dicitur ipsa *pulchritudo;* quidquid enim est pulchrum in rebus habetur ut vestigium vel imago causæ exemplaris seu archetypi æterni; undè, requiritur ut forma substantiæ Dei contineat excellenti modo omnem perfectionem, quæ in formis rerum contingentium invenitur. Proindè, substantia Dei est ipsa pulchritudo. Ad rem egregiè scripsit C. Gay in opere, cui titulus, *De la Vie et des Vertus chrétiennes :* « Qu'est d'abord notre Dieu, le Dieu de notre raison, le Dieu de notre foi, sinon la source et l'océan de toute beauté, l'être d'où toute beauté dérive, l'être en qui toute beauté subsiste, enfin la beauté même?... Et comment se pourrait-il que lui qui donne la forme à toute créature, n'eût pas de forme qui lui soit propre? Il en a une, croyez-le bien; et si déterminée, si singulière, qu'elle se distingue

infiniment de tout ce qui n'est pas lui, même de ce qui lui ressemble le plus dans ses œuvres (c. x). »

2°, Si Deus spectatur ut causa rerum, ipse est fons a quo cuncta bona procedunt; si spectatur ut finis omnium, est bonum summè appetibile; si spectatur in se, continet omnem perfectionem, et consequenter summam bonitatem. Ergò, Deus est bonus « excellentissimo modo; » imò, dicitur « summum bonum, » seu etiam ipsa bonitas (1). Quùm autem illud sit amabile, quod habet rationem boni, evidenter sequitur Deum esse super omnia et in omnibus amandum, et in se *summè amabilem*. Undè, seipsum *velle* et *amare* debet.

III. Qualis est voluntas divina?

60. Dicere oportet, 1°, De *voluntate* Dei; 2°, De Ejus *amore;* 3°, De *divisione* voluntatis divinæ.

(A.) De *voluntate* divinâ. — *Velle* in Deo est actus unicus et simplicissimus, quo Deus *bonum* appetit. Jamque, voluntatem maximè Deo convenire, in dubium revocari

(1) « Unumquodque dicitur bonum bonitate divinâ, sicut primo principio exemplari, effectivo et finali totius bonitatis. Nihilominùs tamen unumquodque dicitur bonum similitudine divinæ bonitatis sibi inhærente, quæ est formaliter sua bonitas denominans ipsum. Et sic est bonitas una omnium et etiam multæ bonitates. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 6, a. 4. — « Ipse etiam ad nihil aliud ordinatur sicut ad finem, sed ipse est ultimus finis omnium rerum. Undè manifestum est quod solus Deus habet omnimodam perfectionem, secundùm suam essentiam : et ideò ipse solus est bonus per suam essentiam. » S. Thomas, *Ibidem*, a. 3. — « Bonum Deo attribuitur in quantùm omnes perfectiones desideratæ effluunt ab eo. » S. Thomas, *Loc. cit.*, a. 2. — « Manifestum est quod solus Deus habet omnimodam perfectionem, secundùm suam essentiam : et ideò ipse solus est bonus per suam essentiam. » S. Thomas, *Ibidem*, a. 3. — « Sic essentiâ suâ bonus est Deus, ut tanquam substantiale bonum, bonitatem in omnia porrigat. » S. Dionysius, *De divinis Nominibus*, c. IV.

nequit. Homo enim, qui ad imaginem Dei conditus est, voluntate gaudet; atqui, perfectio effectûs excellenti modo reperitur in primâ Causâ efficiente. Prætereà, voluntas in homine cognitionem sequitur, nempè, diligimus id, quod bonum judicamus; necesse est igitur ut voluntas in Deo intellectum consequatur, imò « sicut Ejus *intelligere* est Ejus *esse*, ità et Ejus *esse* est Ejus *velle* (1). »

(B.) De *amore* divino. — Amor propriè dictus est *unio voluntatis affectiva cum bono cognito*. Undè, conspicuum est amorem esse Deo tribuendum; Deus enim assequitur id quod appetit, quià voluntas in Eo est *efficax;* undè, quidquid vult Deus diligit; et sicut Ejus *velle* est Ejus *esse*, ità et Ejus *amare* est Ejus *velle*. Amor igitur est ipsum *esse* divinum; nempè : « Deus charitas est (S. Joan., I. *Epist.* IV, 16). »

Prætereà, ut alibi dictum est, omnis actus voluntatis ad amorem refertur, secundùm ea sancti Doctoris : « Omnes alii motus appetitivi supponunt amorem, quasi *primam radicem;* nullus enim desiderat aliquid nisi bonum amatum, neque aliquis gaudet nisi de bono amato, odium etiam non est nisi de eo quod contrariatur rei amatæ. Et similiter tristitiam et cetera hujusmodi, manifestum est in amorem referri sicut in primum principium. Undè in quocumque est voluntas vel appetitus, oportet esse amorem; remoto enim primo, removentur alia. Ostensum

(1) « Voluntas intellectum consequitur... Undè in quolibet habente intellectum est voluntas, sicut in quolibet habente sensum est appetitus animalis. Et sic oportet in Deo esse voluntatem, quùm sit in eo intellectus; et sicut Ejus *intelligere* est Ejus *esse*, ità et Ejus *esse* est Ejus *velle*. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 1. — « S'il est vrai qu'en nous l'amour est une suite nécessaire de la pensée, en Dieu cela est plus vrai encore. » A. de Margerie, *Théodicée*, t. I, p. 346.

est autem in Deo esse voluntatem; undè necesse est in eo ponere amorem (*Sum. Theol.*, I, q. 20, a. 1). »

(C.) De *divisione* voluntatis divinæ. — Voluntas Dei in se sumpta, una est et simplicissima, nam ab *esse* divino non differt, relativè autem ad nos, effectus diversos producit et multiplex dici potest; nempe : 1°, Ratione *modi*, quo voluntas divina manifestatur, dividi solet in voluntatem *beneplaciti* et *signi :* prior est voluntas propriè dicta; et posterior est voluntas *metaphoricè* sumpta, seu signum externum quo Deus suam voluntatem manifestat. Ex. gr. : « apud nos irati punire consueverunt : undè ipsa punitio est signum iræ; et propter hoc ipsa punitio nomine iræ significatur, cum Deo ira attribuitur (q. 19, a. 11). »

Quinque sunt signa externa voluntatis divinæ; scilicet, *præceptum*, *prohibitio*, *permissio*, *consilium*, *operatio;* undè versiculus :

Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet.

2°, Ratione *effectûs*, quem producit, voluntas divina est *antecedens* vel *consequens*. Voluntas antecedens est ea, quâ Deus ex merâ benignitate suâ, nullis circumstantiis adjunctis, aliquem effectum intendit; ità, vult omnes homines salvos fieri. Quandò voluntas hujusmodi effectum suum sortitur, vocari solet *efficax;* secùs autem dicitur *inefficax*. Voluntas consequens illa est, quâ Deus, quibusdam circumstantiis habitis, effectum etiam bonitati suæ alienum intendit; ex. gr. *si* Petrus peccat, Deus vult eum damnare.

3°, Ratione *objecti*, circà quod versatur, voluntas divina partitur in *necessariam* et *liberam;* sic Deus seipsum vult et diligit necessariò et absolutè; alia autem vult liberè. Supposito tamen quod ea velit, « non potest non velle; »

quià voluntas Ejus mutari nequit. Ex. gr. Deus nos ad existentiam liberè vocavit; jam autem efficere non potest ut suum decretum mutetur (1).

IV. Utrùm et quomodo voluntas Dei est libera?

61. Ex erroribus, qui circà Dei libertatem ætate nostrâ grassantur, duo præ ceteris *bonitatem* et *sanctitatem* divinam impugnant; videlicet, non pauci contendunt Deum non esse *liberum* neque *munificum* in creatione rerum (Cousin); alii autem, horribile dictu, asserunt Deum esse *mali moralis* auctorem (Bayle). Adversùs hos omnes, sit una

PROPOSITIO.

Deus seipsum primariò necessarioque *vult et diligit; — deinceps*, quidquid *extrà se* bonum *est*, secundariò *et* in ordine ad seipsum, *necnon* benevolè *ac* liberè *vult et amat; — non potest autem velle* malum physicum, *nisi* per accidens; — *et a* malo morali essentialiter *abhorret.*

Probatur per partes. — 1°, Deus vult *seipsum;* in Eo enim voluntas est perfecta, ut vidimus; insuper, *esse* divinum est summè bonum; sed, voluntas perfecta in summum bonum ferri debet; ergò, Deus vult seipsum.

2°, Deus vult seipsum *primariò*, seu tanquam objectum primarium; nam, illud bonum est propter se et primariò appetibile, ad quod alia ordinantur velut ad finem ultimum; porrò, talis est bonitas divina; undè, oportet ut Deus « bonitatem » suam, tanquam objectum sibi « proprium » velit, et in illam primariò tendat (q. 19, a. 3).

(1) Exemplum affert S. Thomas dicens : « Non est necessarium Socratem sedere, undè non est necessarium absolutè; sed potest dici necessarium ex suppositione, supposito enim quod sedeat, necesse est eum sedere, dùm sedet. » *Sum. Theol., loc. cit.*, q. 19, a. 3.

3°, Deus vult seipsum *necessariò* et absolutè; nam, ut dictum est in Psychologiâ, voluntas non est libera in appetendo bonum principale; sed, bonitas divina est bonum principale; ergò, Deus necessariò et absolutè suam bonitatem appetit. Ad rem scripsit sanctus Thomas : « Voluntas divina necessariam habitudinem habet ad bonitatem suam, quæ est proprium ejus objectum; undè bonitatem suam Deus ex necessitate vult; sicut et voluntas nostra ex necessitate vult beatitudinem (*Ibidem*). »

4°, Deus vult *quidquid extrà se bonum est;* quod probatur e naturâ bonitatis; nempè : *bonum est sui diffusivum*, et « res naturalis, ait sanctus Doctor, non solùm habet naturalem inclinationem respectu proprii boni, ut acquirat ipsum cùm non habet, vel ut quiescat in illo cùm habet, sed etiam ut proprium bonum in alia diffundat secundùm quod possibile est : undè videmus quod omne agens, in quantùm est actu et perfectum, facit sibi simile. Undè et hoc pertinet ad rationem bonitatis, ut bonum quod quis habet, aliis communicet secundùm quod possibile est; et hoc præcipuè pertinet ad bonitatem divinam, a quâ per quamdam similitudinem derivatur omnis perfectio. Undè si res naturales, in quantùm perfectæ sunt, suum bonum aliis communicant, multò magis pertinet ad voluntatem divinam ut bonum suum aliis per similitudinem communicet, secundùm quod possibile est. Sic igitur vult se et alia (a. 2). »

5°, Deus vult alia *secundariò* et *in ordine ad se;* nam, intellectum sequitur voluntas; undè, sicut Deus primariò seipsum, deindè omnia in seipso cognoscit, ità seipsum primariò, deindè omnia in seipso vult et amat. Prætereà, quidquid bonum existit in rebus finitis, est participatio quædam et adumbratio bonitatis divinæ; bonum autem participatum ordinari debet ad summam bonitatem ut ad

finem ultimum; ergò, Deus alia velle non potest nisi tantùm in ordine ad se.

6°, Deus alia a se vult *benevolè* ac *liberè*.

Vult *benevolè;* nempè, voluntati divinæ nullam causam assignare possumus, nisi solam Dei bonitatem; Deus enim, quùm sit ditissimus et beatissimus, creaturis non indiget; quùm sit etiam ultimus finis, non ordinatur ad alia, sed alia ordinantur ad Ipsum. Undè, Ejus bonitas est causa unica Ejus voluntatis.

Vult *liberè;* probatur ex naturâ *libertatis*, ex naturâ *Dei*, et ex naturâ *rerum* contingentium.

Ex naturâ *libertatis*. Voluntas, ut vidimus in Psychologiâ, libertate gaudet in eligendis mediis quæ non sunt ad finem ultimum *necessaria;* porrò, relativè ad Deum, qui est finis omnium, res finitæ et contingentes non sunt necessariæ; ergò, Deus non vult eas nisi voluntate liberâ.

Ex naturâ *Dei*. Ens summè perfectum et beatum non fertur ex necessitate in ea, quæ perfectionem et beatitudinem ejus augere nequeunt. Porrò, Deus est summè perfectus; quocircà beatitudo Illius nec augeri nec minui potest; undè, ad Ejus perfectionem et beatitudinem alia non sunt necessaria. Ergò, Deus non vult alia a se nisi voluntate omninò liberâ.

Ex naturâ *rerum* contingentium. Res contingentes antè creationem dicuntur merè possibiles; res autem hujusmodi non sunt necessariæ, sed indifferentes ad esse vel non esse; Deus igitur potuit eas creare aut non creare, et has vel illas præ ceteris ad existentiam adducere (1).

(1) Ecce verba sancti Thomæ: « Alia a se Deus vult, in quantùm ordinantur ad suam bonitatem, ut in finem. Ea autem quæ sunt ad

7°, Deus non vult *malum physicum*, nisi *per accidens*. Deus non vult *directè* malum physicum; nam, omne malum est *privatio* cujusdam boni, et quùm voluntas divina bonum essentialiter appetat, non potest ferri directè in malum physicum. Aliundè, malum physicum est privatio boni ad quod nullum jus essentiale habemus; undè, Deus potest illud velle *per accidens* et *indirectè;* nempè, propter bonum aliquod generale, vel altioris ordinis : ex. gr. non repugnat Deum « volendo justitiam, » velle pœnam peccatoris, et « volendo ordinem naturæ servari, » velle « quædam naturaliter corrumpi (a. 9). »

8°, Deus a *malo mŏrali essentialiter* abhorret; malum enim morale non est solùm privatio boni *cujusdam individui;* sed includit aversionem creaturæ rationalis a Deo, ad quem omnia tanquam ad summum bonum ordinari debent. Atqui, Deus non potest velle ea, quæ *essentiali* rerum *ordini* opponuntur. Ergò, ut ait sanctus Thomas, « malum *culpæ*, quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult (*Ibidem*). »

(* Ex illâ propositione generali tres eruuntur illationes : 1°, Deus alia a se non vult necessariò, sed liberè; ergò, penitùs corruit error nonnullorum recentiorum qui, duce Cousin, Dei libertatem impugnare voluerunt. Juxtà eos, Deus tam necessariò creavit, quam necessariò amat seipsum.

2°, Fides et ratio, in propugnandâ libertate Dei, non solùm inter se non dissentiunt, sed sibi mutuam opem afferunt; hæc

finem non ex necessitate volumus volentes finem, nisi sint talia sine quibus finis esse non potest : sicut volumus cibum, volentes conservationem vitæ; et navem, volentes transfretare. Non sic autem ex necessitate volumus ea sine quibus finis esse potest, sicut equum ad ambulandum, quià sine hoc possumus ire, et eadem ratio est in aliis. Undè, cum bonitas Dei sit perfecta, et esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat; sequitur quod alia a se eum velle non sit necessarium absolutè (a. 3). »

enim et alia similia passim legere est in Scripturis Sacris : « Deus ultionum liberè egit (Psalm. 93). » « Cujus vult miseretur, et quem vult indurat (*Ad Ephes.* I). » « Omnia operatur secundùm concilium voluntatis suæ (I *ad Corinth.* XII). » Sic se habet Concilium Vaticanum : « Si quis dixerit..., Deum non voluntate ab omni necessitate liberâ, sed tam necessariò creasse, quam necessariò amat seipsum;... Anathema sit. »

3°, Deus nos præ ceteris benevolè ac liberè ad existentiam adduxit; Illi ergò gratias solvere oportet. Aliundè, res mundanas in ordine ad hominem, et hominem in ordine ad seipsum appetit; sic nos omnia in ordine ad nosmetipsos, et nosmetipsos in ordine ad Deum amare debemus. Itemque, Deus nos diligit *amore amicitiæ,* quæ importat « redamationem » et mutuas relationes; diligamus ergò Deum, quùm Ipse prior ità diligat nos. Prætereà, bonum est sui diffusivum, et idcircò Deus bonitatem quamdam diffundit in creaturas, et quidquid est bonum Ei placet; « similiter, ait sanctus Thomas, nobis placere debet omne bonum semper et ubique et in qualibet creaturâ, et deberemus bonum sollicitè tueri et fovere, omnibusque bonum impugnantibus *audacter* resistere, malum quoque semper et ubique ex corde detestari, et quantùm possumus quocumque consilio impedire propter injuriam Dei et damnum proximi, et multò ampliùs propter contumeliam Creatoris quam propter periculum hominis. » « Sed, heu! pergit sanctus Doctor, frequenter res vertitur in contrarium. Cùm enim laudatur quis vel diligitur ad gratiam humilitatis, religionis, devotionis, prædicationis, vel alterius gratiæ, et nos ex hoc tristitiam concipimus, vel illius gratiam diminuimus; quid aliud quam quod bonum nobis non placet demonstramus (1)? » *)

(1) « Amicitia non potest haberi nisi ad rationales creaturas, in quibus contingit esse redamationem et communicationem in operibus vitæ. » S. Thomas, *Ibidem.* Cf. *Opuscul.,* 54. De dilectione Dei et proximi, V, De dilectione amicitiæ. *Opuscul.,* 55, De divinis moribus, ubi S. Thomas de imitatione attributorum divinorum egregiè scripsit : « Nihil digniùs, ut dicit Joannes Episcopus, quam ut homo sui Conditoris sit imitator, et secundùm modum propriæ facultatis divini operis

V. Quomodo libertas et immutabilitas in Deo conciliari possunt?

(* 62. Ex dictis, tria etiam certa sunt et ab omnibus admittenda : 1°, Deus *actu simplicissimo* et *unico* vult seipsum et alia a se; ità ut *eodem* actu seipsum velit necessariò et absolutè, cetera autem liberè ac benevolè. 2°, *Voluntas* Dei *libera* non tollit Ejus *immutabilitatem;* et, ut ait sanctus Thomas, « tam substantia Dei quam ejus scientia est omninò immutabilis : undè oportet voluntatem ejus omninò esse immutabilem (q. 19, a. 7). » 3°, *Immutabilitas* Dei non tollit Ejus *libertatem;* quemadmodùm voluntas divina non evertit liberum hominis arbitrium.

Sed quomodò immutabilitas et libertas in Deo conciliari possint? Seu « per quid formaliter constituatur actus liber Dei? » Hic est, ut aiunt, « nodus intricatissimus, » et « ænigma sacrum. » Rationalistæ nonnulli, rejiciunt mysteria, et quùm non possint immutabilitatem et libertatem conciliare, unam aut alteram tollunt e medio. Eccè objecta eorum :

Obj. Immutabilitas evertit libertatem, et libertas evertit immutabilitatem; ergò, vel Deus non est immutabilis, vel non est liber (1).

Resp. *Nego antecedens;* quippè, indubium est Deum esse immutabilem et liberum; eapropter, Illius immutabilitas et libertas apprimè conciliari debent. Proindè, *nego consequens.*

Inst. Deus est immutabilis; sed, actus causæ immutabilis est necessarius; ergò, Deus non agit liberè, et consequenter immutabilitas tollit libertatem.

Resp. *Concedo majorem; distinguo minorem :* actus causæ

executor. » — *Ibidem.* « Cùm quis otiosa loquitur, detrahit, ridet, et alias levitates seu peccata committit, et nos conridemus, colloquimur, aut cum delectatione cordis talia mala videmus et audimus; quid aliud facimus, nisi quod mala nobis non displicent testes sumus? »

(1) Ità quoad sensum Stoici, Leibnitzius, Cousin et non pauci recentiores. Ipse atheus Viardot mundi æternitatem propugnat dicens : « L'Etre nécessaire n'a pu rester un seul moment inutile; l'Etre actif et éternel n'a pu manquer d'agir éternellement. » *Libre Examen,* p. 20. Et sanè Deus agit ab æterno, sed ad intrà, non autem ad extrà.

immutabilis est necessarius, in *se,* intrinsecè sumptus, *concedo;* in *termino* extrinseco spectatus, *nego.* Videlicet, « actus Dei liber, ut aiunt, nihil est aliud quam ejus actus *necessarius* quatenùs dicit habitudinem seu terminationem *non necessariam* ad creaturas (Billuart, *De Deo,* VII, 4). »

Inst. Libertas implicat mutationes in volitionibus agentis; ergò, libertas tollit immutabilitatem divinam.

Resp. *Distinguo antecedens :* libertas implicat mutationes in volitionibus agentis *finiti* et *imperfecti, concedo;* in volitione agentis *infiniti* et *perfecti, nego.* Deus enim actu simplicissimo et unico vult seipsum necessariò et alia liberè; idcircò, voluntas Ejus non mutatur, etiamsi mutationes fiant in rebus externis : nam, dicente sancto Thomâ, « aliud est mutare voluntatem, et aliud est velle aliquarum rerum mutationem. Potest enim aliquis eadem voluntate immobiliter permanente velle quod nunc fiat hoc, et posteà fiat contrarium (1). »

E re est varias philosophorum solutiones exhibere, ut adversariorum objecta faciliùs explodantur. Tria prodierunt systemata : primum est eorum, qui nihil nisi *mysterium* agnoscunt in conciliatione immutabilitatis et libertatis; secundum a *Scotistis* propugnari solet; et tertium a *Thomistis* communiter admittitur. De illis pauca dicemus.

Primum systema. — *Mysterium* lato sensu definiri potest, res arcana cujus possibilitas nos fugit; vel : relatio ab homine non percepta inter duos terminos; aut potiùs : *veritas, cujus conceptus acumen rationis humanæ superat.* Jam, certum est multa reperiri mysteria in ordine morali, physico et metaphysico; sed potissimùm in Deo, qui jurè dicitur veritas infinita, et cujus essentiam intueri non possumus in statu vitæ præsentis, quot et quanta latent mysteria rationi nostræ impervia. Sed, ut aiunt

(1) *Sum. Theol.,* p. I, q. 19, a. 7. Leibnitzius, eam solutionem tacitè saltem admittens, distinguere voluit necessitatem *absolutam* et necessitatem *moralem;* juxtà illum Deus necessariò quidem, sed necessitate tantùm morali mundum optimum creare debuit. Talis sententia est libertatis Dei eversiva, et rejici debet.

non pauci, conciliatio immutabilitatis et libertatis est unum ex his mysteriis; quippè, intelligimus Deum esse immutabilem et liberum, sed relationem inter utrumque terminum concipere non possumus. Quùm autem certa non sint neganda propter obscura, tenendum est Deum esse immutabilem ac liberum; et ideò credendum est immutabilitatem et libertatem inter se conciliari; nam, in *esse* divino nulla contradictio inveniri potest.

Secundum systema. — Scotistæ, ut vidimus, distinctionem non omninò realem, neque solummodò rationis sed modalem et intermediam agnoscunt in attributis divinis; itemque, præter voluntatem necessariam, quâ Deus seipsum vult et amat, secernunt « *determinationes* » liberas, quæ relationem nec *realem*, nec strictè *rationis*, sed quasi *intermediam* constituunt in re volità. Determinationes hujusmodi, aiunt Scotistæ, non *perficiunt* essentiam divinam; undè, possunt esse vel non esse, quin perfectio Dei augeatur vel minuatur. Deinceps immutabilitas et libertas conciliari possunt; sufficit enim ad divinam perfectionem ut voluntas, quâ Deus seipsum vult necessariò et absolutè, sit prorsùs immutabilis.

Ea Scotistarum opinio est rejicienda; nam, introducit in Deum *modos accidentales*, qui omninò repugnant essentiæ divinæ. Aliundè, quid Scotus intelligat per relationem nec realem, nec strictè rationis in re volità exsurgentem e liberâ Dei voluntate; non liquet. Prætereà, talis opinio paucos sectatores habuit.

Tertium systema. — Juxtà Thomistas et alios sanæ philosophiæ cultores, eo modo immutabilitas et libertas in Deo conciliari possunt: 1°, Actus liber sub duplici respectu considerari debet; nempè, quatenùs est *subjectivè* in Deo; et in quantùm terminatur ad *effectum* extrinsecum, scilicet ad creaturam. 2°, Actus divinus in se spectatus est simplex, immutabilis, necessarius; etenim, ab eo removere debemus omnes imperfectiones actùs hominis (1). 3°, Effectus autem ad quos terminatur

(1) In homine, voluntas duplici modo « incipit aliquid velle, inquit sanctus Thomas. Uno modo sic, quod de novo incipiat sibi illud esse bonum, quod non est absque mutatione ejus : sicut adveniente frigore,

voluntas Dei, sunt multiplices, mutabiles, contingentes. 4°, Ità servatur immutabilitas : nam, in Deo spectata, determinatio est necessaria et simplicissima. Servatur et libertas ; etenim effectus externi potuissent esse vel non esse.

Thomistarum systema est admittendum et enixè propugnandum; nam, ratione simul et auctoritate probatur : *ratione,* quià defensores hujus sententiæ modos accidentales Scotistarum et omnem imperfectionem a Deo removent; *auctoritate*, nam, apud veteres et recentiores maximam partem philosophorum ad se trahit. *)

CAPUT SECUNDUM.

DE VITA DEI AD EXTRA.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de vita Dei ad extrà?

63. Vivit Deus *ad intrà*, vitaque illius consistit in *intelligere* et *velle*, de quibus hactenùs dictum est. Omnia deinceps opera Ejus *ad extrà* procedunt ab intellectu et voluntate. Et verùm, tres effectus operationum Dei ad extrà, *creatio* scilicet, *conservatio* et *gubernatio*, præcipuè et primariò tribuuntur *potentiæ;* sed potentia, ut infrà videbitur, nihil est nisi « principium » intellectùs et voluntatis « effectivum. »

Ecce synopsis omnium Dei operationum sive ad intrà, sivè ad extrà :

incipit esse bonum sedere ad ignem, quod priùs non erat. Alio modo sic, quod de novo cognoscat illud esse sibi bonum, cùm priùs hoc ignorasset, ad hoc enim consiliamur, ut sciamus quid nobis sit bonum. Ostensum est autem suprà, quod tam substantia Dei quam ejus scientia est omninò immutabilis : undè oportet voluntatem ejus omninò esse immutabilem. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 7.

VIVIT DEUS.

1°,
Opera Dei *ad intrà*
consistunt
in *intelligere*
et *velle*.

2°,
Objectum intellectûs
est *verum*,
et actus
est *scientia*.

3°,
Objectum voluntatis
est *bonum*,
et actus
est *amor*.

4°,
Opera Dei *ad extrà*
procedunt a *potentiâ*,
per quam Deus *creat*,
conservat, *gubernat*.

Ea, quæ *speciatim* referri debent ad intelligere aut velle, jam sunt recensita; hic ergò dicendum est de his, quæ revocantur ad intellectum *simul* ac voluntatem, et tribuuntur potentiæ. Sex erunt articuli : 1^us^, De *Potentiâ* Dei; 2^us^, De *Creatione* et *Conservatione;* 3^us^, De *Concursu* divino; 4^us^, De *Providentiâ* Dei; 5^us^, De errore *Deistarum;* 6^us^, De summâ Dei *Beatitudine*.

ARTICULUS PRIMUS.

De potentiâ Dei.

I. Quot sunt dicenda de potentiâ Dei?

64. Priusquam dicamus quid egerit Deus extrà seipsum, sciendum est quid facere potuerit. Ad rem tria sunt inquirenda : 1°, quid sit *potentia* Dei; 2°, quodnam sit *objectum* illius; 3°, quot *errores* prodierint circà Dei omnipotentiam.

(A.) Quid sit *potentia* Dei?

Ut potentia divina faciliùs definiri possit, adnotandum est intellectum Dei, adjunctâ voluntate Ejus, esse causam rerum; nam, Deus in operibus suis ad extrà non agit ex necessitate, ut vidimus; idcircò determinari debet ad agendum per scientiam et voluntatem. « Scientia Dei, ait sanctus Thomas, est causa rerum. Sic enim scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificiata. Scientia autem artificis est causa artificiatorum, eò quod artifex operatur per suum intellectum. » Et ibidem : « Manifestum est quod Deus per intellectum suum causat res, cum ejus *esse* sit ejus *intelligere;* undè necesse est quod sua scientia sit causa rerum, secundùm quod habet voluntatem conjunctam (*Sum. Theol.*, I, q. 14, a. 8). » Et infrà : « (Deus) non agit per necessitatem naturæ; sed effectus determinati ab infinitâ ipsius perfectione procedunt secundùm determinationem voluntatis et intellectûs ipsius (q. 19, a. 4). »

Principium autem activum et intrinsecum, quo intellectus et voluntas effectus externos producunt, aut producere possunt, vocatur *potentia*, quæ meritò definiri solet a scholasticis : *Principium activum, intellectûs et voluntatis Dei effectivum*. Dicitur *principium activum;* nempè, duplex est potentia, una quidem activa, altera autem passiva; « potentia activa est principium agendi in aliud; potentia verò passiva est principium patiendi ab alio. » Sed, quùm Deus sit « purus actus et simpliciter et universaliter perfectus, » nulla passivitas in Eo inveniri potest; undè, potentia Dei et principium essentialiter activum.

Potentia Dei vocatur principium *intellectûs et voluntatis effectivum;* id est principium, quo intellectus et voluntas effectus externos producunt; ideoque, non di-

stinguitur, nisi distinctione rationis, ab intellectu et voluntate. Quod expressè docuit sanctus Thomas : « Potentia, inquit, non ponitur in Deo ut aliquid differens a scientiâ et voluntate secundùm rem, sed solùm secundùm rationem ; in quantùm scilicet potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit : quæ tria Deo secundùm idem conveniunt (q. 25, a. 1, ad 4^{um}). »

(B.) Quodnam sit *objectum* potentiæ Dei?

Posse in Deo non differt ab *intelligere* et *velle;* item, intelligere et velle non differunt ab *esse;* sed, essentia Dei est infinita ; ergò, necesse est dicere potentiam Dei esse *infinitam*. Objectum autem hujus potentiæ non est ipsum Ens infinitum, ut sedulò notandum est adversùs quosdam pantheistas recentes; videlicet, Deus non producit seipsum vi suæ potentiæ. Aliundè, potentia Dei non limitatur ad ea, quæ realiter fuerunt, vel sunt, vel erunt ; nam, præter illa, Deus posset alia facere et majora et meliora. Posset etiam augere perfectionem non essentialem, sed accidentalem eorum, quæ sunt.

Verè ac propriè Dei potentia extenditur ad hæc omnia, quæ sunt absolutè *possibilia ;* nempè, Deus potest facere quidquid in se *contradictionem* non involvit ; et in eo sensu dicitur *omnipotens*. « Communiter confitentur omnes, ait sanctus Thomas, Deum esse omnipotentem... Quià potest omnia possibilia absolutè... Dicitur autem aliquid possibile vel impossibile absolutè ex habitudine (seu convenientiâ aut discrepantiâ) terminorum : possibile quidem absolutè, quià prædicatum non repugnat subjecto, ut Socratem sedere : impossibile verò absolutè, quià prædicatum repugnat subjecto, ut hominem esse asinum (a. 3). » Deus autem non potest facere id, quod involvit contradictionem.

(* (C.) Quot *errores* prodierint circà Dei omnipotentiam?

Multi erraverunt circà Dei omnipotentiam. Imprimis, pantheistæ nonnulli, duce Fichte, contendunt objectum potentiæ Dei non esse quidquid habet rationem possibilitatis, sed ipsum *esse* divinum; eapropter, ut aiunt, Deus seipsum, « causat et evolvit. » Alii, post Cartesium, possibilitatem rerum ab ipsâ Dei voluntate repetunt; undè, juxtà eos, illud est possibile quod Deus vult esse tale. Quidam, duce Leibnitzio, docent Deum non posse alia, neque meliora illis, quæ facit; nam, ut autumant, Ens sapientissimum res optimas condere debet. Alii tandem, post Victorem Cousin, putant Deum esse causam necessariam; undè, juxtà illos, nihil potest facere, nisi ea, quæ facit.

Pantheismus alibi confutatus est. Cartesii sententia est merè « circulatio, » seu circulus vitiosus, res enim non sunt possibiles, quià Deus potest eas facere, sed Deus potest eas facere, quià possibiles sunt; prætereà, sententiæ Leibnitzii et Victoris Cousin non solùm libertatis, verùm etiam potentiæ Dei sunt eversivæ; potentiam enim divinam limitant ad ea, quæ realiter existentiam sortiuntur. Ergò, Dei omnipotentia, ut vidimus, extenditur ad omnia possibilia, et jurè dicitur infinita, etsi Deus infinita non faciat (1). *)

(1) « Manifestum est quod Deus non est agens univocum; nihil enim aliud potest cum eo convenire, neque in specie, neque in genere; undè relinquitur quod effectus ejus semper est minor quam potentia ejus. Non ergò oportet quod manifestetur infinita potentia Dei in hoc quod producat effectum infinitum. Et tamen etiamsi nullum effectum produceret, non esset Dei potentia frustrà : quià « frustrà est, quod ordinatur ad finem quem non attingit; » potentia autem Dei non ordinatur ad effectum sicut ad finem, sed magis ipsa est finis sui effectûs. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 25, a. 2, ad 2^um^; Aristot., II *Physic.*, c. 6.

ARTICULUS SECUNDUS.

De creatione et conservatione.

I. Quid est creare?

65. Primus actus potentiæ est *creare*. Jam, alibi creatio definita est : *productio substantiæ e nihilo*. Ea notio concipitur a posteriori per effectus, quùm originem orbis physici inquirimus ; undè, pertinet ad Cosmologiam. Prætereà, luculenter ostensum est omnia sive materialia, sive spiritualia, exordium a Deo sumpsisse per creationem e nihilo. Nonnulla verò, ad uberiorem Dei notitiam, explicare juvat de ipso actu creationis in primâ Causâ spectato.

Porrò, Deus sub triplici ratione habetur ut Conditor omnium; nempè, dici potest causa *efficiens*, causa *exemplaris*, et causa *finalis* earum rerum, quibus conflatur orbis universus. Et sic splendet triplex unitas in Opere divino; scilicet unitas in *origine*, unitas in *exsecutione*, et unitas in *fine*.

Itemque, potentia, intellectus et voluntas, ut diximus, sunt una et eadem causa rerum; attamen, Deus quatenùs est causa efficiens, orbem physicum educens e nihilo, *potentiam* suam præcipuè manifestat; ut causa exemplaris, imprimit in rebus vestigium vel imaginem suiipsius, et sic manifestat suam *veritatem;* aliundè, in quantùm est causa finalis, omnia disponens ad seipsum, *bonitatem* suam manifestat.

Undè, triplex oritur consequentia : videlicet, e potentiâ sequitur supremum Dei *dominium* et creaturæ dependentia; e veritate per modum vestigii impressâ in rebus physicis infertur rationem humanam Deum *contemplari* posse in orbe creato; tandem e bonitate, quam Deus in-

fundit in creaturas, oritur necessitas Deum redamandi et omnia propter eum diligendi.

Ideoque, reperimus in creatione triplicem *causalitatem*, triplicem *unitatem*, triplicem *manifestationem*, triplicem *consequentiam*. Hæc omnia exprimuntur schemate sequenti :

DEUS EST

1°,	2°,	3°,
Causa *efficiens* omnium. Undè, apparet *unitas* in origine rerum. Item, in creatione manifestatur *potentia* Dei; in quâ deinceps innititur *dominium* Creatoris et *dependentia* creaturæ, ideoque fundamentum Ethicæ.	Causa *exemplaris* omnium. Hinc, *unitas* splendet in executione rerum. Prætereà, Deus ut exemplar imprimit *sui vestigium* in rebus; idcircò, per *contemplationem* rerum ad archetypum ascendere possumus, ut scholastici docent in theoriâ idearum.	Causa *finalis* omnium. Undè, comperitur *unitas* in fine rerum. Aliundè, Deus tanquam causa finalis diffundit quamdam *bonitatem* in res creatas; eapropter, ad Eum per viam *amoris* tendere debemus; et ità præceptum dilectionis in ipsâ rerum naturâ fundatur.

1°, Deus est causa *efficiens* omnium.

PROPOSITIO.

Non solùm Deus est Creator omnium; sed etiam actio creatrix soli Deo propria est.

Prima pars propositionis constat; Deus enim, ut vidimus, est prima causa omnium; sed, causa hujusmodi res finitas non eduxit e suâ substantiâ, nec e materiâ suppositâ; ergò, Deus omnia creavit e nihilo (1).

(1) « ... Necesse est ponere a Deo omnia creata esse... Quicumque

Probatur secunda pars propositionis. — Effectus nobilior et universalior, ut alibi dictum est, primæ Causæ tribui debet; sed, non est effectus creatione nobilior nec universalior; ergò, soli Deo tribuenda est creatio; proindè, *actio creatrix* Deo propria est.

Aliundè, creatio substantiæ e nihilo supponit virtutem infinitam; nam, inter ens et nihilum adest distantia, ut aiunt, infinita; Deus igitur, et Ipse solus, potest educere substantiam e nihilo.

Actio creatrix in Deo spectata est immutabilis et æterna, in quantùm autem terminatur ad res externas, quamdam relationem implicat, secundùm ea sancti Doctoris : « Creatio in creaturâ non (est) nisi relatio quædam ad creatorem, ut ad principium sui *esse;* sicut in passione quæ est cum motu, importatur relatio ad principium motûs (a. 3). » Sed, ut notandum est, ea relatio non supponit novam *entitatem*, aut aliquam *mutationem* ex parte Dei; nam, dicente sancto Thomâ, « creatio activè accepta significat actionem divinam, quæ est ejus essentia, cum relatione ad creaturam. Sed relatio in Deo ad creaturam *non est realis*, sed secundùm rationem tantùm; relatio verò creaturæ ad Deum est relatio realis (*Ibidem*, ad 1^um^). »

Undè, creatione semel effectâ, Deus non est ditior,

enim facit aliquid ex aliquo, illud ex quo facit præsupponitur actioni ejus, et non producitur per ipsam actionem : sicut artifex operatur ex rebus naturalibus, ut ex ligno et ære, quæ per artis actionem non causantur, sed causantur per actionem naturæ. Sed et ipsa natura causat res naturales quantùm ad formam, sed præsupponit materiam. Si ergò Deus non ageret nisi ex aliquo præsupposito, sequeretur quod illud præsuppositum non esset causatum ab ipso. Ostensum est autem suprà, quod nihil potest esse in entibus quod non sit a Deo, qui est causa universalis totius esse : undè necesse est dicere quod Deus ex nihilo res in esse producit. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 45, a. 2.

neque beatior; non est etiam *plus entis, veritatis* et *bonitatis*, etsi *plura* sint *entia*, *vera* et *bona* (1).

2°, Deus est causa *exemplaris* omnium.

PROPOSITIO.

Deus omnia condidit secundùm ideas suas exemplares; ideoque, vestigium sui vel imaginem in rebus impressit.

Probatur *ratione*. — Omnis opifex secundùm exemplar quoddam agere debet; sed, quùm antè creationem nihil esset præter Deum, necesse est dicere omnia fuisse condita secundùm ideas exemplares quæ sunt in intellectu divino.

Aliundè, omnis effectus præ se fert vestigium aut imaginem exemplaris secundùm quod fuit conditus; atqui, res omnes conditæ sunt ad imaginem Dei; ergò, Dei vestigium vel imago reperitur in rebus creatis : nempè, vestigium in rebus physicis, et imago in mente humana (2).

(* Probatur *auctoritate*. — Eadem theoria centies exponitur apud sanctum Thomam, cujus verba referre juvabit : « Deus

(1) « De même qu'après la création il n'y a ni plus ni moins d'être au singulier, *plus entis*, qu'il y a seulement plus d'être au pluriel, *plura entia* (Suarez); de même, après la création, il n'y a pas plus d'énergie, mais plus d'être participant à l'énergie. » F. Moigno, *Les Mondes*.

(2) De distinctione inter vestigium et imaginem appositè scripsit sanctus Thomas, dicens : « Omnis effectus aliqualiter repræsentat suam causam, sed diversimodè. Nam aliquis effectus repræsentat solam causalitatem causæ, non autem formam ejus, sicut fumus repræsentat ignem; et talis repræsentatio dicitur esse repræsentatio *vestigii;* vestigium enim demonstrat motum alicujus transeuntis, sed non qualis sit. Aliquis autem effectus repræsentat causam quantùm ad similitudinem formæ ejus, sicut ignis generatus ignem generantem, statua Mercurii, Mercurium; et hæc est repræsentatio *imaginis*. » *Sum. Theol.*, p. 1, q. 45, a. 7.

est prima causa *exemplaris* omnium rerum, ad cujus evidentiam considerandum est quod ad productionem alicujus rei ideò necessarium est exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur : artifex enim producit determinatam formam in materiâ, propter exemplar ad quod inspicit, sive illud sit exemplar ad quod extrà intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum. Manifestum est autem quod ea quæ naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur. Hæc autem formarum determinatio oportet quod reducatur, sicut in primum principium, in divinam sapientiam, quæ ordinem universi excogitavit, qui in rerum distinctione consistit. Et ideò oportet dicere quod in divinâ sapientiâ sint rationes omnium rerum, quas diximus ideas, id est, formas exemplares in mente divinâ existentes : quæ quidem, licet multiplicentur secundùm respectum ad res, tamen non sunt realiter aliud a divinâ essentiâ, prout ejus similitudo a diversis *participari* potest diversimodè. Sic igitur ipse Deus est exemplar omnium (q. 44, a. 3). » *)

3°, Deus est causa *finalis* omnium.

PROPOSITIO.

Ratio creationis est ipsa bonitas divina; omniaque ordinantur ad Dei gloriam ut ad finem ultimum.

Probatur prima pars. — Qui liberè agit, non impellitur ad actum ex necessitate, sed ex voluntate propriâ; atqui, Deus liberè condidit universa; ergò, nulla ratio creationi assignari potest, nisi sola Dei voluntas seu bonitas, quæ est essentialiter sui diffusiva, ut alibi dictum est : « Primo agenti, qui est agens tantùm, ait sanctus Thomas, non convenit agere propter acquisitionem alicujus finis, sed intendit solùm communicare suam perfectionem quæ est ejus *bonitas* (1). »

(1) *Sum. Theol.*, p. I, q. 44, a. 4. « Divina bonitas est finis rerum omnium. » *Ibidem*. « Amor Dei est infundens et creans bonitatem in

Probatur secunda pars. — Deus, creationem liberè statuendo, nihil sibi proponere debuit, nisi manifestationem perfectionum suarum, seu gloriæ suæ *intrinsecæ;* aliter enim egisset sine ratione sufficiente. Idcircò, finis ultimus omnium est manifestatio *extrinseca* gloriæ Dei. Brevius : Ratio creationis et *bonitas* divina; finis Creatoris est gloria Dei *intrinseca;* et finis creationis est manifestatio *extrinseca* gloriæ divinæ, ut alibi dictum est.

Probatur etiam propositio e summâ Dei *liberalitate.* Deus enim in operibus ad extrà non agit ex necessitate, neque propter utilitatem; sed Ejus liberalitas infinita et summa bonitas est motivum unicum et finis ultimus omnium rerum.

Hinc, Deus ea, quæ vult, ad existentiam adducens, in omnibus bonitatem quamdam infundit. Ideò, creatione effectà, « vidit cuncta quæ fecerat et erant valdè bona (*Genes.*, 1, 32). Alia autem præstant aliis, et dicente sancto Thomâ, creaturæ « ignobiliores sunt propter nobiliores; » sic in orbe physico omnia sunt propter hominem. « Ulteriùs autem singulæ creaturæ sunt propter perfectionem totius universi. Ulteriùs autem totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem (q. 65, a. 2). » Et ità in rebus splendet ordo mirabilis.

Prætereà, creaturæ irrationales Deum non laudant, nisi quatenùs exprimunt in seipsis aliquid veritatis, pul-

rebus. » Q. 20, a. 2. — « Dieu nous aime d'un amour actif. C'est cet amour qui a créé toutes choses : le néant n'a ni droit qui oblige, ni beauté qui attire : sans être aucunement provoqué, l'amour se penche vers lui, s'étend sur lui, le couve, l'inonde de sa surabondance; et de ce rien, librement pénétré par l'amour, sort soudain cet incomparable univers. » C. Gay, *De la vie et des vertus chrétiennes,* De la charité envers Dieu, I.

chritudinis, bonitatis infinitæ; sed creaturæ rationales pollent facultate Deum cognoscendi et amandi; undè, inter illas et Deum existere potest commercium quoddam amicitiæ.

II. **Utrùm Deus res creatas conservat?**

66. Creationem sequitur *conservatio;* seu : *actus potentiæ Dei, quo res creatæ esse pergunt.* Duplex conservatio distingui potest, una *positiva* et directa, àlteraque *negativa* et indirecta ; conservatio positiva et directa supponit jugem quemdam Deî influxum, quo res in existentiâ suâ « perdurant, » ut aiunt; conservatio autem negativa et indirecta significat res ex se in existentiâ suà perseverare, modò Deus eas non destruat. Jam, statui potest sequens

PROPOSITIO.

Creaturæ omnes, ut esse pergant, indigent conservatione, *eaque* directâ *et* positivâ.

Illa propositio dirigitur adversùs Gassendi, Bayle, Crousaz, Galluppium, et àlios recentes nòn paucos.

Probatur *ex naturâ Dei.* — Vel actus potentiæ divinæ, quo res e nihilo educuntur, positivè perseverat post creationem, et ità res mundanas directè servat; vel esse desinit, et tunc voluntas Dei mutatur; quod fieri non potest quin creaturæ redigantur in nihilum. Ergò, vel Deus creaturas positivè conservat, vel eas directè « demolitur. »

Probatur *ex naturâ creaturæ.* — Quùm omnis creatura sit contingens, finita et mutabilis, nec esse potest, nec in existentiâ perseverare sine àctu jugi et positivo primæ

Causæ; ergò, sicut ad creationem, ità et ad conservationem rerum actio Dei positiva requiritur.

Probatur *antecedens*. — Res contingentes et finitæ nihil sunt e *naturâ suâ* nisi merè *possibiles;* idcircò, non possunt *actu existere* sine influxu primæ causæ; sed, deficiente causâ absolutè necessariâ, deficit et ipse effectus. Ergò, nisi actio creatrix esset jugis et positiva, res creatæ non servarentur in esse.

Undè, per *actionem creatricem* res incipiunt esse, et pergunt in existentiâ suâ per *conservationem*, quæ dici solet a nonnullis *creatio continuata*. Hac in re fides et ratio inter se mutuò consentiunt; nam, ut ait sanctus Doctor : « Necesse est dicere et secundùm *fidem* et secundùm *rationem*, quod creaturæ conservantur in esse a Deo (q. 104, a. 1). »

ARTICULUS TERTIUS.

De Concursu divino.

I. Quot sunt dicenda de concursu divino?

(* 67. Res accipiunt *esse* per creationem e nihilo; deinceps, in *existentiâ* suâ perseverant ope conservationis positivæ; item, *operari* nequeunt sine influxu speciali, quem appellamus *concursum* divinum. Undè, apparet absoluta rerum dependentia a Deo : quippè, non possumus *esse*, nisi actu creatrici; prætereà, existentiam *servare* nequimus, sine conservatione directâ; imò *agere* non possumus, absque Dei concursu. Ad rem dicendum est quomodò *definiri* possit concursus divinus; *quotuplex* sit; quænam sit Thomistarum et Molinistarum *controversia;* quid *sentiendum* de naturâ et efficaciâ concursûs divini; quomodò concursus Dei *prævius* et *libertas* hominis conciliari possint.

1°, Quomodò *definiri* possit concursus divinus?

Juxtà Thomistas, concursus divinus jurè definitur : *actus potentiæ divinæ, efficienter influens in actiones naturales crea-*

turæ. Est *actus potentiæ divinæ*, et idcircò intellectûs et voluntatis; nam, ut vidimus, potentia, intellectus et voluntas agunt *per modum unius*, in operibus ad extrà. *Efficienter influit;* videlicet, ille concursus est e naturâ suâ efficax, necnon immediatus, prævius et physicus; ideoque, dicitur *præmotio physica*, ut infrà videbitur. Influit in *actiones naturales creaturæ;* et sic distinguitur distinctione rationis a creatione et conservatione : per creationem enim res accipiunt *esse*, et per conservationem in *existentiâ* suâ pergunt, per concursum autem in *actionibus* suis diriguntur. Prætereà concursus, de quo philosophi disserunt, essentialiter discrepat ab auxilio *gratiæ*, cujus ope Deus influit in actiones vitæ *supernaturalis*.

2°, *Quotuplex* sit concursus divinus?

Multiplex distinguitur concursus divinus : imprimis, *in se* sumptus, dividi solet in *mediatum* et *immediatum;* mediatus ille est, quo Deus largitur creaturis vires naturales, quibus agere possint; immediatus autem ille est, quo Deus operatur cum causâ secundâ, et ad eumdem effectum realiter concurrit.

Relativè ad *agentem* qui operatur, concursus dividi solet in *prævium* et *simultaneum :* prævius determinationem causæ secundæ præcedit, eamque præmovet ad agendum; simultaneus autem est auxilium, quo Deus creaturam adjuvando comitatur, sed ejus actionem non prævenit.

Ratione *modi* quo in actionem influit, concursus divinus potest esse *physicus* vel *moralis :* concursus physicus, seu *præmotio physica*, ut aiunt, est actio quâ Deus ut prima causa directè influit in causam secundam, et eam efficienter et activè impellit ad agendum; concursus verò moralis in eo consisteret, quod Deus alliciendo, suadendo, hortando, causam secundam determinaret ad aliquid faciendum (1).

(1) De præmotione physicâ egregiè scripsit Goudin : « Physica præmotio, ait, sive prædeterminatio est influxus causæ primæ, receptus non quidem immediatè in effectibus, sed in causis secundis, quo Deus ipsis actualem efficacitatem inspirat, quo eas movet, et applicat non solùm *objectivè* et *moraliter*, alliciendo et suadendo, sed etiam *physicè*

Secundum *efficaciam* suam, concursus divinus vocari potest *efficax ab intrinseco*, vel *efficax ab extrinseco :* est efficax ab intrinseco, si independenter ab omni prævisâ determinatione causæ secundæ effectum suum sortitur; si autem concursus ejusmodi effectum suum attingit e determinatione prævisâ causæ secundæ, dicitur efficax ab extrinseco. Prior est efficax *e naturâ suâ;* posterior vero efficacitatem suam desumit *e determinatione causarum secundarum.*

Tandem, relativè ad *terminum* circà quem fertur, concursus dividi potest in *specialem* et *generalem :* specialis est, si Deus pro qualibet actione auxilium determinatum creaturæ largitur; si autem auxilium illud est vagum, et proindè ad talem aut talem effectum indifferens, tunc concursus dici debet generalis et indeterminatus.

3°, Quænam sit Thomistarum et Molinistarum *controversia?*

Jam ferè omnes philosophi, si quosdam veteres et recentiores excipias, necessitatem concursûs *immediati* asserunt; de naturâ autem hujus concursûs minimè consentiunt inter se : alii enim, post Thomistas, præmotionem physicam, et alii, duce Molinâ, concursum simultaneum et concomitantem enixè propugnant. Deinceps ad illa duo systemata revocantur omnes philosophorum et theologorum sententiæ.

Ecce præcipua Molinistarum placita : Molinistæ, ut vidimus, scientiam mediam excogitârunt ad tuendam libertatem humanam; item, ad concordiam ejusdem libertatis cum concursu divino, docuerunt auxilium, quo Deus concurrit in actiones nostras liberas, esse *simultaneum seu concomitans, morale, indeterminatum, et suam efficaciam desumens ab extrinseco, sive ex prævisione consensûs, sive ex congruentiâ, sive ex multitudine auxiliorum.*

et *activè*, interiùs inclinando, applicando, determinando, ac ultimam illam activitatem, ad quam sequitur actio, influendo, et ideò dicitur motio *physica*. Sed quià motio, et applicatio virtutis activæ ad agendum est prior naturâ, quam ipsa actio, sicut omnis via est prior suo termino, et omnis causa suo effectu; ideò motio illa dicitur prævia motio seu præmotio. » *Philos.*, t. IV, p. 3, q. 4, a. 2.

Concursus est simultaneus; quippè, omnes causæ secundæ, quùm activitate intrinsecâ gaudeant ex seipsis, sine concursu prævio, ad agendum determinantur; Deus autem, dùm voluntas actum suum elicit, auxilium quoddam ei subministrat et concomitanter cum illâ concurrit ad effectum producendum.

Ille concursus non est physicus, sed moralis; nempè, Deus non agit in voluntatem liberam, nisi alliciendo, adhortando, suadendo, terrendo, blandiendo; seu, Deus voluntati præbet motiva, quibus afficitur et virtute propriâ erumpit in actum. Quænam sint autem hujusmodi motiva, controvertitur inter ipsos Molinistas : alii ea reponunt in impressionibus, quæ producuntur in animam circumstantiis exterioribus; alii verò dicunt ea consistere in illuminationibus rationis, vel in adjumentis quibusdam voluntatis.

Idem concursus non est specialis, sed vagus et indifferens ad talem talemve actionem; undè, creatura potest ad quamlibet actionem sive honestam, sive turpem, eodem uti auxilio. Sic, ait Molina, calor solis ex se indifferens est ad hunc vel illum effectum, videlicet ad procreandum animal, aut plantam.

Tandem, concursus divinus non est e naturâ suâ et ab intrinseco efficax, sed efficaciam suam ab extrinseco desumit; nempè, juxtà Molinam, auxilium a Deo præstitum obtinet effectus suos, quià Deus prænoscit voluntatem humanam, cum tali talive auxilio, consensuram esse. Suarezius autem asserit efficaciam auxilii divini desumendam esse ex ipsius auxilii *congruitate* cum naturâ voluntatis humanæ, adjunctis circumstantiis loci, temporis et personarum. Denique Thomassinus ponit efficaciam concursûs divini in multitudine auxiliorum, quæ a Deo præstituuntur homini; nempè, Deus tot et tanta nobis auxilia porrigit, ut certò prænoscat nos esse consensuros.

Thomistæ verò, ut nihil subtrahant supremo Dei dominio in res creatas, ea tenent et docent : quemadmodùm Deus omnia præterita, præsentia et futura cognoscit a priori in seipso, ità omnes actiones creaturarum naturales determinat a priori in decretis suis; undè, concursus per quem influit in actiones nostras sive necessarias, sive liberas, *est immediatus*, *prævius*,

physicus, specialis et e naturâ suâ seu ab intrinseco efficax. Ille concursus dici solet *præmotio physica.*

Præmotio est immediata; nempè, Deus ut causa prima operatur cum causâ secundâ, et concurrit ad eumdem effectum; ità tamen ut effectus totus tribuatur causæ primæ, et totus causæ secundæ, licet sub diverso respectu. Concursus est prævius; et verò, quemadmodùm Deus ut primum Ens influit *esse* in rebus omnibus, ità ut prima Causa influit in creaturis virtutem *agendi*, easque præmovet ad actum (1).

Præmotio illa dicitur physica, id est, ut aiunt Thomistæ, Deus causas secundas movet ad actum, « non solùm objectivè et moraliter, alliciendo et suadendo, sed etiam physicè et activè, interiùs inclinando, applicando, determinando, ac ultimam illam activitatem, ad quam sequitur actio, influendo. »

Concursus Dei non est indeterminatus, nec ad talem aut talem effectum indifferens, sed omninò determinatus et ad finem suum aptissimè dispositus; undè, prima Causa pro quibuslibet causis secundis et pro qualibet actione disponit auxilium quoddam speciale : « (Dieu), ait Bossuet, ne veut pas seulement en général que nous exercions notre liberté, mais il veut que nous l'exercions par tel ou tel acte. Car lui, dont la science et la volonté vont toujours jusqu'à la dernière précision des choses, ne se contente pas de vouloir qu'elles soient en général; mais il descend à ce qui s'appelle tel et tel, c'est-à-dire à ce qu'il y a

(1) « Sicuti Deus in ratione primi Entis influit continuò rebus omnibus ipsum *esse*.....; ità quoque in ratione primæ Causæ ceteris omnibus influit in ipsum *agere*. » Goudin, *Loc. cit.* — « Dès qu'on nomme la cause première, il faut la faire aller partout devant; et si on songe à l'accorder avec son effet, il faut fonder cet accord en ce qu'elle est cause, et cause encore qui, n'agissant pas avec une impétuosité aveugle, ne fait ni plus ni moins qu'elle veut; ce qui fait qu'elle ne craint pas de prévenir son effet en tout et partout, parce qu'assurée de sa propre vertu, elle sait qu'ayant commencé, tout suivra précisément comme elle l'ordonne, sans qu'elle ait besoin pour cela de consulter autre chose qu'elle-même. » Bossuet, *Traité du libre arbitre*, c. VIII.

de plus particulier, et tout cela est compris dans ses décrets (*Traité du libre arbitre*, c. VIII). »

Concursus divinus est ab intrinseco et e naturâ suâ efficax; nempè creaturas efficienter determinat ad agendum; verumtamen, ut sedulò notandum est, quùm Deus velit quædam fieri necessariò, quædam autem liberè, ità disponit omnia ut inter causas secundas aliæ necessariò, aliæ verò liberè ad actum erumpant : « Cum voluntas divina sit *efficacissima*, ait sanctus Doctor, non solùm sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus *necessariò*, quædam *contingenter*, ut sit ordo in rebus, ad complementum universi (1). »

4°, Quid *sentiendum* de naturâ et efficaciâ concursûs divini ?

Thomistarum theoria de præmotione physicâ, eaque sola, non minuit concursum divinum; aliundè non evertit libertatem humanam; undè, statuitur sequens

PROPOSITIO.

Ad actiones creaturarum naturales, sive necessarias, *sive* liberas, *requiritur* præmotio physica, *seu concursus* immediatus, prævius, physicus, specialis *et* ab intrinseco *efficax*.

Probatur *indirectè*, ex falsitate sententiæ Molinistarum. — Concursus simultaneus et concomitans non sufficit quadruplici de causâ; ergò, requiritur præmotio physica.

(A.) Quidquid est ens a Deo procedit tanquam a primâ causâ; sed, in systemate concursûs simultanei, esset ens quod a Deo

(1) *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 8. « Et ideò, quibusdam effectibus aptavit causas necessarias quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quià causæ proximæ sunt contingentes; sed propterea, *quià Deus voluit* eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit. » *Ibidem;* ità *Opusc.*, II, c. CXL, 6. *Metaphys.*, l. V.

non procederet, nempè determinatio causæ secundæ; ergò, non sufficit hujusmodi coucursus.

(B.) Aliundè, Deus habet supremum dominium in omnes creaturas; sed, in hypothesi concursûs simultanei, determinationes libertatis humanæ non penderent a supremo Dei dominio, ut evidens est; ergò, non sufficit ille concursus.

(C.) Præterea, influxus moralis, vagus, indifferens et indeterminatus, non est concursus propriè dictus; est enim de naturâ concursûs ut sit aptatus actibus nostris in particulari. Ergò, in systemate Molinistarum tollitur influxus divinus in actiones hominum liberas.

(D.) Tandemque, ut omittamus spectaculum primæ Causæ et voluntatis humanæ, quæ simul concurrunt ad eumdem effectum, uti duo equi rhedam trahentes, non possumus efficaciam auxilii divini repetere a prævisione determinationis causarum secundarum; Deus enim, in hac hypothesi, aliquid acciperet a creaturis, id est passivè se haberet in cognitione actuum voluntatis liberæ; quod rationi contradicit, ut alibi dictum est. Ergò, concursus simultaneus et concomitans non sufficit.

Probatur *directè*. — Notio primæ Causæ implicat necessitatem præmotionis physicæ; ergò, requiritur præmotio physica ad exercitium causarum secundarum.

(A.) Requiritur concursus immediatus : nam, quidquid est entis, a Deo efficitur tanquam a causâ principali; sed, causa principalis immediatè influit in effectum; ergò, quidquid est entis supponit immediatum Dei influxum : « Si consideremus supposita agentia, ait S. Thomas, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum. Si autem consideremus virtutem, quâ fit actio, sic virtus superioris causæ erit *immediatior* effectui quam virtus inferioris; nam virtus inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris... Sic ergò oportet virtutem divinam adesse cuilibet rei agenti (1). »

(1) *Qq. dist. De Potentiâ*, q. 3, a. 7. Utrùm Deus operetur in operatione naturæ. — Et alibi : « Quantò agens est magis proximum et immediatum, tantò virtus ejus est mediata, et primi agentis virtus est

(B.) Requiritur concursus prævius : etenim, Deus est prima omnium Causa, ità ut relativè ad Eum omnia sint effectus; sed, causa in genere prior est effectu; undè, necesse est ut influxus Dei in creaturas sit prævius : « Virtus causæ primæ, ait sanctus Thomas, *prius* agit in causatum, et vehementius ingreditur in ipsum. » « Dès qu'on nomme la cause première, ait Bossuet, il faut la faire partout aller devant (*Traité du libre arbitre*, c. VIII). »

(C.) Requiritur præmotio physica : nam, quemadmodùm ens merè possibile non potest existentiam accipere, nisi influxu primæ Causæ, ità nullus agens e potentiâ transire potest ad actum, sine influxu reali et activo primi agentis; ille autem influxus realis et activus, per quem movemur et applicamur ad agendum, nihil est nisi præmotio physica; ergò, requiritur præmotio hujusmodi ad actiones creaturarum naturales : « Sequitur de necessitate, inquit sanctus Thomas, quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis ut *movens* et *applicans* virtutem ad agendum (*De pot.*, q. 3, a. 7). »

(D.) Requiritur concursus specialis : nam, omnis determinatio et omnis actus causarum secundarum est aliquid speciale et distinctum; quod fieri nequit nisi influxu speciali et determinato; ergò, Deus qui est intimè præsens omnibus causis secundis, in illis infundit virtutem specialem et proportionatam ad agendum. Major est evidens. Minor etiam videtur certa; nam, causa se-

immediatissima; quod sic patet in terminis. Sint A, B, C, tres causæ ordinatæ, ità quod C sit ultima, quæ exercet operationem; constat tunc quod C exercet operationem per virtutem suam; et quod per virtutem suam hoc possit, hoc est per virtutem B et ulterius per virtutem A. Undè si quæratur quare C operatur, respondetur per virtutem suam; et quare per virtutem suam : propter virtutem B; et sic quousque reducatur in virtutem causæ primæ. Et ità patet quod cùm Deus sit prima causa omnium, sua virtus est *immediatissima* omnibus. Sed quià ipsemet est sua virtus, ideò non tantùm est immediatum principium operationis in omnibus, sed immediatè *in omnibus* operans; quod in aliis causis non contingit, quamvis singulæ res proprias operationes habeant quibus producunt suos effectus. » I *Sent.*, dist. XXXVII, q. 1, a. 1.

cunda est tantùm in *potentiâ* ad agendum, et proindè indiget auxilio speciali ut determinari possit ad *actum*. Aliundè, intellectus Dei, adjunctâ voluntate, est causa rerum; sed, Deus omnia cognoscit et vult modo speciali et determinato (1); ergò, influxus divinus in actiones nostras est omninò specialis et determinatus.

(E.) Præmotio physica est efficax ab intrinseco : nam, omnis efficacia causarum secundarum procedit a Deo tanquam a primâ Causâ; secùs enim, aliquid esset in effectu, quod deficeret in causâ; sed, agens per quod aliæ causæ habent esse efficaces, est efficax e naturâ suâ et ab intrinseco; ergò, Deus efficienter influit in actiones creaturarum naturales : « Oportet dicere, ait sanctus Thomas, quod Deus sit causa omnis actionis rei naturalis. Quantò enim aliqua causa est altior, tantò est communior et efficacior, tantò profundius ingreditur in effectum, et de remotiori potentiâ ipsum reducit in actum (2). »

Ergò, ad actiones creaturarum naturales, sive necessarias, sive liberas, requiritur præmotio physica seu concursus immediatus, prævius, physicus, specialis et ab intrinseco efficax.

5°, Quomodò concursus Dei *prævius* et *libertas* hominis conciliari possint?

(1) « Cum Deus sit causa rerum per suam scientiam..., in tantùm se extendit scientia Dei, in quantùm se extendit ejus causalitas. Undè cùm virtus activa Dei se extendat non solùm ad formas, a quibus accipitur ratio universalis, sed etiam usque ad materiam..., necesse est quod scientia Dei usque ad *singularia* se extendat, quæ per materiam individuantur. » S. Thomas, *Loc. cit.*, a. 11.

(2) *Qq. Disp. De Potentiâ*, q. 3, a. 7. Sic concludit sanctus Doctor : « Et ideò potest dici quod Deus in qualibet re operatur in quantùm ejus virtute quælibet res indiget ad agendum..... Sic ergò Deus est causa actionis cujuslibet inquantùm dat virtutem agendi, et inquantùm conservat eam, et inquantùm *applicat actioni*, et inquantùm ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cùm conjunxerimus his, quod Deus sit sua virtus, et quod sit intrà rem quamlibet non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequetur quod ipse in quolibet operante *immediatè operetur*, non exclusâ operatione voluntatis et naturæ. » *Ibidem*.

Obj. Molinistæ sic argumentari solent contrà Thomistas : Prædeterminatio physica tollit libertatem hominis, et peccatum Deo tribuit; ergò, hujusmodi prædeterminatio est rejicienda.

Resp. *Nego antecedens* donec probetur; undè, *nego consequens.*

Inst. Prædeterminatio physica est ab intrinseco efficax; sed, auxilium e naturâ suâ efficax, effectum suum assequitur; ergò, prædeterminatio physica effectum suum assequitur, et proindè tollit libertatem hominis.

Resp. *Concedo majorem; Distinguo minorem :* auxilium e naturâ suâ efficax effectum suum *semper* assequitur, *concedo; necessariò* assequitur, *subdistinguo :* e *voluntate* Dei, *concedo; secùs, nego.* Id est, quæque Deus vult et quomodò vult, eveniunt : « Cùm igitur voluntas Dei sit efficacissima, ait sanctus Doctor, non solùm sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus *necessariò*, quædam *contingenter* (1). »

Inst. Juxtà Thomistas, quidquid procedit a voluntate humanâ, Deo tribuendum est; sed, peccatum procedit a voluntate hominis; ergò, peccatum Deo tribuendum est.

(1) *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 8. — « La cause de tout ce qui est, c'est la volonté de Dieu; et nous ne concevons rien en lui par où il fasse tout ce qu'il lui plaît, si ce n'est que sa volonté est d'elle-même très-efficace. Cette efficace est si grande, que non-seulement les choses sont absolument dès là que Dieu veut qu'elles soient; mais encore qu'elles sont telles, dès que Dieu veut qu'elles soient telles; et qu'elles ont une telle suite et un tel ordre, dès que Dieu veut qu'elles l'aient. Car il ne veut pas les choses en général seulement; il les veut dans tout leur état, dans toutes leurs propriétés, dans tout leur ordre. Comme donc un homme est dès là que Dieu veut qu'il soit, il est libre dès là que Dieu veut qu'il soit libre, et il agit librement dès là que Dieu veut qu'il agisse librement, et il fait librement telle et telle action dès là que Dieu le veut ainsi. » Bossuet, *Traité du libre arbitre*, c. VIII. — « Voluntas divina est agens fortissimum, undè oportet ejus effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solùm fiat quod Deus vult fieri... (sed) ut fiat eo modo quo Deus vult fieri. » S. Thomas.

Resp. *Distinguo majorem :* Deo tribuendum est quidquid procedit a voluntate humanâ tanquam *entitas* realis, *concedo ;* tanquam *defectus* perfectionis debitæ, *nego. Distinguo* quoque *minorem :* sed, peccatum procedit a voluntate humanâ, tanquam *defectus* perfectionis debitæ, *concedo ;* tanquam *entitas* realis, *nego.* Undè, *nego consequens.* Ad rem argutè scripsit sanctus Thomas, dicens : « Effectus causæ secundæ deficientis reducitur in causam primam non deficientem, quantùm ad id quod habet *entitatis* et perfectionis, non autem quantùm ad id quod habet de *defectu :* sicut quidquid est motûs in claudicatione causatur a virtute motivâ, sed quod est obliquitatis in eâ non est ex virtute motivâ, sed ex curvitate cruris. Et similiter quidquid est entitatis et actionis in actione malâ, reducitur in Deum sicut in causam ; sed quod est ibi defectus non causatur a Deo, sed ex causâ secundâ deficiente (1). »

Ex dictis patet Thomistarum theoriam de præmotione physicâ esse tenendam ; sola enim supremum Dei dominium in creaturas et libertatem humanam inter se conciliat. *)

ARTICULUS QUARTUS.

De Providentiâ Dei.

I. In quot paragraphos subdividi potest articulus quartus, de Providentiâ Dei ?

68. Res accipiunt *esse* per *creationem ;* permanent *in*

(1) *Sum. Theol.*, p. I, q. 49, a. 2, ad 2^um^. « Malum quod in defectu actionis consistit, semper causatur ex defectu agentis. In Deo autem nullus defectus est, sed summa perfectio ; undè malum quod in defectu actionis consistit, vel quod ex defectu agentis causatur, non reducitur in Deum sicut in causam. » *Ibidem*, c. — « Deus ab æterno prædefinivit omnes actiones nostras liberas non solùm virtualiter et mediatè, decernendo exhibere concursum ad illas ; sed immediatè in seipsis. Aliter tamen et aliter bonas et malas, bonas positivè quoad entitatem et bonitatem, malas positivè quoad entitatem, permissivè quoad malitiam. » Billuart, *De Deo*, dissert. VIII, a. 2.

esse ope *conservationis;* applicantur *ad actum prædictione physicâ;* tandemque, disponuntur ad finem suum particularem aut generalem et *gubernantur* per *providentiam.* Et sic ad extrà et in ordine naturali perficiuntur opera Dei, quæ procedunt ab intellectu simul et voluntate, necnon efficiuntur a potentiâ. Superest ut disseramus de providentiâ, quæ secundùm Boetii verba, « omnium quæsitu maxima est (*De Consol.*, l. IV); » de illâ, tres sint paragraphi : 1°, De *naturâ*, 2°, De *existentiâ*, 3°, De *œconomiâ* providentiæ Dei.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De naturâ Providentiæ.

II. Quid est Providentiâ?

69. Providentia sub duplici respectu considerari potest : relativè scilicet ad Deum et relativè ad creaturam. In Deo spectata nihil est nisi *ordinatio rerum in finem ab intellectu divino concepta;* in eoque sensu definitur a Boetio : « Ipsa divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit. » Respectu creaturæ, providentia est exsecutio in tempore hujus ordinationis, quam intellectus ab æterno concepit; et ut talis dicitur *gubernatio rerum in finem :* « Ad providentiæ curam duo pertinent, ait sanctus Thomas; scilicet ratio ordinis, quæ dicitur providentia et dispositio : et exsecutio ordinis, quæ dicitur gubernatio : quorum primum est æternum, secundum temporale (*Sum. Theol.*, p. I, q. 22, a. 1). »

Undè providentia in genere definiri potest : *Ratio ordinis rerum in finem, et hujus ordinis exsecutio.*

Propterea, ex parte Dei, providentia supponit actum intellectûs, ordinem rerum concipientis, actum voluntatis, hujus ordinis exsecutionem mandantis, et actum

potentiæ, voluntatis mandatum exsequentis. Et in Deo tria hæc unum sunt (1).

Providentia supponit actum intellectûs, voluntatis et potentiæ; verumtamen dicitur *formaliter* actus *intellectûs; gubernare* pertinet enim ad prudentiam et sapientiam, quæ reponuntur in intellectu tanquam in subjecto. Ex parte creaturarum, providentia implicat absolutam a Deo *dependentiam, finem* cuilibet rei *specialem*, et *finem unicum* ad quem omnia disponuntur. Ex parte mediorum, quibus efficitur rerum gubernatio, necessariæ sunt leges stabiles, per quas omnia finem suum infallibiliter assequi possint.

Providentia in quantùm designat rationem ordinis in mente Dei existentem, vocari solet *providentia* propriè dicta; in quantùm significat exsecutionem hujus ordinis, dicitur *gubernatio*. Quatenùs extenditur ad omnes creaturas etiam vilissimas, nuncupari solet *communis;* quatenùs autem speciali modo respicit ad creaturas rationales, vocatur *peculiaris*. Quandò finis et media ad finem superant vires naturæ creatæ, providentia est *supernaturalis;* secùs verò dicitur *naturalis*. De providentiâ supernaturali theologia disserit; hìc autem agitur de providentiâ naturali.

(1) « Dans sa perpétuelle durée et ses innombrables détails, le gouvernement de Dieu est un seul acte de son intelligence et de sa volonté infinies. C'est par une fiction d'esprit que nous analysons cet acte, afin de le mettre à notre portée. » R. P. Monsabré, *Loc. cit.* — « Procedendum est ad ea quæ respiciunt simul intellectum et voluntatem. Hujusmodi autem est providentia quidem omnium. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 22.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De existentiâ Providentiæ.

III. Utrùm Providentia est in Deo?

70. Ex dictis in Theodiceæ decursu de naturâ Dei et Ejus attributis, jurè statuitur sequens

PROPOSITIO.

Deus est maximè providus; Ejusque gubernatio extenditur ad omnia et singula etiam vilissima; peculiari tamen modo curam habet entium rationalium.

Ea propositio demonstratur triplici argumentorum genere : alia scilicet e *ratione*, alia verò ex *auctoritate*, cetera autem, de quibus dicendum est in articulo sequenti, e *deismi falsitate* desumuntur.

Ex ratione. — Tria probantur lumine rationis : Deus est maximè providus; providentia gubernat universa; curam specialem habet de homine. Ergò, thesis ratione demonstratur.

1°, Deus est e naturâ suâ maximè providus, imò dicitur ipsa Providentia. — Nam, ut vidimus, providentia propriè dicta est ratio ordinis rerum in finem; atqui, ratio ea ordinis existit in mente Dei, et nihil est nisi intellectus divinus cuncta disponens; ergò, Deus est maximè providus, imò dicitur ipsa Providentia. Major patet ex ipsâ definitione providentiæ. Probatur minor. — Omne agens intellectu præditum semper agit propter finem, et opus suum ad hunc finem ordinat. Porrò, Deus est summè intelligens. Ergò, non potest agere, quin omnia in intellectu suo disponat et ordinet. Alio modo, res quælibet disponitur ad finem sibi specialem, deindè omnia ordi-

nantur ad finem unicum; ratio autem seu causa hujus ordinis reponenda est in intellectu divino; secùs enim aliquid esset in effectu quod non procederet a primâ omnium Causâ; ratio igitur ordinis est in intellectu divino, et quùm intelligere in Deo non distinguatur ab Ejus essentiâ, sequitur Deum ipsum esse rationem ordinis seu Providentiam propriè dictam (1).

2°, Providentia Dei gubernat universa, etiam vilissima; nempè, Deus ineffabili consilio sapientiæ suæ curam habet omnium, et quamlibet creaturam ad finem suum particularem, necnon ad finem rerum generalem dirigit per media idonea. — Infertur ex dictis : nihil enim potest esse, nec in esse perseverare, nec ad actum transire, nisi per creationem, conservationem et concursum divinum; undè, res creatæ et in *esse*, et in *operari*, absolutè pendent a Deo; necesse est igitur ut Deus rem quamlibet ad finem suum specialem disponat, cunctaque ordinet et regat ad finem ultimum : « Movet Deus omnia ad fines suos, et per intellectum, ait sanctus Thomas..... Nihil autem aliud est regere et gubernare per providentiam quam movere per intellectum aliqua ad finem. Deus igitur per suam providentiam gubernat et regit omnia quæ moventur in finem (*Contrà Gent.*, l. III, c. XLIV). »

Aliundè, providentia Dei formaliter consistit in actu

(1) « Necesse est ponere providentiam in Deo. Omne enim bonum quod est in rebus, a Deo creatum est..... In rebus autem creatis invenitur bonum, non solùm quantùm ad substantiam rerum, sed etiam quantùm ad ordinem earum in finem, et præcipuè in finem ultimum, qui est bonitas divina..... Hoc igitur bonum ordinis in rebus creatis existens, a Deo creatum est. Cùm autem Deus sit causa rerum per suum intellectum, et sic cujuslibet sui effectus oportet rationem in ipso præexistere....., necesse est quod ratio ordinis rerum in finem, in mente divinâ præexistat. Ratio autem ordinandorum in finem propriè providentia est. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 22, a. 1.

intellectùs omnia disponentis; sed, intellectus divinus omnia et singula, etiam minima et vilissima, cognoscit; ergò, providentia Dei ad omnia et singula extenditur. Seu iterùm, Deus nihil facit etiam vilissimum, sine fine; atqui providentia est ordinatio in finem; ergò, Deus curam habet de omnibus, etiam vilissimis.

3°, Providentia specialem curam habet hominum. — Homo differt ab aliis entibus; atqui, entia diversa diversis mediis reguntur; ergò, Deus speciali modo curam habet de homine. Enimverò, creaturæ rationales libertate gaudent; nobiliores sunt creaturis irrationalibus; necnon iis utitur Deus tanquam mediis in gubernatione rerum : « Sunt aliqua media divinæ providentiæ, ait sanctus Doctor, quià inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet (q. 22, a. 3). » Quùm verò Deus creaturis providere debeat secundùm earum naturam et finem, necesse est ut curam specialem habeat entium rationalium; et consequenter homo peculiari modo gubernatur et regitur.

Tres partes propositionis *simul* probari possunt hoc argumento : vel Deus *non potest*, vel *non vult*, vel *potest et vult* de omnibus curam habere; sed, duo priora repugnant attributis divinis; ergò, posterius est verum. Omnipotentiæ repugnat Deum non posse de omnibus curam agere; Deus enim, quùm sit omnipotens, universa condidit e nihilo; res creatas servat in esse, ità ut sine illà conservatione positivà jam esse desinerent; itemque, Deus infundit in causas secundas virtutem ad agendum; potest igitur omnia disponere in finem ultimum.

Prætereà, si Deus nollet gubernare creaturas, assignanda esset ratio hujus incuriæ; sed, nulla ratio hujus-

modi assignari potest : nam, ex parte rerum, cura etiam de minimis et vilissimis non est Deo indigna, cuncta enim quæ fecit Deus sunt valdè bona; ex parte verò Conditoris, ea sollicitudo universalis non implicat laborem arduum et ingratum, quià Deus uno et eodem actu simplicissimo regit universa.

Aliundè, repugnat ut Deus sapientissimus et optimus res semel creatas, velut artifex inconstans et ignarus, deserat. Illud argumentum reperitur apud sanctum Joannem Damascenum, dicentem : « (Deus) quatenùs est *bonus*, providet. Qui enim non providet non est bonus. Nam et homines et bestiæ propriorum fœtorum providentiam habent, naturali quodam instinctu; et qui non providet, vituperari solet. Quatenùs autem sapiens est, optimè prospicit (*De Fide orthod.*). » Ergò, ex ratione probatur « omnia geri providentiâ » divinâ, ut ait ipse Tullius (*De natur. Deor.*, IX, 31). »

Ex auctoritate. — Nempè : consensus generis humani, historia populorum, scientiarun naturalium cultura, consensio philosophorum, atque Scripturæ sacræ testimonia existentiam providentiæ comprobant; ergò, dogma providentiæ ratione tenendum est et fide credendum.

Probatur antecedens. — Apud omnes gentes tùm excultas tùm sylvestres, homines fide universali credunt Deum, aut per se *immediatè*, aut saltem mediantibus causis secundis, agere curam omnium; eâ de re supremo Numini cultum solvendum, et bona sive spiritualia, sive materialia Deo ut causæ tribuenda esse putant.

Aliundè, populorum historia explicari nequit sine speciali et sapientissimâ Dei gubernatione; undè, enim gentium originem, fortunam et exitium repetere possimus, nisi a primâ omnium Causâ?

Prætereà, scientiarum naturalium cultores asserunt

omnia, quibus conflatur orbis physicus, gubernari legibus simplicissimis ac universalibus; leges autem ejusmodi supponunt existentiam supremi Legislatoris et Gubernatoris, secundùm ea sancti Thomæ verba : « Ipse ordo certus rerum manifestè demonstrat gubernationem mundi : sicut si quis intraret domum benè ordinatam, ex ipsâ domûs ordinatione ordinatoris rationem perpenderet (q. 103, a. 1). »

Insuper, ferè omnes philosophi docent Deum omnia gubernare et regere. Sic, ut unum afferatur exemplum, Tullius dicit nullam pietatem fore, nullam sanctitatem, nullam religionem, sublatâ providentiâ; et addit : « Sin dii nec possunt nos juvare; nec volunt, nec omninò curant; nec quid agamus, animadvertunt; nec est quod ab his ad hominum vitam permanere possit : quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus (*De natur. Deor.*, I, 2). »

Tandem, Scriptura Sacra testatur existentiam providentiæ communis, dicens : « Deus attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. » Denique sancti Patres, Concilia, necnon omnes Ecclesiæ filii et defensores unâ voce docuerunt Deum esse providum, et omnes creaturas ab Eo gubernari. Ex. gr. sic se habet Concilium Vaticanum, nostris diebus habitum : « Universa, quæ condidit, Deus providentiâ suâ tuetur atque gubernat, attingens a fine ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (1). »

Ergò ex *auctoritate* probatur existentia providentiæ in genere; prætereà *ratione* indubium est Deum rebus providere secundùm earum naturam; stat igitur integra propositio : Deus est maximè providus; Ejusque gubernatio

(1) Ecce verba sancti Gregorii Magni : « Omnipotens Deus per se

extenditur ad omnia et singula, etiam vilissima; peculiari tamen modo curam habet entium rationalium.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

De œconomia Providentiæ.

IV. Utrum mirabilis est œconomia Providentiæ?

71. Per œconomiam providentiæ nihil aliud intelligas, nisi mirabilem harmoniam, quæ constat e sapientissimâ omnium ordinatione in gubernatione Dei. Hac in re, tria principia statuere licet ex dictis in decursu tractatûs. 1°, Providentia, Boetio dicente, est ratio ordinis « in summo omnium *Principe* constituta, » quæ cuncta disponit; ideoque, Deus in ordinatione rerum est *summè independens*, et gubernatio Ejus a nonnullis meritò dicitur « *Monarchia absoluta* (1). » Deus igitur summâ libertate

mundum regit, quem per se condidit. » *Moral.*, c. XI; S. Dionysius, *De Nominibus Divinis;* S. Augustinus, *De Genesi ad litt.*

« O qui perpetua mundum ratione gubernas,
» Terrarum cœlique Sator, qui tempus ab ævo
» Ire jubes, stabilisque manens, das cuncta moveri. »
BOETIUS, *De Consol.*, l. III.

« Ouvrez donc les yeux, ô mortels, contemplez le ciel et la terre, et la sage économie de cet univers; est-il rien de mieux entendu que cet édifice? est-il rien de mieux pourvu que cette famille? est-il rien de mieux gouverné que cet empire? » Bossuet, *Sermon pour le 4e dim. de Carême.* R. P. Monsabré, *Conférences,* 1876; C. Gay, *Traité de la vie et des vertus chrétiennes*, De la charité envers Dieu.

(1) « Le gouvernement de Dieu est une monarchie absolue. » R. P. Monsabré, *Conférences de Notre-Dame*, Du gouvernement divin, 1876. — Vide D. Thom, *Opusc.* XVI, *De rege et regno*, ubi sanctus Doctor ostendit Deum esse summum Principem, a quo « omne dominium habet initium. » Lib. III, c. I. « Omnis ab uno procedit, et per unum mensuratur... Ergò eodem modo et multitudo dominantium ab

gaudet in *distributione bonorum;* ea, quæ vult, ad existentiam vocat; quibus vult, quomodò vult, quantùm vult bona sua et materialia et spiritualia largitur creaturis; de amicis, quos eligit, specialissimo modo curam habet, et illos ad æternam beatitudinem prædestinat. Nunquam tamen *justitiæ* regulas offendit, quià nullam legem, nisi voluntatem suam agnoscit.

2°, Leges Providentiæ sunt in se simplicissimæ et *immutabiles;* Deus secundùm leges ejusmodi omnes creaturas, quibus *intimè* adest, *immediatè* disponit et ordinat; attamen in exsecutione ordinis universi utitur causis secundis, « non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet (1). » Immutabilitas legum Providentiæ neque libertatem divinam, neque libertatem humanam evertit; nam, ut vidimus, libertas et immutabilitas apprimè conciliantur. Porrò, ex *Dei libertate* in erogandis auxiliis quibus indigemus ad finem nostrum assequendum, et ex dependentiâ nostrâ jurè infertur *deprecationem* esse legitimam : « Considerare oportet,

uno dominante trahit originem, quod est Deus : sicut videmus in regalibus curiis quod in diversis officiis multi sunt dominantes, sed omnes ab uno dependent, videlicet rege. » *Ibidem.*

(1) « Ad Providentiam duo pertinent : scilicet « ratio ordinis rerum provisarum in finem, et executio hujus ordinis, » quæ gubernatio dicitur. Quantùm igitur ad primum horum Deus immediatè omnibus providet, quià in suo intellectu habet rationem omnium, etiam minimorum; et quascumque causas aliquibus effectibus præfecit, dedit eis virtutem ad illos effectus producendos : undè oportet quod ordinem illorum effectuum in suà ratione præhabuerit. Quantùm autem ad secundum, sunt aliqua media divinæ Providentiæ, quià inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet. » S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 22, a. 3.

ait sanctus Doctor, quod, sicut divinæ Providentiæ immobilitas necessitatem rebus provisis non imponit, ità etiam nec *orationis* utilitatem excludit. Non enim ad hoc oratio ad Deum funditur ut æterna providentiæ dispositio immutetur : hoc enim impossibile est; sed ut aliquis illud quod desiderat assequatur a Deo (*Contrà Gent.*, t. III, c. 95). »

Aliundè, immutabilitas legum providentiæ non excludit defectum in causis secundis, nec evertit libertatem humanam; undè, *malum physicum*, vel *malum morale*, quod procedit e defectu causarum secundarum, non opponitur *sanctitati* divinæ : quippè, Deus illud *permittere* potest propter bonum generale.

3°, E summâ Dei potestate et ex immutabilitate legum providentiæ, necessariò sequitur Deum esse *infallibilem* in assecutione *finis*, quem sibi proposuit in gubernatione rerum. Eapropter, si Deus in vitâ præsenti munia Remuneratoris vel Ultoris non obeat, concludendum est vitium in alterâ vitâ pœnis debitis esse luendum, et virtutem mercede remunerandam, ut alibi dictum est. Undè, immutabilitas, justitia, libertas, misericordia, sanctitas et alia Dei attributa cum Illius providentiâ sapientissimè et perfectissimè conciliantur. Hinc apparet solutio difficultatum, quæ a *deistis* afferuntur.

ARTICULUS QUINTUS.

De errore Deistarum.

I. Expone philosophorum errores de providentia?

(* 72. Indubium est nonnullos veteres Dei providentiam negavisse, secundùm ea Tullii dicta : « Sunt philosophi, et fuerunt, qui omninò nullam habere censerent humanarum rerum procurationem Deos (*De Natur. Deor.*, I, 2). »

Epicurei, qui materialistis et positivistis recentioribus viam staverunt, providentiæ curam et vigilantiam rejiciebant ut onus nobis « importabile; » sic, juxtà Tullium, loquebantur : « Imposuistis cervicibus nostris sempiternum Dominum, quem dies et noctes timeremus; quis enim non timeat omnia providentem et cogitantem et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem; curiosum et plenum negotii Deum (*Ibidem*). »

Stoici fatalismum propugnantes, dicebant omnia, etiam voluntates nostras, ipsumque Deum *fati* legibus, quod vocabant nexum indeclinabilem, subjici. Alii, post Platonem, docebant providentiam esse *generalem*, nempè Deum rebus mundanis providere « quantùm ad genera, species et causas universales (1). » Ipse Aristoteles probabilius asseruit providentiam tantummodò versari circà illa, quæ, « orbem lunarem, » ut vocat, constituunt (*Diog. Laert.*, V).

Apud recentiores pullulant errores contrà Dei providentiam et gubernationem. Errorum hujusmodi fautores nomine communi vocantur *Deistæ*. Quapropter, *Deismus* in genere designat errorem eorum, qui *directè* aut *indirectè* providentiam divinam *rejicere* vel inficere connituntur. Strictè verò, est systema eorum, qui Dei *existentiam* profitentur, sed Illius *gubernationem, omninove, partimve*, respuunt. Undè, Deismus dividi potest in *indirectum* et *directum;* itemque, duplex est deismus indirectus, videlicet unus *sociologistarum*, alter verò *fatalistarum;* pariter duplex est directus, *absolutus* scilicet atque *mitigatus*. Deistæ igitur ad quatuor classes revocari possunt.

(1) « Excluditur opinio Platonis, quam narrat Gregorius Nyssenus, triplicem providentiam ponentis : quarum prima est summi Dei, qui primò et principaliter providet rebus spiritualibus, et consequenter toti mundo, quantùm ad genera, species et causas universales; secunda verò providentia est quà providetur singularibus generalium et corruptibilium; et hanc attribuit diis qui circumeunt cœlos, id est substantiis separatis, quæ movent corpora cœlestia circulariter : tertia verò providentia est rerum humanarum, quam attribuebat dæmonibus, quos platonici ponebant medios inter nos et Deos. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 22, a. 3. S. August., *De Civit. Dei*, c. I et II.

1°, De Deismo *sociologistarum*. — Sociologistæ, inter quos multi sunt positivistæ, materialistæ et athei, providentiam Dei indirectè rejiciunt; nam, juxtà eos, nullam rationem ordinis assignare possumus, nisi *bonum sociale*. Id est, ut aiunt A. Comte et Herbert Spencer, *societas* humana est finis ultimus et suprema ratio omnium. Illud systema, quod vocamus Sociologiam, confutatum est in Cosmologiâ. Pantheistæ Germani, ducibus Fichte, Schelling et Hegel, ad eamdem consequentiam deveniunt; nam, secundùm illos, ultima Dei evolutio est societas seu respublica (1). In hoc systemate nullum providentiæ vestigium invenitur.

2°, De Deismo *fatalistarum*. — Fatalistæ omnem providentiæ curam e medio tollunt; non solùm enim Deum sapientissimum et optimum, omnia liberrimè disponentem et suavissimè gubernantem admittere nolunt; verùm etiam propugnant omnia subjici *fato* cuidam ineluctabili et « indeclinabili. » Sic se habet H. Taine, fatalismi patronus : « Une puissante formule enfonce et serre au cœur de toute chose vivante les tenailles de la nécessité (*Hist. de la litt. anglaise*). » Haud aliter sentit Viardot, et fatalismum propugnat ut veram pietatis expressionem (2).

3°, De Deismo propriè dicto et *absoluto*. — Providentia Dei omnia disponentis, et sapientissimè gubernantis, directè impugnatur a nonnullis philosophis, qui deistæ propriè dicti nomi-

(1) Vide suprà Pantheismi expos. et confut. « L'Etat est la réalité de l'idée morale, l'esprit moral, la volonté substantielle publique, qui pense, connaît et exécute ce qu'elle connaît. Il est l'idée objective, et l'individu n'a d'objectivité, de vérité et de moralité que pour autant qu'il est membre de l'Etat. » Hégel, *Philosophie du droit*, 257.

(2) Atheus Viardot ea proferri non est veritus : « C'est moi qui suis l'homme *pieux*, quand, au lieu d'accuser le Dieu qui doit tout savoir, tout prévoir, tout pouvoir, je déplore simplement qu'une *loi physique*, s'exerçant avec tant *d'aveuglement* et de *cruauté*. » *Libre examen*, p. 79. Opusculum istud scatet omni genere sophismatum, et auctor, jam semel damnatus a SS. Indicis Congregatione Romanâ (*Les musées d'Italie*), horrendas blasphemias eructat in providentiam, quam impiè vocat, post Epicureos, « anum fatidicam. » Cf. Cicer., *De naturâ Deorum*.

nantur. Collegerunt apud veteres objectionum congeriem; exindè intulerunt Dei providentiam in sensu theistarum conciliari non posse cum justitiâ, bonitate et sanctitate divinâ. Ex his sunt præcipuè Bayle, Voltaire, Rousseau, Diderot et d'Alembert (1).

4°, De Deismo *mitigato*. — Quidam recentiores Deismum absolutum rejicere videntur; quippè, non solùm admittunt existentiam supremi Numinis, verùm etiam providentiæ cujusdam generalis necessitatem asserunt. Juxtà eos, Deus statuit leges universales, quibus omnia gubernantur; sed non providet immediatè et directè quibuslibet et singulis entibus. Imò, ut aiunt, interventio divinitatis in gubernatione rerum mundanarum immutabilitati divinæ et libertati humanæ contradicit; undè, omnis religio positiva seu revelata est impossibilis, et oratio in quantùm est deprecativa fit inutilis et Deo injuriosa.

Hujus erroris indicia passim inveniuntur apud Thiers, Cousin, J. Simon, Saisset, Damiron. Sit exemplum ex operibus Julii Simon depromptum : « L'intervention directe et immédiate de Dieu dans les affaires humaines selon des vues particulières, compromet la liberté humaine et nuit même à l'idée que nous devons avoir de Dieu (*Introduct. aux œuvres philos.* de Bossuet). »

II. Quomodo diluuntur deistarum objectiones?

73. Deismus omnis, etiam mitigatus, ad negationem Dei

(1) *Dictionnaire historique et critique.* Bayle recoquit adversùs providentiam argumentum e malo morali desumptum : « Il est évident qu'on doit empêcher le mal si on le peut, et qu'on pèche si on le permet lorsqu'on peut l'empêcher. Cependant notre théologie nous enseigne que Dieu ne fait rien qui ne soit digne de ses perfections, lorsqu'il souffre tous les désordres qui sont au monde, et qu'il lui était facile de prévoir. » A. Pyrrhon. — Voltaire asserit providentiam Dei non esse absolutam, eò quod malum existit in mundo : « La puissance de Dieu est très-grande; mais qui nous a dit qu'elle est infinie, quand ses ouvrages nous montrent le contraire? Quand la seule ressource qui nous reste pour le disculper est d'avouer que son pouvoir n'a pu triompher du mal physique et moral? Certes, j'aime mieux l'adorer borné que méchant. » *Philosophie*, Memmius à Cicéron.

propellit; quis enim esset Deus ille, qui « circà cardines cœli » perambularet, et rebus a seipso creatis non immediatè provideret? Aliundè, providentia, ut vidimus, ratione simul et auctoritate probatur (1). Verumtamen subtilia deistarum objecta diluere, nec opus inutile, nec sanè ingratum erit.

Omnia sophismatum genera, quibus impugnantur providentia Dei et rerum gubernatio, ad tria puncta revocari possunt. 1°, *Inæqualis* est bonorum distributio : alii scilicet plus aliis acceperunt; imò, *impii* nonnulli agunt vitam prosperam, et *justi* quandoque multis affliguntur calamitatibus. Ea autem inæqualitas *justitiæ* Dei repugnat; necesse est igitur ut Deus curam non habeat rerum mundanarum, vel non sit justus. 2°, *Mala physica* pullulant in mundo : morbus scilicet, dolor, egestas et mors, æstus, frigus, tempestates et terræ motus. Mala autem hujusmodi essentialiter opponuntur *bonitati* divinæ; quâ de re, vel Deus non est providus, vel non est bonus (2). 3°, Societas humana scatet *malis moralibus :* ut sunt furta, homicidia, rapinæ, falsa testimonia, inimicitiæ, et alia similia. Mala autem ista *sanctitati* divinæ penitùs adversantur; ergò, Deus non gubernat homines, vel non est sanctus.

(1) « Tout bien considéré, cet athéisme incomplet qui admet l'existence de Dieu et rejette son gouvernement, n'est pas sérieux. C'est une erreur bâtarde née d'un reste de foi et de la mauvaise humeur d'un esprit que les mystères de la Providence effarouchent; à moins pourtant qu'elle ne procède d'un cœur corrompu, peu soucieux d'être gêné dans la satisfaction de ses passions par le contrôle d'un Maître infaillible et souverain. L'athéisme absolu est plus franc et plus conséquent, sans être moins déraisonnable. » R. P. Monsabré, *Conférences de Notre-Dame*, Du gouvernement divin, 1876.

(2) « Le mal existe — qui peut le nier? — Le mal physique... sous toutes ses formes, possibles et impossibles. Nous souffrons les intempéries des saisons, entre le froid glacial des pôles et l'ardeur brûlante des tropiques, les volcans, les tremblements de terre, les tempêtes, les incendies, les inondations, les sécheresses, la famine; — nous ressentons les maladies, plus nombreuses que nos organes, les blessures, la douleur, la mort... » L. Viardot, *Libre examen*, p. 45.

Obj. Brevius : *inæqualis* bonorum distributio *justitiæ* Dei contradicit; *malum physicum* ejus *bonitati* opponitur; illius *sanctitati* repugnat *malum morale*. Ergò, Deus non est *providus*, vel non est *justus*, neque *bonus*, neque *sanctus*.

Resp. *Nego antecedens*, propter rationes allatas in decursu tractatûs; *nego* pariter *consequens*.

Inst. *Inæqualis* est bonorum distributio; sed, Deus tenetur ad æqualem bonorum distributionem etiam in vitâ præsenti; ergò, vel Deus non providet omnibus, vel non est justus (Bayle, Quinet, Havet, Michelet).

Resp. *Concedo majorem; nego minorem;* undè, *nego consequens*. « Mirum est, ut ait R. P. Liberatore, in quantis difficultas hæc deficiat; » nam, 1°, Deus bonitatem quamdam in omnes creaturas etiam infimas et vilissimas infundit; quùm autem summâ libertate et independentiâ gaudeat, cui vult, quomodò vult, quandò vult et quantùm vult bona sua largitur. 2°, Concedo nonnullos impios conscientiæ stimulis non torqueri, nec angi cupiditatibus, et prosperam ducere vitam; concedo justos quandoque multis calamitatibus affici, et cum adversâ sorte colluctari; ea verò inæqualitas, fatente ipso Kantio, providentiæ necessitatem demonstrat; necesse est enim ut existat Deus maximè providus et sapientissimus, qui mercedem copiosissimam justis persolvat in vitâ futurâ (1). 3°, Aliundè, calamitates quibus afficiuntur justi in statu vitæ præsentis, ut inopia, morbus, fames, et alia similia, non sunt nisi mala temporalia, quæ

(1) « Si nos années terrestres, au lieu de contenir le drame tout entier, s'arrêtent à sa première scène, si elles ne sont que la préparation de la destinée finale dont nous serons nous-mêmes les libres artisans, tout change d'aspect; les objets se replacent dans leur vraie perspective; les biens et les maux de la vie se réduisent à ce qu'ils sont en effet, c'est-à-dire à très-peu de chose; les souffrances des bons ne sont plus qu'une épreuve rapide qui contient en germe une récompense immortelle, et leur condition présente elle-même, relevée par l'espérance et par l'amour, est déjà meilleure que celle des méchants. » Lacordaire, *Conférences*.

prodeunt e defectu causarum secundarum; sed Deus, ut vidimus, non tenetur hæc avertere mala.

Inst. Est *boni* provisoris avertere *mala physica*, et, dicente Bayle, « la souveraine bonté ne peut pas produire une créature malheureuse; » ergò, vel Deus non est providus, vel non est *bonus*.

Resp. *Distinguo antecedens :* est boni provisoris avertere mala physica, quandò nullam habet *rationem* sufficientem ea permittendi, *concedo; secùs, nego;* sed, Deus multas habet rationes, easque sufficientes, mala physica permittendi; undè, *nego consequens*. Nempè, 1°, mala physica, ut alibi dictum est, non per se intenduntur a Deo, sed resultant e naturâ et dispositione legum physicarum (1). 2°, Deus statuendo leges illas, nihil agit nisi optimum et sapientissimum; convenit enim ut « dignitatem causalitatis creaturis communicet » et illis utatur in assecutione finis rerum mundanarum. 3°, Deus permittit malum physicum particulare, ut bonum generale indè exsurgat; sic, individua pereunt, sed servantur species (2). 4°, Tandem malum physicum in homine conjungitur bono altioris ordinis; ex. gr. dolor virtutem animæ roborat, et fit in justis occasio meritorum (3).

(1) Ad rem egregiè scripsit sanctus Thomas : « Aliquod malum appetitur per accidens, in quantùm consequitur ad aliquod bonum. Et hoc apparet in quolibet appetitu. Non enim agens naturale intendit privationem vel corruptionem, sed formam cui conjungitur privatio alterius formæ... Leo enim occidens cervum intendit cibum, cui conjungitur occisio animalis. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 19, a. 9.

(2) « Les individus périssent, les espèces subsistent; les êtres se renouvellent, la nature jouit d'une jeunesse éternelle. » Leibnitz, *Théodicée*.

(3) « La tribulation est à l'âme comme un marteau qui la frappe et qui en la frappant la fourbit et la dérouille. » Montaigne, *Essais*. — « Semper esse felicem, ait Seneca, ignorare est rerum naturæ alteram partem. » *De Prov.* Vide C. Gay, *De la vie et des vertus chrétiennes*, De la douleur; A. de Margerie, *Théodicée*, c. xi, Du rôle de la douleur.

Inst. Deus saltem tenetur impedire *malum morale;* nam, ut ait Bayle, « il est évident qu'on doit empêcher le mal si on le peut, et qu'on pèche si on le permet lorsqu'on peut l'empêcher; » ergò, vel Deus creaturis non providet, vel non est *sanctus* (1).

Resp. *Nego antecedens;* et pariter *nego consequens.* 1°, Non solùm Deus non tenetur impedire malum morale, ut patet ex dictis de malo physico; verùm etiam, *permittens* malum istud, sapientissimi gubernatoris munere fungitur; malum enim morale, quod in se nihil est, nisi privatio cujusdam perfectionis debitæ, provenit ex *abusu* libertatis humanæ; sed, propter abusum hujusmodi, nullo modo Deus ordinem a se constitutum mutare, vel evertere tenetur. 2°, Libertas hominis, licet imperfecta, est donum munificentiæ Dei. 3°, Ope libertatis merita in vitâ præsenti, et mercedem in vitâ futurâ comparare possumus secundùm ea Scripturæ Sacræ : « Erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit (*Ecclesiastic.,* XXXI, 10). »

Objectionem e malo in genere desumptam perbellè confutat sanctus Thomas, dicens : « Aliter de eo est qui habet curam alicujus particularis, et de provisore universali; quià provisor particularis excludit defectum ab eo quod ejus curæ subditur, quantùm potest; sed provisor universalis *permittit* aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Undè corruptiones et defectus in rebus naturalibus di-

(1) *Diction.* A. *Pyrrhon,* n. B. Hanc vetustissimam objectionem quæ reperitur apud Epicurum et ejus asseclas, recoquit L. Viardot, dicens : « Voici l'argument d'Epicure, tel qu'il est cité par Lactance (*De irâ Dei,* cap. XIII) : Ou Dieu veut ôter le mal de ce monde, et ne le peut; ou il le peut et ne le veut pas; ou il ne le veut ni ne le peut; ou enfin il le veut et le peut. S'il le veut et ne le peut pas, c'est impuissance; s'il le peut et ne le veut pas, c'est méchanceté; s'il ne le veut ni ne le peut, c'est à la fois méchanceté et impuissance; s'il le peut et le veut, d'où vient donc le mal sur la terre? » *Libre examen,* p. 48. — « La souveraine sainteté ne peut pas produire une créature criminelle. » Bayle, *Loc. cit.,* A. *Manichéens.*

cuntur esse contrà naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturæ universalis, in quantùm defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi; nam, « corruptio unius est generatio alterius, » per quam species conservatur. Cùm igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet ut *permittat* quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. Si enim omnia mala impediuntur, multa bona deessent universo : non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum. Undè dicit Augustinus : « Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeò esset omnipotens et bonus, ut benè faceret etiam de malo (*Sum. Theol.*, I, q. 22, a. 2). »

Corruit igitur ea congeries objectionum quibus impii seipsos gubernationi divinæ subtrahere volunt; aliundè, dogma providentiæ demonstratur ratione et auctoritate; ergò iterùm stat integra propositio : Deus est maximè providus, ejusque gubernatio extenditur ad omnia, etiam vilissima, speciali tamen modo curam habet entium rationalium (1). *)

ARTICULUS SEXTUS.

De summâ Dei beatitudine.

I. Utrum Deus est summè beatus?

(* 74. Ultimum attributum, quod ad intellectum et voluntatem refertur, et dici potest consummatio vitæ divinæ, est summa Dei *beatitudo*.

Juxtà sanctum Augustinum, beatitudo in genere est « *omnium rerum expetendarum plenitudo* (*De civit. Dei*, c. 1, 21). » Sanctus Thomas definit beatitudinem propriè dictam : « *Bonum*

(1) Ex impiorum blasphemiis haud parùm augetur certitudo, quam habemus de existentiâ providentiæ; qui enim blaterant et balbutiunt, gubernationem divinam impugnando, ex iis sunt quos introducit Tullius aientes : « Imposuistis cervicibus nostris sempiternum Dominum, quem dies et noctes timeremus. » *De naturâ Deorum.*

perfectum intellectualis naturæ. » Sic se habet : « Nihil aliud sub nomine beatitudinis intelligitur nisi bonum perfectum intellectualis naturæ, cujus est suam sufficientiam cognoscere in bono quod habet; et cui competit ut ei contingat aliquid vel benè vel malè, et sit suarum operationum domina (q. 26, a. 1, etc.). »

Summa igitur beatitudo includit *perfectionem absolutam*, *cognitionem* hujus perfectionis, *complacentiam* in illius *possessione*, *exemptionem omnium malorum* sive præsentium sive imminentium, et *dominium in operationes proprias;* essentialiter verò consistit in *actu intellectûs :* « Beatitudo intellectualis naturæ, ait sanctus Thomas, consistit in actu intellectûs (1). »

Ex dictis, patet Deum esse summè beatum, imò, jurè dicitur ipsa *Beatitudo.*

Probatur. — Quidquid ad beatitudinem pertinet, Deo excellentissimè convenit; Deus enim quùm sit infinitus, plenitudinem omnium perfectionum in se continet; quùm *intelligere* in Deo sit ipsum *esse* divinum, Deus seipsum adæquatè cognoscit et omnia in seipso intelligit; quùm Ejus *velle* sit Ejus *esse*, vult seipsum essentialiter et amat; quùm sit immutabilis, æternus, simplex, omnipotens, nihil amittere, et nullum malum aut præsens aut imminens formidare potest; quùm sit Creator et provisor universalis, supremum habet dominium in operationes suas et in omnes creaturas. Ea verò constituunt summam bea-

(1) *Loc. cit.*, a. 3. « Id quod est perfectissimum in qualibet intellectuali naturâ, est intellectualis operatio, secundùm quam capit quodammodò omnia. Undè cujuslibet intellectualis naturæ creatæ beatitudo consistit in intelligendo. In Deo autem non est aliud *esse* et *intelligere* secundùm rem, sed tantùm secundùm intelligentiæ rationem. Attribuenda est ergò Deo beatitudo secundùm intellectum, sicut et aliis Beatis, qui per similitudinem ad beatitudinem illius beati dicuntur. » *Ibidem*, a. 2. — Beatitudo est « bonum perfectum intellectualis naturæ... Utrumque autem istorum excellentissimè Deo convenit, scilicet perfectum esse et intelligentem; undè beatitudo maximè convenit Deo. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 26, a. 1.

titudinem; ergò, Deus est summè beatus; imò, jurè dicitur ipsa beatitudo.

Undè, infertur Deum esse beatitudinem cujuslibet beati, non *formaliter,* sed *objectivè;* id est, beatitudo naturæ intellectualis, ex parte *objecti* spectata, est ipse Deus; « quià ex hoc solo est aliquis beatus, quod Deum intelligit (*Sum. Theol.*, p. I, q. 26, a. 2). » Et verùm, intellectus summam perfectionem, principium et finem omnis perfectionis creatæ, in Deo solo invenit; et cor nostrum inquietum est, donec requiescat in possessione hujus perfectionis. Sed, ex parte *intellectùs* nostri, beatitudo est quædam participatio et imago summæ beatitudinis.

Hinc simul infertur omnem beatitudinem in divinâ beatitudine includi; beatitudo scilicet perfectionem importat; Deus autem in se complectitur eminentissimè et excellentissimè plenitudinem omnium perfectionum; ergò, in beatitudine divinâ includitur omnis beatitudo (*Ibidem*, a. 4).

Ad rem egregiè scripsit sanctus Thomas, dicens : « Quicquid est desiderabile in quacumque beatitudine, totum eminentius in divinâ beatitudine præexistit : de contemplativâ enim felicitate habet continuam et certissimam contemplationem sui et omnium aliorum; de activâ verò, gubernationem totius universi; de terrenâ verò felicitate quæ consistit in voluptate, divitiis, potestate, dignitate et famâ, habet gaudium de se et de omnibus aliis, pro delectatione; pro divitiis habet omnimodam sufficientiam, quam divitiæ promittunt; pro potestate, omnipotentiam; pro dignitate, omnium regimen; pro famâ verò, admirationem totius creaturæ (q. 26, a. 4). » *)

APPENDIX.

DE DEI DEFINITIONE.

I. Quid dicendum de Dei definitione?

(* 75. *Est* Deus; *in se* complectitur omnem perfectionem; *vivit* vitâ intellectuali, eaque beatissimâ; quodnam sit autem *nomen* hujus Entis ineffabilis, et utrùm sub *definitione* contineri

possit. Ad rem quatuor sunt dicenda : 1°, De *exemplarismo* divino; 2°, De Dei *notione;* 3°, De Unitate *Naturæ* et Trinitate *Personarum* in Deo; 4°, De Dei *nominibus* et *definitione.*

II. Quid intelligitur per exemplarismum divinum?

76. Ut ad veram Dei notionem, ex effectibus exordientes, ascendere possimus, necesse est nonnulla recenseri de exemplarismo divino. Sed, per exemplarismum divinum duo intelligere debes : 1°, Deus, in creando, *vestigium* sui in rebus physicis, et *imaginem* in mente humanâ impressit; 2°, intellectus humanus vestigium et imaginem hujusmodi contemplatur, et ex his ad notitiam Exemplaris seu Prototypi ascendit, ut multoties diximus in decursu Theodiceæ (1).

Rerum exemplaria quatenùs in Deo sunt, vocantur *ideæ*, seu *formæ;* ipse Deus dicitur *forma*, eaque perfectissima, et omnium formarum forma *prototypa;* ideæ hujusmodi sunt ipsamet essentia divina quatenùs a Deo *cognita* et « *participabilis* » seu « *imitabilis* » a creaturâ, ut ait sanctus Thomas. Deinceps, in omnibus rebus creatis, gradu tamen diverso, quamdam formam, aut principium *in actu* reperimus. Sic, infrà Deum existunt angeli, quos appellamus *formas separatas*, quià nullum corpus informant; infrà angelos existunt *animæ humanæ*, quæ natæ sunt ad corpus informandum, sed, corpore soluto, possunt esse et vivere; infrà animas humanas comperiuntur *animæ belluinæ;* infrà animas belluinas sunt *formæ plantarum*, et infrà plantarum formas inveniuntur *formæ mineralium.* Jam autem et in belluis, et in plantis, et in mineralibus forma esse nequit sine materiâ (2).

(1) S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 14, a. 6; q. 15, a. 1, 2, 3; q. 16, a. 6; q. 34, a. 3; q. 44, a. 3, 4; q. 47, a. 1, 3 ad 1^um^; q. 93, a. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9. — Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, q. 44, a. 3 : « Oportet dicere quod in divinâ sapientiâ sint rationes omnium rerum, quas diximus ideas, id est, formas exemplares in mente divinâ existentes..... Sic igitur ipse Deus est exemplar omnium. » — Vide R. P. Liberatore, *Théorie de la connaissance intellectuelle*, c. VIII, De l'exemplarisme divin.

(2) Vide *Cosmol.* Eam exemplarismi theoriam sic exposuit R. P. Li-

Et sic quodammodò in singulis et in omnibus creaturis est quædam repræsentatio idearum, quæ existunt ab æterno in intellectu Dei. Formæ *separatæ* et *separabiles*, videlicet angeli et mentes humanæ, quùm vitâ rationali gaudeant, præ se ferunt *imaginem* vitæ divinæ; verumtamen et in *esse* et in *operari* limitantur. Formæ *inseparabiles*, quæ sentiunt in animantibus, et vegetant in plantis, sed omni vitâ carent in mineralibus, Creatorem per modum vestigii repræsentant; nam, ut dictum est, quùm Deus sit causa rerum per scientiam et voluntatem, in omnibus creaturis, etiam in infimis, splendet aliquod vestigium veritatis et bonitatis infinitæ : « Cùm in omnibus creaturis, ait sanctus Thomas, sit aliqualis Dei similitudo, in solâ creaturâ rationali invenitur similitudo Dei per modum *imaginis;* in aliis autem creaturis per modum *vestigii* (q. 93, a. 6). »

Divinum exemplar in se complectitur omnem perfectionem; res verò contingentes sunt essentialiter finitæ; nulla igitur creatura perfectè repræsentat primum exemplar, seu essentiam di-

beratore : « La création ayant pour prototype l'Etre divin, acte très-pur et dégagé de toute potentialité, commence par les créatures qui sont un acte pur quant à leur essence, bien qu'en puissance quant à leur existence; et elle se termine à l'âme humaine, la dernière forme indépendante de la matière, mais forme capable d'informer la matière et de se l'assujettir comme organe ou instrument de ses opérations. Au-dessous de l'âme humaine, on ne trouve plus que des actes ou formes incapables d'exister par elles-mêmes en dehors de la matière, dont elles ont besoin comme d'un sujet pour exister et opérer. Leur but n'est que la formation du composé dont elles dépendent, et dont la destruction les fait périr. Ainsi, dans l'univers créé, il y a trois genres de formes, formes séparées, c'est-à-dire les anges, qui subsistent en eux-mêmes sans aucune matière; — formes non séparées, mais séparables, c'est-à-dire les âmes humaines, informant la matière, mais capables d'exister sans la matière; — formes non séparées, ni séparables, c'est-à-dire tous ces principes actifs inférieurs, qui informent la matière dans les trois règnes du monde corporel, et qui cessent d'exister par la cessation du composé. Cet ordre merveilleux réduit tout à une seule loi de l'être : à savoir, l'acte qui subsiste ou ne subsiste pas sans sujet matériel. » *Du composé humain*, p. 507.

vinam; undè, in tantâ et tam mirabili rerum varietate, inveniuntur diversæ repræsentationes ejusdem perfectionis infinitæ. Ità, ut exemplum licet imperfectum afferam, idem monumentum sub aspectu diverso considerari potest, et in multis variisque picturis repræsentari. Omnia autem manifestant *potentiam*, *intellectum* et *voluntatem* Conditoris.

Mirabilis entium *hierarchia* tabulâ sequenti exprimitur :

Primo gradu :
Deus,
seu *Forma exemplaris*,

ex se perfectissima, quæ per modum *imaginis* et *vestigii* repræsentatur in creaturis.

Secundo gradu :
Angeli,
seu *formæ separatæ*,

quæ ab omni materiâ sunt immunes, et dicuntur *imagines* Dei perfectæ, quæ tamen et in *esse* et in *operari* limitantur.

Tertio gradu :
Animæ humanæ,
seu *formæ separabiles*,

quæ natæ sunt ad corpus informandum, sed, corpore soluto, supersunt, et jurè vocantur Dei *imagines*, quùm vitâ rationali gaudeant.

Quarto gradu :
Animæ belluinæ,
seu *formæ inseparabiles*,

quæ vitâ sensitivâ fruuntur, sed intellectu carent, et a materiâ separari non possunt, nec idcircò vitam divinam repræsentant, nisi per modum *vestigii*.

Quinto gradu :
Principia intrinseca,
seu *formæ inseparabiles*,

quibus plantæ, in infimo gradu inter viventia constitutæ, vegetant et vitæ divinæ *vestigium* præ se ferunt.

Sexto gradu :
Principia intrinseca,
seu *formæ inseparabiles*,

quæ mineralia, in infimo gradu entium posita, constituunt in tali aut tali specie, et quodammodò potentiæ, intellectûs et voluntatis Dei *vestigium* exhibent (1).

III. Quomodo adipiscimur Dei notionem ?

77. Deus, ut vidimus, seipsum adæquatè et omnia in seipso cognoscit, Ejusque intellectus est essentialiter in actu; secundùm ea sancti Doctoris : « Invenitur aliquis intellectus qui ad ens universale se habet sicut actus totius entis, et talis est intellectus divinus, qui est Dei essentia, in quâ originaliter et virtualiter totum ens præexistit sicut in causâ primâ : et ideò intellectus divinus non est in potentiâ, sed est actus purus (q. 79, a. 2). »

Angeli, seu formæ separatæ, non possunt omne ens comprehendere, quia eorum intellectus non est infinitus; verumtamen proximè accedunt ad perfectionem intellectûs divini, et removentur ab omni conditione materiali; undè, respectu veritatis semper sunt in actu : « Intellectus angelicus, ait sanctus Thomas, semper est in actu suorum intelligibilium, propter propinquitatem ad primum intellectum, qui est actus purus. » Aliundè, non ascendunt ad Deum per creaturas; sed creaturas in Deo cognoscunt.

« Intellectus autem humanus, qui est infimus in ordine intel-

(1) De exemplarismo divino mirè scripserunt Plato, Aristoteles, S. Augustinus et D. Thomas. Ecce verba sancti Augustini : « Non sane omne quod in creaturis *aliquo modo simile* est Deo, etiam ejus *imago* dicenda est, sed illa sola, quâ superior ipse solus est. Ea quippè de illo prorsùs exprimitur, inter quam et ipsum nulla interjecta natura est. » *De Trinitate.*

lectuum, et maximè remotus a perfectione divini intellectûs, est in potentiâ respectu intelligibilium. » Deindè verò transit ad actum et primariò apprehendit ea, quæ sunt in infimo gradu entium, nempè « quidditates rerum materialium. » Posteà gradatim ad sui cognitionem revertitur, et essentiam animæ humanæ, cum suis potentiis et operationibus, introspicit.

Quùm autem vestigium Creatoris in rebus mundanis et imago in mente humanâ reperiantur, intellectus, confusè quidem et implicitè, Deum in creaturis contemplatur; deindè, ope ratiocinii, ea *notio* fit clara et explicita. Deum scilicet agnoscimus ut primam omnium causam, et principium a quo velut a fonte communi cuncta procedunt; ab eo removemus omnes defectus, quos in rebus mundanis conspiscimus; et de illo prædicamus excellentissimo modo creaturarum perfectiones. Ità comparatur notio clara, certa et explicita, licet inadæquata, Entis absoluti et necessarii, quod a se existit et complectitur entis plenitudinem, necnon vitâ beatissimâ fruitur, ut fusiùs dictum est in decursu Theologiæ naturalis.

IV. Quid de Trinitate cognosci potest lumine rationis?

78. *Unitas* naturæ divinæ detegi potest et certò cognosci solius rationis lumine. Nam primò demonstramus Deum esse omnium causam; deindè verò legitimè concludimus primam causam esse *a se* per essentiam suam, et consequenter Ejus existentiam unum et idem esse cum Ejus essentiâ. Deus igitur e *naturâ* suâ est *Esse subsistens;* videlicet, existit e necessitate naturæ suæ; ideò complectitur omnem perfectionem, et simpliciter dicitur *infinitus*.

Undè, quùm in Deo unum et idem sint *esse, substantia, natura, attributa,* facilè deducitur naturam divinam esse necessariò et absolutè *unam*. Prætereà, solius rationis lumine, comperimus Deum esse *personalem;* nam, juxtà divum Thomam, persona est « *individua substantia rationalis* naturæ; » sed, in Deo invenitur substantia individua et singularis, naturaque

intellectualis; meritò igitur inferimus contrà pantheistas Deum esse personalem.

Utrùm autem sit *Trinitas* in personis divinis, lumine rationis cognosci nequit, sed solâ revelatione manifestari potest; Deum enim per rationem cognoscimus ex effectibus creationis; sed, in creatione Trinitas operatur per modum unius, seu in unitate principii; et ideò, creaturæ non manifestant Trinitatem personarum, sed Unitatem essentiæ. Quod his verbis exprimitur apud sanctum Doctorem : « Impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis divinarum personarum pervenire. Ostensum est enim suprà, quod homo per rationem naturalem in cognitionem pervenire non potest nisi ex creaturis. Creaturæ autem ducunt in Dei cognitionem sicut effectus in causam. Hoc igitur solùm ratione naturali de Deo cognosci potest, quod competere ei necesse est secundùm quod est omnium entium principium; et hoc fundamento usi sumus suprà, in consideratione Dei. Virtus autem creativa Dei est communis toti Trinitati; undè pertinet ad unitatem essentiæ, non ad distinctionem personarum. Per rationem igitur naturalem cognosci possunt ea quæ pertinent ad unitatem essentiæ, non autem ea quæ pertinent ad distinctionem personarum (q. 32, a. 1). »

Sciendum est autem, mysterio Trinitatis divinitùs revelato, quamdam *imaginem* Personarum divinarum in homine reperiri. Nam, in vitâ rationali tria inveniuntur, *principium* cognoscitivum, *verbum* ab illo principio genitum, et *amor* qui ab utroque procedit : « Cum increata Trinitas, ait sanctus Doctor, distinguatur secundùm processionem Verbi a Dicente, et Amoris ab utroque,... in creaturâ rationali in quâ invenitur processio verbi secundùm intellectum, et processio amoris secundùm voluntatem, potest dici imago Trinitatis increatæ per quamdam repræsentationem speciei. » Ea autem imago est maximè imperfecta, et rationem ducere nequit in cognitionem naturalem mysterii Trinitatis. In animâ enim humanâ facultates et actus earum ab essentiâ differunt; sed omnia in Deo sunt Ejus essentia; ergò, personæ non distinguuntur ab essentiâ divinâ. Item, in operationibus animæ, actus, relationes, cognitio, amor, non sunt

nisi accidentia et modificationes; quùm autem in Deo nullum sit accidens, et nulla imperfectio, quatuor in Eo relationes reales et perfectissimæ inveniuntur : *paternitas, filiatio, spiratio,* atque *processio;* et tres tantùm personæ : *Pater, Verbum* et *Spiritus Sanctus*. Verbum dicitur Patris « Imago » substantialis, quià genitum est « secundùm actionem intellectûs; » Spiritus Sanctus est amor substantialis Patris et Filii, quià procedit ab utroque « secundùm actionem voluntatis (q. 35, a. 1 et 2). »

In entibus ratione carentibus, non ampliùs imago, sed tantummodò quoddam *vestigium* Trinitatis invenitur. Etenim vidimus tria semper in operibus divinis manifestari, *potentiam, intellectum* et *voluntatem;* potentia est principium effectivum, et intellectus, adjunctâ voluntate, est causa rerum; aliundè, in rebus etiam infimis tria comperimus : *esse* scilicet, *formam* quæ res mundanas determinat ad esse, necnon et quamdam *bonitatem,* per quam omnia ordinantur ad finem. Sed, *esse* in creaturis repræsentat potentiam Patris, hoc est principium omnium effectivum; forma rerum repræsentat Verbum in quo et per quod Deus omnia condidit; creaturarum ordo et bonitas repræsentant Amorem, seu Spiritum Sanctum; ergò verè, licet imperfectè, res omnes Trinitatis vestigium præ se ferunt (q. 45, a. 7).

V. Quomodo Deus vocari potest et definiri?

79. Dei nomen est *ineffabile :* nihil enim nomen exprimit, nisi solùm id, quod de re concipimus; Deus autem a nobis inadæquatè cognoscitur; ergò, nomina quibus utimur, Deum adæquatè non exprimunt : et idcircò Deus est ineffabilis. Nomina verò quæ adhiberi solent ad designandum ea, quæ de Deo concipimus, vel referuntur ad *essentiam* divinam, ut sunt Deus, Qui est, Immensus, Æternus, et alia hujusmodi; vel significant *personas,* ut voces Pater, Filius, Spiritus Sanctus; vel *relationes* designant, quæ sunt Paternitas, Filiatio, Spiratio, Processio.

Nomen *Deus* communiter usurpatur, quià designat provisorem omnium rerum : « Omnes enim loquentes de Deo, ait sanctus

Thomas, hoc intendunt nominare *Deum*, quod habet providentiam universalem de rebus (q. 13, a. 8). » Nomen verò *Qui est* exprimit *esse* divinum; *universale* est, quià complectitur alia nomina: designat esse *actualiter;* et ideò « maximè proprium est Dei nomen. »

Deus est *incomprehensibilis*, nempè sub definitione logicâ contineri nequit : vera enim definitio genere et differentiâ constat; sed, Deus non continetur sub genere et differentiâ; ergò, necesse est ut sit incomprehensibilis : « Ex hoc patet, ait sanctus Thomas, quod non habet genus, neque differentias, neque est definitio ipsius, neque demonstratio nisi per effectum; quià definitio est ex genere et differentiâ, demonstrationis autem medium est definitio (q. 3, a. 5). »

Verumtamen quærenti quid sit Deus juxtà nostrum concipiendi modum, respondeo ex dictis :

Deus est actus purus. Voces illæ designant quidquid de Deo cognoscimus per viam *causalitatis*, *remotionis* et *excellentiæ*. 1°, Per viam *causalitatis*, scimus de Deo quod est, et illicò inferimus Eum esse a seipso, non autem ab alio; sed, quandò dicimus, Deus est *actus purus*, asserimus Eum esse essentialiter et a seipso. 2°, Per viam *remotionis*, cognoscimus Deum esse infinitum, immutabilem, æternum, immensum, simplicem et unum; sed, ille, qui dicitur *actus purus*, est immunis ab omni limite, mutationem quamlibet, compositionem, divisionem et alia similia penitùs excludit. 3°, Per viam *excellentiæ*, comperimus Deum vivere vitâ intellectuali eaque perfectissimâ; voces autem *actus purus* maximè designant Ens summè perfectum, quod essentialiter intelligit et vult; proindè, vitâ rationali excellentissimè fruitur.

Deus igitur quoad *nomen* vocatur a seipso : *Qui est;* et in eodem sensu quoad *rem* appellatur ab Aristotele : *Actus purus* (1).

(1) « Le premier de tous les philosophes profanes appelle Dieu un *acte pur*, c'est-à-dire la dernière et absolue perfection, qui ne peut recevoir d'accroissement, n'y ayant rien qui soit par-dessus ce qu'elle est, comme il ne se peut rien imaginer qui lui manque. » Louis de Grenade, *La Guide des Pécheurs*, p. 8.

Quidquid autem his vocabulis designatur, mirum in modum exprimit Concilium Vaticanum : « Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cœli et terræ, omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum ; qui cùm sit una singularis, simplex omninò et incommutabilis substantia spiritualis, prædicandus est re et essentiâ a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quæ præter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate suâ et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deindè humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.

Universa verò, quæ condidit, Deus providentiâ suâ tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quæ liberâ creaturarum actione futura sunt. » *)

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX RERUM.

PHILOSOPHIA SCHOLASTICA.

Pag.

APPROBATIO 5

COSMOLOGIA.

DE COSMOLOGIÆ NATURA ET DIVISIONE 7

PRIMA PARS COSMOLOGIÆ DE NATURA RERUM MUNDANARUM.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA CORPORIS IN SE SUMPTI.

ART. I. — De philosophorum systematibus 14
ART. II. — De systematum criticâ 24

CAPUT SECUNDUM.

DE NATURA ORBIS PHYSICI.

ART. I. — De characteribus orbis physici 38
ART. II. — De origine mundi 40

SECUNDA PARS COSMOLOGIÆ DE PROPRIETATIBUS CORPORUM.

CAPUT PRIMUM.

DE PROPRIETATIBUS CORPORUM IN GENERE.

Pag.
ART. I. — De proprietatibus ad materiam referendis... 56
ART. II. — De proprietatibus ad formam referendis..... 63
ART. III. — De proprietatibus ad materiam et formam simul referendis..... 69

CAPUT SECUNDUM.

DE VITÂ.

ART. I. — De vitâ in genere..... 72
ART. II. — De vitâ vegetativâ..... 79
ART. III. — De vitâ sensitivâ..... 84
ART. IV. — De stabilitate specierum adversùs generationes spontaneas et « transformismum. » 90

APPENDIX.

DE APPLICATIONE SYSTEMATIS SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO. 97

TERTIA PARS COSMOLOGIÆ DE LEGIBUS ORBIS PHYSICI.

CAPUT PRIMUM.

DE LEGIBUS IN SE SUMPTIS.

ART. I. — De proprietatibus legum naturæ..... 103
ART. II. — De perfectione mundi..... 109

CAPUT SECUNDUM.

DE DEROGATIONE LEGIBUS NATURÆ.

ART. I. — De miraculis seu factis extra leges physicas patratis..... 118
ART. II. — De quibusdam erroribus circa miraculum, præcipue de rationalismo et mesmerismo. 125

PSYCHOLOGIA.

Pag.
De Psychologiæ naturâ et divisione 131

PRIMA PARS PSYCHOLOGIÆ DE FACULTATIBUS.

CAPUT PRIMUM.

DE FACULTATIBUS IN GENERE.

Art. I. — De naturâ facultatum 140
Art. II. — De divisione facultatum 147

CAPUT SECUNDUM.

DE FACULTATIBUS IN SPECIE.

Art. I. — De potentiis vitæ vegetativæ 152
Art. II. — De potentiis vitæ sensitivæ 154
Art. III. — De potentiis vitæ intellectivæ 166
Parag. I. De facultatibus cognoscitivis 167
Parag. II. De facultatibus appetitivis 180
Art. IV. — De vi motrici 197

CAPUT TERTIUM.

DE ORIGINE IDEARUM.

Art. I. — De systemate scholastico 199
Parag. I. Systema scholasticum exponitur 199
Parag. II. Systema scholasticum propugnatur 209
Art. II. — De aliis systematibus 216
Art. III. — De sermone, quatenùs est idearum expressio. 232

SECUNDA PARS PSYCHOLOGIÆ DE ANIMA.

CAPUT PRIMUM.

DE ESSENTIA ANIMÆ.

Art. I. — De simplicitate animæ 238
Art. II. — De spiritualitatæ animæ 253

CAPUT SECUNDUM.

DE ORIGINE ANIMÆ.

Pag
ART. I. — De modo originis animæ 260
ART. II. — De tempore creationis animæ..... 268

CAPUT TERTIUM.

DE IMMORTALITATE ANIMÆ.

ART. I. — De certitudine immortalitatis animæ..... 272
ART. II. — De statu alterius vitæ 284
ART. III. — De erroribus philosophorum..... 288

TERTIA PARS PSYCHOLOGIÆ DE HOMINE.

CAPUT PRIMUM.

DE UNIONE SUBSTANTIALI ANIMÆ ET CORPUS.

ART. I. — De variis philosophorum sententiis..... 292
ART. II. — De verâ sententiâ 297

CAPUT SECUNDUM.

DE INFLUXU ANIMÆ IN CORPUS.

ART. I. — De organicismo..... 304
ART. II. — De vitalismo 308
ART. III. — De animismo 312
ART. IV. — De sede animæ 317
ART. V. — De errore phrenologistarum 319

CAPUT TERTIUM.

DE INFLUXU CORPORIS IN ANIMAM.

ART. I. — De modo influxùs corporis in animam..... 321
ART. II. — De hominis naturâ, personâ et definitione.. 327

THEODICEA.

Pag.
De Theodiceæ naturâ et divisione 331

PRIMA PARS THEODICEÆ DE EXISTENTIA DEI.

CAPUT PRIMUM.

DE ARGUMENTIS QUIBUS EXISTENTIA DEI DIRECTÈ PROBATUR.

Art. I. — De argumento metaphysico..... 339
Art. II. — De argumento physico..... 344
Art. III. — De argumento morali..... 351
Art. IV. — De solutione difficultatum..... 354

CAPUT SECUNDUM.

DE ATHEISMO.

Art. I. — De expositione atheismi 363
Art. II. — De confutatione atheismi 375
Appendix. — De Polytheismo..... 384

SECUNDA PARS THEODICEÆ DE NATURA DEI.

CAPUT PRIMUM.

DE ABSOLUTÂ PERFECTIONE ESSENTIÆ DIVINÆ.

Art. I. — De gradu perfectionis divinæ..... 392
Art. II. — In quo attributo fundatur perfectio divina.. 400

CAPUT SECUNDUM.

DE ATTRIBUTIS ABSOLUTIS QUIBUS CONSTITUITUR ESSENTIA DIVINA.

Art. I. — De immutabilitate..... 410
Art. II. — De æternitate..... 413
Art. III. — De immensitate..... 416
Art. IV. — De simplicitate..... 424
Art. V. — De unitate..... 427

CAPUT TERTIUM.

DE PANTHEISMO ET COETERIS ERRORIBUS CIRCÀ DEI NATURAM.

Pag.
ART. I. — De expositione pantheismi 431
ART. II. — De confutatione pantheismi 441
ART. III. — De dualismo et quibusdam aliis erroribus circà Dei naturam 448

TERTIA PARS THEODICEÆ DE VITA DEI.

CAPUT PRIMUM.

DE VITÂ DEI AD INTRA.

ART. I. — De naturâ vitæ divinæ..... 453
ART. II. — De intellectu divino..... 456
ART. III. — De voluntate divinâ..... 469

CAPUT SECUNDUM.

DE VITÂ DEI AD EXTRA.

ART. I. — De potentiâ Dei 483
ART. II. — De creatione et conservatione 487
ART. III. — De concursu divino 494
ART. IV. — De Providentiâ Dei..... 504
Parag. I. De naturâ Providentiæ 505
Parag. II. De existentiâ Providentiæ..... 507
Parag. III. De œconomiâ Providentiæ 512
ART. V. — De errore deistarum..... 514
ART. VI. — De summâ Dei beatitudine 522
APPENDIX. — De Dei definitione..... 524

INDEX QUÆSTIONUM.

COSMOLOGIA.

Pag.

De Cosmologiæ naturâ et divisione..... 7-12
Quæst. 1ª. — Quid sit Cosmologia quoad nomen?..... 7
— 2ª. — Quid sit Cosmologia quoad rem?..... 8
— 3ª. — Quid dicendum de objecto et historiâ Cosmologiæ?..... 9
— 4ª. — Quomodo dividatur Cosmologia?..... 10
*— 5ª. — Expone synopsim totius Cosmologiæ..... 10

PRIMA PARS COSMOLOGIÆ DE NATURA RERUM MUNDANARUM.

Caput I. *De naturâ corporis in se sumpti.* — Art. 1us, De philosophorum systematibus. — Art. 2us, De systematum criticâ..... 13-37
Quæst. 1ª. — Expone sensum quæstionis..... 14
— 2ª. — Evolve systema scholasticorum..... 16
— 3ª. — Expone atomismum..... 20
— 4ª. — Expone dynamismum..... 23
— 5 . — Quid sentiendum de tribus philosophorum sententiis, circà naturam corporum?... 24
— 6ª. — Evolve argumenta directa et ex ratione... 25
— 7ª. — Quid dicendum de argumento directo et ex ratione?..... 28
— 8ª. — Expone argumentum indirectum..... 31
*— 9ª. — Solve difficultates..... 34

Caput II. *De naturâ orbis physici.* — Art. 1us, De characteribus orbis physici. — Art. 2us, De origine mundi.. 37-54
Quæst. 1ª. — Quot sint præcipui characteres orbis physici?..... 38

Pag.

Quæst. 2ª. — Proba mundum esse compositum 38
— 3ª. — Proba mundum esse mutabilem 39
— 4ª. — Proba mundum esse contingentem..... 39
— 5ª. — Proba mundum esse finitum..... 39
— 6ª. — Statue sensum quæstionis de origine mundi. 40
— 7ª. — Quid sit creatio?..... 41
— 8ª. — Quæ sint philosophorum sententiæ de creationis dogmate?..... 41
*— 9ª. — Solve difficultatem..... 46
*— 10ª. — Quæ sint quæstiones inter philosophos agitatæ?..... 47
*— 11ª. — Quid ex dictis inferatur adversùs errores ævi præsentis?..... 51

SECUNDA PARS COSMOLOGIÆ DE PROPRIETATIBUS CORPORUM.

Caput I. *De proprietatibus corporum in genere.* — Art. 1ᵘˢ, De proprietatibus ad materiam referendis. — Art. 2ᵘˢ, De proprietatibus ad formam referendis. — Art. 3ᵘˢ, De proprietatibus ad materiam simul et formam referendis..... 56-71

Quæst. 1ª. — Quæ sint præcipuæ proprietates ad materiam referendæ?..... 56
— 2ª. — Quid dicendum de impenetrabilitate et divisibilitate?..... 56
— 3ª. — Quid sentiendum de localisatione?..... 60
— 4ª. — Quid dicendum de proprietatibus ad formam referendis?..... 63
— 5ª. — Loquere de existentiâ virium physicarum. 63
— 6ª. — Loquere de principiis virium physicarum.. 65
*— 7ª. — Quomodo solvantur difficultates?..... 67
*— 8ª. — Quid dicendum de proprietatibus quæ ad materiam et formam simul referuntur?. 69
*— 9ª. — Loquere de formis accidentalibus..... 69
*— 10ª. — Loquere de mirâ corporum structurâ..... 70

Pag.

Caput II. *De vitâ.* — Art. 1us, De vitâ in genere. — Art. 2us, De vitâ vegetativâ. — Art. 3us, De vitâ sensitivâ. — Art. 4us, De stabilitate specierum adversùs generationes spontaneas et transformismum 72-97

Quæst. 1a. — Quid sit vita?..... 72

— 2a. — Quodnam sit vitæ principium?..... 74

*— 3a. — Quæ sint variæ philosophorum sententiæ? 76

*— 4a. — Quid sit vita vegetativa et quæ sint ejus functiones?..... 79

*— 5a. — Quodnam sit principium vitæ vegetativæ? 80

*— 6a. — Quomodo solvantur difficultates?..... 83

— 7a. — Quid dicendum de vitâ sensitivâ?..... 84

*— 8a. — Quomodo solvantur difficultates?..... 89

*— 9a. — Quid ex dictis inferre liceat de naturâ animæ belluimæ, de ejus origine et exitu?... 89

*— 10a. — Quæ sint dicenda de stabilitate specierum? 90

*— 11a. — Quid intelligatur per generationes spontaneas?..... 92

*— 12a. — Transformismum expone et confuta..... 93

* Appendix. De applicatione systematis SS. Eucharistiæ sacramento 97-101

Quæst. 1a. — Resume systema scholasticum de corporum essentiâ et proprietatibus 97

*— 2a. — Quomodo systema scholasticum applicari possit SS. Eucharistiæ sacramento?... 98

TERTIA PARS COSMOLOGLÆ DE LEGIBUS ORBIS PHYSICI.

Caput I. *De legibus physicis in se sumptis.* — Art. 1us, De proprietatibus legum naturæ. — Art. 2us, De perfectione mundi 102-117

Quæst. 1a. — Quid sit natura, et quid sit lex naturæ?.. 103

— 2a. — Quid ex dictis inferre liceat de fine rerum mundanarum?..... 106

— 3a. — Utrum existat ordo in rebus mundanis?... 109

Pag.

Quæst. 4ª. — Quid ex dictis inferatur de mundi perfectione?..... 111

*— 5ª. — Qui sint philosophorum errores de mundi perfectione?..... 114

Caput II. *De derogatione legibus naturæ.* — Art. 1us, De miraculis seu factis extra leges physicas patratis. — Art. 2us, De quibusdam erroribus circà miraculum, et præcipuè de rationalismo et mesmerismo..... 117-129

Quæst. 1ª. — Quæ sint dicenda de miraculo?..... 118
— 2ª. — Loquere de miraculorum naturâ..... 118
— 3ª. — Loquere de possibilitate miraculorum..... 120
— 4ª. — Loquere de cognitione seu « discernibilitate » miraculorum..... 122
— 5ª. — Loquere de divinâ miraculorum œconomiâ. 123
*— 6ª. — Qui sint præcipui errores de miraculo?... 125

PSYCHOLOGIA.

De Psychologiæ naturâ et divisione..... 131-138
Quæst. 1ª. — Quid sit Psychologia quoad nomen?..... 131
— 2ª. — Quid sit Psychologia quoad rem?..... 132
— 3ª. — Quanam methodo Psychologia tractanda sit?..... 134
— 4ª. — Quodnam sit objectum Psychologiæ et quomodo dividatur?..... 135
*— 5ª. — Expone synopsim totius Psychologiæ.... 136

PRIMA PARS PSYCHOLOGIÆ DE FACULTATIBUS.

Caput I. *De facultatibus in genere.* — Art. 1us, De naturâ facultatum. — Art. 2us, De divisione facultatum... 131-152

Pag.

Quæst. 1ª. — Quomodo facultas definiri possit?..... 140
— 2ª. — Utrum facultates differant ab actibus et ab essentiâ animæ?..... 140
— 3ª. — Utrum et quomodo facultates pendeant ab animâ?..... 144
— 4ª. — Utrum plures sint facultates et quisnam ordo inter eas existat?..... 147
— 5ª. — Quomodo scholastici facultates dividant?. 148
*— 6ª. — Quæ sint aliæ facultatum divisiones?..... 150

Caput II. *De facultatibus in specie.* — Art. 1us, De potentiis vitæ vegetativæ. — Art. 2us, De potentiis vitæ sensitivæ. — Art. 3us, De potentiis vitæ intellectivæ. — Art. 4us, De vi motrici..... 152-198

**Quæst.* 1ª. — Quæ sint facultates vitæ vegetativæ?..... 152
*— 2ª. — Quid dicendum de subjecto, principio, et naturâ facultatum vitæ vegetativæ?.... 153
— 3ª. — Quomodo definiantur et dividantur facultates vitæ sensitivæ?..... 154
— 4ª. — Quot et quinam sint sensus externi?..... 154
— 5ª. — Quot et quinam sint sensus interni?..... 157
— 6ª. — Quid sit sensus communis?..... 157
— 7ª. — Quid sit phantasia?..... 161
— 8ª. — Quid dicendum de vi æstimativâ et memoriâ?..... 163
— 9ª. — Quid dicendum de naturâ et divisione appetitûs sensitivi?..... 165
— 10ª. — Quid sit intellectus?..... 167
— 11ª. — Quodnam sit intellectûs objectum..... 169
— 12ª. — Quid sit intellectus agens, seu vis abstractiva?..... 171
— 13ª. — Quid sit intellectus possibilis, seu vis perceptiva?..... 173
*— 14ª. — Loquere de quæstionibus inter auctores agitatis..... 174
— 15ª. — Quæ sint dicenda de facultatibus appetitivis?..... 180

Pag.

Quæst. 16ª. — Quæ sit radix appetitûs rationalis seu voluntatis? 182
— 17ª. — Quod sit objectum circà quod versatur appetitus rationalis? 183
— 18ª. — Quæ sint proprietates appetitûs rationalis? 184
— 19ª. — Utrum homo libertate gaudeat? 185
*— 20ª. — Quomodo solvantur difficultates? 188
*— 21ª. — Qui sint actus voluntatis? 190
*— 22ª. — Quid ex dictis inferatur de amore et odio, necnon de corde? 191
*— 23ª. — Quid dicendum de vi motrici? 197

Caput III. *De origine idearum.* — Art. 1ᵘˢ, De systemate scholastico. — Art. 2ᵘˢ, De aliis systematibus. — Art. 3ᵘˢ, De sermone, quatenùs est idearum expressio.. 199-236

Quæst. 1ª. — Expone systema scholasticum, de idearum origine 199
— 2ª. — Quæ sit vera notio cognitionis humanæ?.. 200
— 3ª. — Quod sit objectum cognitionis humanæ?.. 200
— 4ª. — Quonam ordine anima procedat in cognitionibus assequendis? 201
— 5ª. — Quomodo cognitiones formentur in anima? 206
— 6ª. — Quomodo systema scholasticum propugnari possit? 209
*— 7ª. — Quomodo solvantur difficultates? 215
*— 8ª. — Quæ sint varia philosophorum systemata de origine idearum? 216
*— 9ª. — Empirismum expone et confuta..... 217
*— 10ª. — Inditismum expone et confuta..... 220
*— 11ª. — Ontologismum expone et confuta..... 224
*— 12ª. — Traditionalismum expone et confuta 230
*— 13ª. — Loquere de naturâ sermonis in se sumpti. 232
*— 14ª. — Loquere de relatione sermonis ad ideas... 234
*— 15ª. — Loquere de origine sermonis 235

SECUNDA PARS PSYCHOLOGIÆ DE ANIMA.

Pag.

CAPUT I. *De essentiâ animæ.* — Art. 1us, De simplicitate animæ. — Art. 2us, De Spiritualitate animæ..... 237-259

Quæst. 1a. — Quid sit anima?..... 238
— 2a. — Utrum anima sit simplex?..... 239
*— 3a. — Quomodo solvantur difficultates?..... 248
— 4a. — Quot sint dicenda de spiritualitate animæ? 253
— 5a. — Utrum et quo sensu anima sit spiritualis?. 254
— 6a. — Quid ex dictis inferre liceat?..... 257
— 7a. — Quid dicendum de Cartesianorum sententiâ circà mentis essentiam?..... 258

CAPUT II. *De origine animæ.* — Art. 1us, De modo originis animæ. — Art. 2us, De tempore creationis animæ.. 259-271

Quæst. 1a. — Quid doceant scholastici de modo originis animæ?..... 260
— 2a. — Expone et confuta philosophorum errores, præsertim Emanatismum et Traducianismum..... 263
*— 3a. — Quomodo solvantur difficultates?..... 267
*— 4a. — Quot sint sententiæ de tempore creationis animæ?..... 268
*— 5a. — Quo instanti mens in corpus infundatur?. 269

CAPUT III. *De immortalitate animæ.* — Art. 1us, De certitudine immortalitatis animæ. — Art. 2us, De statu alterius vitæ. — Art. 3us, De erroribus philosophorum. 271-290

Quæst. 1a. — Utrum et quo sensu anima futura sit immortalis?..... 272
*— 2a. — Quomodo solvantur difficultates?..... 282
*— 3a. — Utrum anima separata intelligere et velle pergat?..... 284
*— 4a. — Quis sit status animæ separatæ?..... 285
*— 5a. — Quot sint præcipui philosophorum errores? 288

TERTIA PARS PSYCHOLOGIÆ DE HOMINE.

Pag.

CAPUT I. *De unione substantiali animæ et corporis.* — Art. 1^us^, De variis philosophorum sententiis. — Art. 2^us^, De verâ sententiâ 291-303

Quæst. 1^a^. — Expone doctrinam scholasticorum..... 292

— 2^a^. — Quid doceant alii philosophi?..... 294

— 3^a^. — Quænam sit vera sententia de unione mentis et corporis?..... 297

*— 4^a^. — Quomodo propositio confirmari possit ex auctoritate?..... 301

CAPUT II. *De influxu animæ in corpus.* — Art. 1^us^, De organicismo. — Art. 2^us^, De vitalismo. — Art. 3^us^, De animismo. — Art. 4^us^, De sede animæ. — Art. 5^us^, De errore phrenologistarum 303-320

Quæst. 1^a^. — Quot sint sententiæ de influxu animæ in corpus? 304

— 2^a^. — Organicismum expone et confuta..... 305

— 3^a^. — Expone vitalismum..... 308

— 4^a^. — Quid sentiendum de vitalismo?..... 310

— 5^a^. — Expone animismum..... 312

— 6^a^. — Quid dicendum de sententiâ scholasticorum? 314

*— 7^a^. — Quid ex dictis inferre liceat?..... 316

— 8 . — Quæ sint philosophorum sententiæ, de sede animæ? 317

— 9^a^. — Utrum sententia scholasticorum sit vera?. 317

*— 10^a^. — Expone philosophorum errores..... 319

*— 11^a^. — Quid sentiendum de istis erroribus?..... 320

CAPUT III. *De influxu corporis in animam.* — Art. 1^us^, De modo influxûs corporis in animam. — Art. 2^us^, De hominis naturâ, personâ et definitione..... 321-329

**Quæst.* 1^a^. — Quæ sint dicenda de influxu corporis in animam?..... 321

*— 2^a^. — Quid ex dictis inferre liceat?..... 327

THEODICEA.

Pag.
De Theodiceæ naturâ et divisione..... 331-337
Quæst. 1ª. — Quid sit Theodicea quoad nomen?..... 331
— 2ª. — Quid sit Theodicea quoad rem?..... 332
— 3ª. — Utrum et quomodo mens humana Deum cognoscere possit?..... 332
— 4ª. — Quodnam sit objectum Theologiæ naturalis et quomodo dividi possit?..... 334
*— 5ª. — Expone synopsim Theologiæ naturalis.... 336

PRIMA PARS THEODICEÆ DE EXISTENTIA DEI.

Caput I. *De argumentis quibus existentia Dei directè probatur.* — Art. 1us, De argumento metaphysico. — Art. 2us, De argumento physico. — Art. 3us, De argumento morali. — Art. 4us, De solutione difficultatum..... 338-361
Quæst. 1ª. — Expone statum quæstionis..... 339
— 2ª. — Evolve argumentum metaphysicum..... 340
— 3ª. — Expone et evolve argumentum physicum. 344
— 4ª. — Expone argumentum morale..... 351
*— 5ª. — Quæ sint præcipuæ philosophorum objectiones?..... 354
*— 6ª. — Quid sentiendum de objectione Traditionalistarum?..... 355
*— 7ª. — Quid dicendum de objectione Ontologistarum?..... 357
*— 8ª. — Quid sentiendum de objectione Cartesianorum?..... 358
Caput II. *De atheismo.* — Art. 1us, De expositione atheismi. — Art. 2us, De confutatione atheismi. — Appendix. De Polytheismo..... 362 391

Pag.

Quæst. 1ª. — Quid dicendum de atheismo in genere?... 363
*— 2ª. — Quid speciatim dicendum sit de atheismo apud hodiernos?..... 369
— 3ª. — Statue propositionem adversùs atheismum. 375
— 4ª. — Quæ sint atheismi consectaria?..... 382
*— 5ª. — Quomodo solvi possit difficultas a polytheismo deprompta?..... 384
*— 6ª. — Quæ sint formæ polytheismi?..... 385
*— 7ª. — Quæ sint causæ polytheismi?..... 386
*— 8ª. — Quæ sit vera polytheismi natura?..... 388
*— 9ª. — Quid sentiendum de diffusione polytheismi? 388

SECUNDA PARS THEODICEÆ DE NATURA DEI.

Caput I. *De absolutâ perfectione essentiæ divinæ.* — Art. 1us, De gradu perfectionis divinæ. — Art. 2us, De attributo in quo fundatur perfectio divina..... 392-408

Quæst. 1ª. — Quonam sensu Deus dicatur perfectus?... 392
— 2ª. — Quid dicendum de attributis Dei in genere? 400
— 3ª. — Quid sit Dei attributum?..... 400
— 4ª. — Quomodo attributa Dei dividi possint?... 403
— 5ª. — Quæ sint dicenda de attributo Dei constitutivo?..... 405

Caput II. *De attributis absolutis quibus constituitur essentia divina.* — Art. 1us, De immutabilitate. — Art. 2us, De æternitate. — Art. 3us, De immensitate. — Art. 4us, De simplicitate. — Art. 5us, De unitate... 409-430

Quæst. 1ª. — Utrum et quo sensu Deus sit immutabilis? 410
— 2ª. — Quid sit æternitas et utrum Deo competat? 413
— 3ª. — Quomodo comparetur immensitas notitia? 417
— 4ª. — Quomodo immensitas definiri possit?.... 417
— 5ª. — Utrum Deus sit immensus?..... 420
— 6ª. — Quænam sint hujus dogmatis consequentiæ?..... 422

Pag.

*Quæst. 7ª. — Quot errores prodierint circà immensitatem divinam? 423
— 8ª. — Utrum et quo sensu Deus sit simplex? ... 424
— 9ª. — Utrum et quo sensus Deus dicatur unus?. 427

Caput III. *De pantheismo et ceteris erroribus circà Dei naturam.* — Art. 1us, De expositione pantheismi. — Art. 2us, De confutatione pantheismi. — Art. 3us, De dualismo et quibusdam aliis erroribus circà Dei naturam..... 431-451

*Quæst. 1ª. — Expone pantheismum in genere 431
*— 2ª. — Evolve pantheismum ævi recentis..... 433
— 3ª. — Quomodo confutetur pantheismus?..... 441
*— 4ª. — Solve difficultatem, quæ sumitur e mysterio coexistentiæ finiti et infiniti..... 446
*— 5ª. — Quid dicendum de dualismo?..... 448

TERTIA PARS THEODICEÆ DE VITA DEI.

Caput I. *De vitâ Dei ad intra.* — Art. 1us, De naturâ vitæ divinæ. — Art. 2us, De intellectu divino. — Art. 3us, De voluntate divinâ..... 452-482

*Quæst. 1ª. — Quænam sit vita divina?..... 453
— 2ª. — Qui sint actus vitæ divinæ?..... 456
— 3ª. — Utrum et quo sensu Deus sit veritas?.... 457
— 4ª. — Quot sint dicenda de scientiâ Dei?..... 458
*— 5ª. — Quodnam sit medium scientiæ divinæ?... 461
*— 6ª. — Quomodo præscientia Dei et libertas hominis conciliari possint?..... 466
— 7ª. — Quot sint dicenda de voluntate Dei?..... 469
— 8ª. — Loquere de pulchritudine et bonitate Dei.. 470
— 9ª. — Qualis sit voluntas divina?..... 471
— 10ª. — Utrum et quomodo voluntas Dei sit libera? 474
— 11ª. — Quomodo libertas et immutabilitas in Deo conciliari possint?..... 479

Pag.

Caput II. *De vitâ Dei ad extra.* — Art. 1us, De potentiâ Dei. — Art. 2us, De creatione et conservatione. — Art. 3us, De concursu divino. — Art. 4us, De Providentiâ Dei. — Art. 5us, De errore deistarum. — Art. 6us, De summâ Dei beatitudine. — Appendix. De Dei definitione..... 482-533

Quæst. 1a. — Quot sint dicenda de potentiâ Dei?..... 483
— 2a. — Quid sit creare?..... 487
— 3a. — Utrum Deus res creatas conservet?..... 493
*— 4a. — Quot sint dicenda de concursu divino?... 494
— 5a. — Quid sit Providentia?..... 505
— 6a. — Utrum Providentia sit in Deo?..... 507
— 7a. — Utrum mirabilis sit œconomia Providentiæ? 512
*— 8a. — Expone philosophorum errores de Providentiâ..... 514
*— 9a. — Quomodo dilui possint deistarum objectiones?..... 517
*— 10a. — Utrum Deus sit summè beatus?..... 522
*— 11a. — Quid dicendum de Dei definitione?..... 524
*— 12a. — Quid intelligatur per exemplarismum divinum?..... 525
*— 13a. — Quomodo adipiscamur Dei notionem?.... 528
*— 14a. — Quid de Trinitate cognosci possit lumine rationis?..... 529
*— 15a. — Quomodo Deus vocari possit et definiri?.. 531

FINIS TOMI SECUNDI.

BAR-LE-DUC, IMPRIMERIE CONTANT-LAGUERRE.

v.2 Philosophia scholastica

100
B63
v.2

384

Graduate Theological Union
Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO